CHRISTOPH. HAUNOLDI S.I. INSTITUTIONUM THEOLOGICARUM LIBRI 4

Bartholomäus Kilian,
Christoph Haunold

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
34 I
45

Digitized by Google



BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

INSTITV-TIONVM THEOLOGI-CARVM.

LIBRI QVATVOR

AVTHORE

CHRISTOPHORO HAVNOLDO SOCIE-TATIS JESV

IN ELECTORALI VNI-VERSITATE JNGOLSADIENSI ORDINARIO THEOLOGIÆ PROFESSORE.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

JNGOLSTADII.

Typis GEORGII HÆNLINI.

ANNO M. DC. LIX.

INSTITUTIONUM THEOLOGICARUM.

LIBRI QUATUOR.

AUTHORE

CHRISTOPHORO NAVARRO SOCIETATIS JESU.

IN ELECTORALI ACADEMIA ORDINARIO THEOLOGIÆ PROFESSORE.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI, AMPLISSIMO PRÆSVLI AC DOMINO, DOMINO

MARTINO

CELEBERRIMI VNDENSTORFFENSIS COENOBII, ORDINIS S. AUGUSTINI CANONICORUM REGUL: PRÆPOSITO VIGILANTISSIMO DIGNISSIMOQVE.

Domino ſuo gratioſo & obſervandiſſimo.

Effigiem TVAM *Operi meo præfixi*, REVERENDISSIME PRÆSVL, *ut ad arcaniſſimæ Scientiæ penetralia Facem præferrem lucidiſſimam, quæ cùm nuper Collegio noſtro illuxiſſet, tot in omnium animis ſinceri amoris incendit ignes, quotquot virtutum amplissimarum emiſit radios; & quamvis de* TE, ANTISTES

TISTES INTEGERRIME, *meritissima fama priùs multa nunciâsset, plura tamen* TVA *nobis præsentia coràm est elocuta. At verè non attexam panegyrin de præclarissimis dotibus, quas* TVA *Insignia Symbolis suis non fortuitò adumbrant, sed è re nata, ceu Animi* TVI *ectypa, compendio repræsentant; quia angustæ chartæ pro merito explicare non possunt illam inter afflictissima tempora inconcussam Magnanimitatem, & inter difficultates gravissimas sapientem* OEconomiam, *illam imperturbatam agendi Mansuetudinem & inculpatæ vitæ religiosam integritatem; præter prudentem imperandi dexteritatem, quam cum* REVERENDISSIMO & SAPIENTISSIMO TVO DOMINO FRATRE CORBINIANO *laudatissimæ memoriæ Abbate Schirensi ita communem exhibes, ut quemadmodum vicina virtutum æqualitas in Vtroque conspirabat, sic locorum etiam vicinia, pro Vtroque sacris Infulis honorando, mirâ conjunctione concordaret. Decreveram itaque* TIBI, *qui magna libentiùs facis quàm audis,* TVÆQVE *Modestiæ obsequi laudum maximarum silentio, germanum tamen Candorem atque sacræ dignitatis sociam*

Comi-

Comitatem, quâ velut vinculo omnium animos TIBI *obstringis, præterire non licuit: indignaretur namque Collegium nostrum, si humanissimam Vrbanitatem illaudatam transirem, cuius, cùm ad Nos inviseres, tot habuisti* TIBI *addictos æstimatores, quotquot fuêre spectatores. Neque tamen mirati sumus* TE *ad omnes benefico adeò affectu fuisse inclinatum, qui tot Virtutum decoribus es cumulatus: Frugibus enim gravatæ arbores facilè ad inferiora trahuntur. Inter alios & ego singularis benevolentiæ signa expertus, parvum hoc munus, affectu verè maximo, Nomini* TVO *expediendum putavi, ut ita multorum Vota unus explerem, qui omnes sacratissimum Ordinem* TVVM *minimæ Societatis nostræ amantissimum, &* TE *magnum illius Ornamentum honore semper debito atque amore foveri peroptant. Neque gravioribus irretitum negotijs interpellare timui; non enim ignorabam, sicut bellicosis Heroibus, positis etiam longo temporum intervallo armis, de peractis prælijs, de calcatis hostibus, de eversis urbibus vel sola recordatio dulcis est, ita &* TIBI REVERENDISSIME PRÆSVL, *ingratum minimè fo-*

re, huius Opuſculi lectione literatos plauſus, quos Ingolſtadij ſæpe promeruiſti, in mentem revocare. Magno quoque animo perfacile eſt, ita Ingenium viréſque dividere, ut inter domeſticas etiam curas literarium otium delectet. Placido ergò vultu dignare, AMPLISSIME ANTISTES, *Libellum* TVIS *honoribus debitum,* TVIS *Virtutibus, quas nativa Indoles immortales fecit, rectiùs quàm Cedro obſignatum: Admitte hoc exile donum, quod tam gloriæ* TVÆ, *quàm totius Collegij & mei erga* TE *& univerſum Ordinem nunquam morituri affectûs æternum ſtabit monumentum. Ingolſtadij ipſo Natali die, qui & Eccleſiæ univerſæ & divinarum ſcientiarum Sole AVGVSTINO clarus eſt. A. M. DC. LIX.*

Reverendiſſimæ & Ampliſſimæ
Dominationis Veſtræ

Devotiſſimus ſervus in Chriſto

CHRISTOPHORVS HAVNOLDVS
Societatis JESV.

APPRO-

APPROBATIO R. P. PROVINCIALIS CVM PRIVILEGIO CÆSAREO.

Jnſtitutiones Theologiæ Scholaſticæ à P. Chriſtophoro Haunoldo noſtræ Societatis Sacerdote conſcriptas, atque à deputatis eiuſdem Societatis Theologis, cenſas, probatáſque ego Georgius Muglinus Societatis IESV per ſuperiorem Germaniam Præpoſitus Provincialis, factâ mihi poteſtate ab Admodum R. P. N. Generali Goſwino Nikel in lucem dari permitto: Inſuper poteſtatem Georgio Hanlino Typographo Ingolſtadienſi concedo jus Cæſarei Privilegij uſurpandi, quo Typographis & Bibliopolis omnibus facultas adimitur vulgatos à Societatis IESV Patribus Libros, citra Superiorum, Authorúmque recudendis, aut intra S. R. Imperij, ac Provinciarum Sacræ Cæſareæ Majeſtati hæreditario jure ſubjectarum fines importandi. Horum fidem facio meæ manu & officij Sigillo. Landſperga.

GEORGIVS MVGLINVS.

INDEX LIBRORVM TITVLORVM, ET CAPITVM.

LIBER PRIMVS.

DE DEO ET ANGELIS.

TITVLVS PRIMVS.

DE DEO VT EST VNVS IN NATVRA.

CAPVT I. De Existentia DEI, Essentia, & Attributis in genere. *Existentia Fol.* 1. *Essentia.* 6. *Attributa in genere.* 8.

Cap. II. Attributa divina faciliora. *Infinitas.* 10. *Immensitas.* 13. *Æternitas.* 14. *Immutabilitas.* 15. *Incomprehensibilitas.* 16. *Ineffabilitas.* 17. *Indivisibilitas.* 18.

Cap. III. De Veritate seu Visibilitate DEI. *Possibilitas Visionis beatæ.* 20. *Principia effectiva.* 21. *Objectum & inæqualitas.* 24.

Cap. IV. De Scientia DEI. *Quæ & quibus nominibus tribuenda DEO Scientia.* 29. *Divisiones Scientiæ divinæ.* 32. *Modus cognoscendi, & objectum scientiæ simplicis intelligentiæ.* 34. *Scientia futurorum absolutorum.* 35. *futurorum conditionatorum.* 36. *de Ideis divinis.* 38.

Cap. V. De Voluntate DEI. *Eius existentia & divisiones. 40. Libertas. 43. Objectum. 47.*

Cap. VI. De Omnipotentia DEI. *49.*

Cap. VII. De Providentia DEI, Prædestinatione & Reprobatione. *Providentia in genere. 51. Generalis voluntas DEI salvandi omnes. 55. Essentia Prædestinationis. 57. Causa & effectus totius prædestinationis. 61. Reprobatio. 62.*

TITVLVS II.

DE DEO VT TRINO IN PERSONIS.

Caput I. De Trinitate & Processionibus Personarum. *Errores Hæreticorum. 64. Veritas Catholica, eiúsque ad captum facilitatio. 65. Processiones divinæ, earúmque principia. 68. Processionum differentia. 71.*

Cap. II De Relationibus & Notionib⁹ divinis. *72.*

Cap. III. De Personis divinis in particulari. *Persona Patris. 75. Filij. 76. Spiritus sancti. 78.*

Cap. IV. De Missionibus Personarum divinarum. *79.*

TITVLVS III.

DE ANGELIS.

Caput I. De Existentia & Natura Angelorum. *Eorum existentia. 80. Spiritualitas. 82. Simplicitas. 83. Indestruibilitas. 84.*

Cap. II. De multitudine & diversitate specifica

Angelorum. *Eorum Hierarchia 85. multitudo.86. Inceptio. 87.*

Cap. III. De Potentia locomotiva Angelorum, eiúsque termino. *87.*

Cap. IV. De Intellectu Angelico. *Cognitio objectorum localiter præsentium. 96. objectorum distantium. 98. non existentium. 101. sphæra cognitionis Angelicæ. 103. Cognitio futurorum & secreti cordium. 104. Necessitas Angeli, & libera determinatio ad aliquid cognoscendum. 106.*

Cap. V. De Locutione & Illuminatione Angelorum. 107.

Cap. VI. De Voluntate Angelorum. *109.*

Cap. VII. De via Angelorum quoad statum gratiæ & meriti. *110.*

Cap. VIII. De peccato & pœnâ Angelorum. *Peccatum Angelorum. 113. Pœna damonum. 115. Obstinatio. 116. locus damnatorum, eiúsque capacitas. 117.*

Cap. IX. De Ordine & Ministerio Angelorũ. 118.

LIBER SECVNDVS.

DE ACTIBVS HVMANIS, LEGIBVS ET GRATIA.

TITVLVS I.

DE ACTIBVS HVMANIS IN GENERE.

CAPVT. I. De Beatitudine ut fine hominis. *Intentio finis ultimi. 120. in quo consistat essentia-*

sentialiter Beatitudo. 122. de Dotibus & Aureolis. 128.

Cap. II. De Voluntario & Involuntario in genere. *Voluntarij definitiones. 133. Diuisiones 134. De Involuntario. 139. De Violento & coacto. 141.*

Cap. III. De Voluntario mixto. *Involuntarium ex Concupiscentia 145. metu. 147. ignorantiâ. 150. de Inconsiderantia. 153.*

Cap. IV. De Libertate actuum humanorum. 154.

Cap. V. De Moralitate actuum humanorum, in genere, eorumque regulâ proximâ, conscientiâ. *Conscientia in genere. 160. Opinio probabilis. 160. Conscientia dubia. 163. Erronea. 165.*

Cap. VI. De Regula remota seu moralitate obiectiva actuum humanorum. 166.

Cap. VII. De modo Volendi obiectum & Circumstantias illius ad participandam inde honestatem & inhonestatem. 171.

Cap. VIII. De Moralitate extrinseca seu actu externo & imperato. 174.

TITVLVS II.

DE PECCATIS.

Cap. I. De Peccato actuali eiusque effectibus. *Peccati actualis definitio & diuisiones. 176. differentia specifica & numerica peccatorum. 179. Cur DEVS non sit caussa & author peccati actualis. 181. de peccato habituali aliisq; effectibus peccati actualis. 182.*

Cap. II. De peccato originali. *Existentia & essentia*

sentia peccati Originalis. 185. modus propagandi in posteros peccatū originale. 187. de effectu magis proprio peccati originalis, qui est corruptio naturæ. 190.

TITVLVS III.

DE LEGIBVS.

Caput. I. De lege in genere. 192.

Cap. II. De lege Naturali. 195.

Cap. III. De Lege Divina. *Mosaica. 201. Evangelica seu gratiæ. 204.*

Cap. IV. De lege humana. *de authoritate humana ferendi has leges. 205. quomodo lex humana præcipere possit actum internum. 208. De obligatione legis. 209. de interpretatione. 214. de cessatione & abrogatione totali. 224. de dispensatione. 226.*

Cap. V. De Consuetudine. 227.

Cap. VI. De Privilegijs. 228.

Cap. VII. De Censuris Ecclesiasticis. *censuræ in genere. 232. Excommunicatio 235. Suspensio. 237. Interdictum. 238.*

TITVLVS IV.

DE GRATIA.

Caput. I. De gratia Actuali. *definitio gratiæ & diversi status humanæ naturæ. 241. divisiones gratiæ faciliores. 243. Gratia sufficientis & efficacis differentia. 246.*

Cap. II. De Necessitate gratiæ. *Error Pelagij semipelagianorum & aliorum. 248. de necessitate gratiæ ad bonum morale naturale. 250. ad actus meritorum*

meritorios supernaturales. 252. quomodo omnes habeant gratiam sufficientem ad consequendam salutem. 254. De necessitate gratiæ ad vincendas tentationes & vitanda peccata. 258.

Cap. III. De Gratia habituali & Iustificatione. 262.

Cap. IV. De Merito. *divisio in condignum & congruum. 264. de existentia meriti. 264. de conditionibus requisitis ad meritum de condigno. 265. de termino meritorum. 268.*

LIBER TERTIVS.

TITVLVS. I.

DE VIRTVTIBVS THEOLOGICIS FIDE SPE ET CHARITATE.

CAPVT. I. De Virtutibus Theologicis in genere. 269.

Cap. II. De Obiecto materiali & formali Fidei divinæ. 271.

Cap. III. De Regulis externis Fidei. 275. *sacrâ. scripturâ. 276. Traditionibus. 276. Ecclesiâ. 277. Romano Pontifice. 280. Concilijs. 281.*

Cap. IV. De Obscuritate Fidei, 283.

Cap. V. De Credibilitate Mysteriorum Ecclesiæ Catholicæ, 285.

Cap. VI. De certitudine & Firmitate actûs Fidei. 296.

Cap. VII. De supernaturalitate Fidei. 299.

Cap. VIII. De necessitate Fidei ad salutem.

De

De actu interno. 301. *De actu externo.* 305.

Cap. IX. De habitu Fidei eiusque subiecto & vitio Infidelitatis opposito. 308.

Cap. X. De spe Theologica. *Natura & obiectum formale spei.* 311. *subiectum.* 313. *de Præsumptione.* 314.

Cap. XI. De Charitate. *obiectum formale.* 315. *charitatis augmentum.* 317. *ordo.* 318. *Correptio Fraterna.* 322. *Scandalum.* 323.

TITVLVS. II.

DE IVSTITIA ET JVRE. 325.

Cap. I. De natura & essentia Iustitiæ & Iuris. *Iustitiæ divisio in quatuor species.* 326. *Definitio iustitiæ commutativæ.* 328.

Cap. II. De Dominio aliisque juribus realibus. *de Dominij definitione & divisione.* 332. *de servitutibus.* 333. *De possessione.* 335. *de varijs dominorum classibus.* 337. *de modis acquirendi Dominium Iure gentium.* 341. *De modo acquirendi per vsucapionem seu præscriptionem.* 342.

Cap. III. De Injurijs & Restitutione in genere. 347.

Cap. IV. De Iniurijs in bonis Fortunæ. 351.

Cap. V. De Iniurijs in bonis famæ & honoris. *de Iudicio temerario.* 355. *detractione.* 358. *de Notoreitate excusante.* 359. *de obligatione & modo restituendi famam.* 371.

Cap. VI. De injurijs circa corpus suum & proximi.

ximi. *Nece ſuiipſius.* 363. *Nece Innocentis.* 346. *Aggreſſore & provocantc ad duellum.* 366. *Stupratore & Adultero.* 367.

Cap. VII. De obligatione operantium ad damnum injuſtum. 367.

TITVLVS III.

DE RELIGIONE ET RELIQVIS VIRTVTIBVS JVSTITIÆ ANNEXIS

Caput I. Religionis in genere definitio & actus. 369.

Cap. II. De Juramento. *Eius definitio & diviſio.* 370. *Conditiones requiſitæ ad licitum Iuramentum.* 373. *De modis infirmandi Iuramentum.* 374.

Cap. III. De Voto. *Definitio eius & diviſio.* 375. *Poteſtas tollendi obligationem voti.* 376.

Cap. IV. De Statu Religioſo. *Quidditas huius Statûs* 378. *Origo Religionum in communi* 380. *Diverſitas Religionum.* 381. *Perfectio Religionum.* 385.

Cap. V. De Vitijs Religioni Oppoſitis, 386.

Cap. VI. De reliquis Virtutibus Juſtitiæ annexis. 388.

TITVLVS IV.

DE FORTITVDINE ET TEMPERANTIA ANNEXISQVE VIRTVTIBVS.

Caput I. De Fortitudine. 390.
Caput II. De Temperantia, eiúsque partibus. 391.

LIBER QVARTVS.

DE INCARNATIONE VERBI ET SACRAMENTIS.

TITVLVS I.

DE INCARNATIONE VERBI. 396.

Caput I. De possibilitate & convenientia Incarnationis. *Eius possibilitas. 397. Convenientia. 398. Existentia. 399.*
Caput II. De necessitate Incarnationis. 400.
Caput III. De Caussa Finali & meritoria Incarnationis. 402.
Caput IV. De ipsa Incarnatione secundùm se eiúsque terminis. *Error Nestorij & Eutichetis* 405. *Vnio hypostatica.* 407. *Termini Vnionis.* 407.
Caput V. De sanctitate Humanitatis Christi. 409.

Caput

Caput VI. De Scientia Christi. *Visione beatâ.* 412, *scientia infusa per se* 413. *acquisita & experimentali.*

Caput VII. De impeccabilitate Christi & carentia fomitis.

Caput VIII. De Libertate Christi. *Circa mortem subeundam.* 418. *Conformitate cum voluntate Divina.* 419. *Libertate quoad imperfectiones morales.* 422.

Caput IX. De Præmijs meritorum Christi. 423.

Caput X. De Servitute & Adoptione Christi. 425.

Caput XI. De Adoratione Christi. *Adoratio in genere.* 427. *Latriæ Christo debita.* 428. *Adoratio Sanctorum & Imaginum.* 430.

Caput XII. De Communicatione Idiomatum. 432.

TITVLVS II.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

Caput I. De Natura Sacramenti dogmaticè accepti 436.

Caput II. De Materia & Forma Sacramentorum novæ Legis in genere. 440.

Caput III. De Sacramentorum Causalitate & Effectibus. 441.

Caput IV. De Causa Efficiente tam principali,

quàm ministeriali Sacramentorum. *Author eorum. 445. Convenientia Institutionis. 446. Numerus in nova Lege. 447. Status & intentio Ministri. 449. Objectum Intentionis. 449. Qualitas Intentionis sufficientis. 451. Intentio conditionata. 454. Contrarietas Intentionum. 456.*

Cap. V. De suscipiente Sacramentum. 457.

Cap. VI. De Sacramentalibus. 460.

TITVLVS III.

DE BAPTISMO.

Caput I. De Baptismi Natura & partibus. *Eius definitio. 462. Institutio. 463. Materia. 463. Forma. 465.*

Caput II. De Ministro & Patrinis. 465.

Caput III. De proprietatibus Baptismi Irreiterabilitate & Reviviscentia. 468.

Caput IV. De suscipiente Baptismum, eiúsque dispositione. 470.

Caput V. De specialibus Effectibus Baptismi. 473.

Caput VI. De divisione Baptismi in Fluminis, Flaminis & Sanguinis. 475.

Caput VII. De necessitate Baptismi. 476.

TITVLVS IV.

DE CONFIRMATIONE.

Caput I. De huius Sacramenti institutione & Essentia. 477.

Caput

Caput II. De Materia & Forma Confirmationis. 482.
Caput III. De Ministro Confirmationis. 482.
Caput IV. De subjecto & Effectu Confirmationis. 483.

TITVLVS V.

DE EVCHARISTIA.

Caput I. De Materia remota circa Quam Evchariſtiæ. 485.
Caput II. De reali præſentia Corporis & Sanguinis Chriſti in Hoſtia & Calice. 488.
Caput III. De Converſione Panis in Corpus & Vini in Sanguinem Chriſti. 491.
Caput IV. De Forma Conſecrationis. 495.
Caput V. De illis, quæ vel vi verborum, vel per concomitantiam ponuntur in Evchariſtia. 497.
Caput VI. De accidentibus Panis & Vini remanentibus in Evchariſtia. 499.
Caput VII. De partibus conſtitutivis Evchariſtiæ. 501.
Caput VIII. De Unitate & Neceſſitate Evchariſtiæ. 504.
Caput IX. De Miniſtro. 506.
Caput. X. De Effectibus. 507.
Caput XI. De Diſpoſitionibus prærequiſitis. 509.

Caput XII. De Eucharistia ut est Sacrificium. 510.

TITVLVS VI.

DE POENITENTIÆ VIRTVTE ET SACRAMENTO. 514.

PARS PRIOR.

DE POENITENTIÆ VIRTVTE.

CAPVT I. De Genere & Differentia huius Virtutis. 515.

Caput II. De objecto materiali circa Quod ut emendandum versatur. 518.

Caput III. De Contritione, ut est præcipuus actus ad delendum peccatum. 520.

Caput IV. De necessitate Pœnitentiæ. 522.

Caput V. De Effectibus Pœnitentiæ. 525.

PARS SECVNDA.

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

CAPVT I. De Institutione & partibus huius Sacramenti. 529.

Caput II. De Forma. 531.

Caput III. De dolore & proposito requisito. 532.

Caput IV. De Confessione eiúsque Materia circa Quam. *Peccatis dubijs.* 535. *Circumstantijs.* 536. *Sufficiente Confessionis integritate.* 539.

Caput V.

Caput V. De Neceſſitate Sacramenti huius. 541.
Caput VI. De Miniſtro, *eius approbatione & reſervatione peccatorum.* 543.
Caput VII. De Sigillo Confeſſionis 548.
Caput VIII. De Satisfactione Sacramentali. 550.
Caput IX. De Suffragijs & Indulgentijs. 551.

TITVLVS VII.

DE EXTREMÆ VNCTIONIS SACRAMENTO.

Caput I. Exiſtentia huius Sacramenti. 553.
Caput II. Materia & Forma. 554.
Caput III. Miniſter & ſubjectum capax. 556.
Caput IV. Effectus & Neceſſitas huius Sacramenti. 557.

TITVLVS VIII.

DE SACRAMENTO. ORDINIS.

Caput I. De exiſtentia & numero Ordinum. 559.
Caput II. De ſingulorum Materia & Forma. 564.
Caput III. De Miniſtro Ordinis. 567.
Caput IV. De ſubjecto capaci & effectu. 568.
Cap. V. De Ordinum impedimento, hoc eſt, Irregularitate. 571.

Caput VI. De Privilegio Fori Clericis competente. 572.

TITVLVS IX.

DE SACRMENTO MATRIMONII.

Caput I. Jnſtitutio & Eſſentia huius Sacramenti. 574.

Caput. II. Miniſter & ſubjectum huius Sacramenti. 577.

Caput III. De impedimentis dirimentibus jure naturæ *Error.* 580. *Conſanguinitas.* 581. *Ligamen. Impotentia.* 583. *Metus.* 584.

Caput IV. De Jmpedimentis Jure poſitivo dirimentibus. 587.

Caput V. De Sponſalibus. 592.

Caput VI, De Matrimonij *Indiſſolubilitate.* 599. *Obligatione conjugali.* 602. *Divortio.* 603.

INSTI-

INSTITVTIONVM THEOLOGICARVM *LIBRI QVATVOR*

RESPONDENTES PARTIBVS SVMMÆ S. THOMÆ.

AD VSVM ET PRÆPARATIONEM STVDIOSÆ JVVENTVTIS, PER FACILIORA THEOLOGIÆ DOGMATA AD SVBTILIORES ILLIVS CONTROVERSIAS IN Scholis addiſcendas aſpirantis; nec non aliorum, qui ſcholaſticis ſubtilitatibus vel impares vel non indigi, communioribus, & primis Theologiæ principijs inſtrui deſiderant, conſcripti.

SCOPVS, ET DISTRIBVTIO OPVSCVLI.

Quod ab aliarum Diſciplinarum Facultatibus cum inſigni ſtudioſæ juventutis emolumento factũ experimẽto docemur, ut Elementares Inſtitutiones conſcriberentur, quibus futuri earundem Facultatũ alumni privato & facili ſtudio ſibi pararent aditum, manúq; ducerentur ad ipſas deinde diſciplinas, Magiſtrorum ſuorum auſcultatione

faciliùs capessendas, quarum videlicet Ideam jam animo concepissent, nec penitùs ut rasa tabula, sed primis tradendorum lineamentis imbuti Scholas accederent: visum Superioribus est, Theologiæ Studiosis haud minùs consultum fore (quacunq; tandem ex caussâ hucusq; prætermissum id fuerit) si post absolutum Philosophiæ curriculum, animum ad Theologicum studium applicaturi, huiusmodi Institutionibus, & quasi Theologiæ rudimentis juvarentur, ex quibus proprio marte atque industriâ, nullâ alterius operosâ instructione requisitâ faciliora possent addiscere passimque recepta: Quæstiones verò inter Doctores controversæ, sine discussione ullâ, verbo solùm suo quæque loco annotarentur; unde perspicere possent, in quibus & quo ordine deinceps essent copiosiùs erudiendi. Hanc curam ex voluntate Superiorum suscepi, discipulorum præcipuè bono, deinde eorum etiam, qui speculationum pertæsi desiderant vel addiscere, vel in memoriam revocare, quæ ipsos ignorare, ex officij ratione non decet. Ad scopum itaq; præfixum tria præstare conatus sum. Primum: tradere rerum Theologicarum definitiones, divisiones, ac terminorum explicationes: Secundum, Assertiones receptas, à quibus plerúmque sine

aliquâ

aliquâ improbabilitatis ad minimum notâ non licet in scholis nostris recedere, aliquo sacrarum litterarum aut approbati Concilij testimonio, & ubi materia fert, ratione naturali stabilire: cùm enim incipientibus studium Theologicum, ad disputationes instituendas nonnunquam opportunum sit, posse doctrinas alibi tradendas supponere, atque inde ad eam, in quâ hærent controversiam argumentari, instantiisque premere, poterunt ex hoc opusculo peti. Tertium, quæstiones controversas in Scholis prolixè tradendas, & in utramque partem disputandas nudè referre, & quidem variato charactere, in hunc finem, ut possint studiosi certa ab incertis secernere, & à præcipiti festinatione multa ante tempus intelligendi sibi temperare, quæ festinatio non paucos in hoc studio turbat, & varia Magistris incommoda creat. Quodsi præterea nonnunquam (in tractatione Legum & Sacramentorum præcipuè) aliquas probationes in quæstionibus etiam controversis attuli, factum est, quia breviter poterant expediri, & quia illæ quæstiones in Scholis plerúmque prætermittuntur. Vltra hæc quisquis amplius ab hoc opusculo exspectat, à scopo nostro aberrat. Authores non refero. discipulos enim ad auctores ablegari non

expedit, ne Magistros prævertant, suísque opinionibus præoccupati minùs dociles evadant.

Placuit inscribere Institutiones, *eásque in quatuor distribuere Libros, quorum primus respondet primæ parti Summæ D. Thomæ, Secundus & tertius duabus partibus, in quas divisa est secunda pars Summæ, ac denique quartus respondet tertiæ parti. Quemadmodum enim harum Institutionum scopus cum alijs est communis, ita & Inscriptio ac Divisio non debebat absimilis esse, & ex ipso statim Titulo, jam in alijs familiari, & noto, ipse Libelli scopus elucere.*

Denique, his Institutionibus etsi Theologiæ scholasticæ præcipuè servire jussus sim, Theologiæ tamen morali eoúsq; prodesse conatus sum, ut generalia fundamenta passim exhiberẽ, missis corollarijs, & particularibus applicationibus, quarum infinitâ propemodum multiplicatione ac repetitione immensa denique volumina nascuntur. Quæ in tract. de Justitiâ & Iure potuissent ex Jure Civili afferri, & à multis Theologis copiosè tractantur, ut de Iudicijs & Contractibus, de varijs Dominiorum speciebus & subjectis, &c. potius ex Institutionibus Juris petenda sunt.

PRO-

DE THEOLOGIA.

THeologiæ nomine intelligitur hoc loco Habitus discursivus, cujus conclusiones propriæ ac principales innitantur præmissis vel ambabus revelatis, vel saltem unâ revelatâ, alterâ naturaliter evidenti. Hinc Conclusio Theologica differt ab actu Fidei infusæ, quòd hic immediatè nitatur ipsâ DEI veracitate in loquendo, & revelatione divinâ tanquam objecto formali adæquato, Theologia verò non nisi mediatè, hoc est, mediante Mysterio revelato, & pro præmissâ assumpto innitatur ipsi revelationi, & veracitati divinæ. Hæc differentia est certa; alia est dubia pendens ex illâ controversiâ, an Fides sit formaliter discursiva, de quâ agitur in Secundâ Secundæ.

Dividitur Theologia in Positivam, & Scholasticam latiùs sumpto hoc vocabulo. Positiva est, quæ occupatur potissimùm in explicando sacræ Scripturæ sensu, utens præcipuè Authoritate SS. PP. Dicitur *Positiva*, quia ponit & stabilit præcipua fundamenta locósque argumentationum Theo-

logicarum. Theologia Scholastica dicitur, quæ conclusiones suas accuratiùs & uberiùs propugnat.

Scholastica hoc modo sumpta subdividi potest in Controversisticam, Moralem, & Speculativam, sive Scholasticam antonomasticè ac specificè dictam. Controversistica est, quæ Mysteria Fidei contra Hæreticos defendit, eorum argumenta non quidem evidenter positivè solvendo, hoc est, non ita ut evidenter ostendat illorum contradictorias esse veras; evidenter tamen negativè solvendo, hoc est, ostendendo eorum contradictorias esse prudenter fide divinâ credibiles, & consequenter, hæreticorum argumenta non esse evidentia.

Moralis Theologia totum sibi vendicat, quidquid in Theologiâ practicum est, docétque ex principijs Theologicis *declinare à malo, & facere bonum.* Quia tamen Theologiæ Morali, prout hodie seorsim traditur, nimis operosum foret, & ultra Scopum ab ipsâ intentum (qui est, bonos animarum Pastores efficere) si suas conclusiones omnes vellet ad prima principia reducere, ac severiore, magísque philosophicâ seu conten-

contentiosâ methodo discutere, ideo factum est, ut generaliora quædam principia, de Actibus Humanis, Legibus, Justitiâ, Sacramentis, alteri Scholæ stabilienda relinqueret. Est itaq; Theologia Speculativa, seu Scholastica specialiter dicta, cujus finis magis in cognoscendo quàm agendo cõsistit, cujusq; objectum præcipuum non est eligibile sed necessariũ; moréq; philosophico & accurato speculatur; unde fit, ut præ cæteris Theologiæ partibus scholasticis exercitijs & altercationibus opus habeat, multùm ab Animastică & Metaphysică pendeat, ex quibus, quæ sibi necessaria sunt, supponit, non verò ex officio tractat. Porrò de hujus utilitate non attinet dicere, cùm experientia nos doceat, quantum detrimẽtum Religio Catholica sit passa in illis partibus, in quibus Theologiæ studium minùs in pretio fuit; eo verò restituto, quantùm hæreticorũ progressus inhibiti sint, ipsorum hæreticorum querelæ confirmant.

An Theologia vocanda sit Scientia, an Sapientia, lis est de vocabulo, & utróq nomine digna est; quod enim in evidentiâ deficit, supplet, & abundè compensat certitu-

dine: cæterùm in hoc puncto quivis sentiat ac philosophetur conformiter ad ea, quæ in Logicâ de differentijs Habituum ac Virtutum intellectualium didicit: illud certum est, non habere illas proprietates, quas ad Scientiam requirit Aristoteles, ut in progressu patebit.

Objectum complexum materiale Theologiæ est omnis propositio objectiva, quæ per consequentiam connexa est cum principio aliquo Fidei divinæ; nam quæcunque hujusmodi est, inferri potest ex motivo formali Theologiæ, ut constat ex dictis. Hinc sequitur, non solùm DEVM esse subjectum, seu objectum incomplexum Theologiæ, quia de plurimis alijs probat aliquid Theologia per connexionem cum principijs revelatis, ut de Angelis, de Actibus humanis, Sacramentis.

Objectum Attributionis unicum est DEVS. Hoc probari potest diverso modo, pro diversitate opinionum philosophicarum circa regulam assignandi objectum attributionis in quacunque Scientiâ vel Arte. Alij enim desumendum esse volunt ex intrinsecâ & naturali ordinatione cognitio-

gnitionum ad meliorem cognitionem alterius objecti eiusdem scientiæ; atqui (subsument isti) omnes cognitiones Theologiæ ex naturâ suâ sunt idoneæ ad causſandã meliorem cognitionem DEI, non tamen econtra; ergo omnia alia sunt objecta attributa, & solus DEVS objectum Attributionis. Alij verò volunt objectum Attributionis ultimatè desumendum esse ab ordinatione extrinsecâ, nempe ab intentione illorum, qui primi scientias instituerunt, & ab invicem diviserunt, diversis diversa nomina imponentes, certúmq; objectorum terminum præscribentes; ac proinde illud omne & solum esse objectum attributionis alicujus scientiæ, quod ex primæva intentione saltem aliquando per se & propter se considerabile est, esto aliàs etiam ad aliud ordinetur; neque repugnat in horum sententia, idem in eadem scientia esse objectũ, attributum, & attributionis, sub diversâ consideratione. Jsti itaque hic subsument: atqui quidquid à Theologo quà tali consideratur, eâ solùm intentione consideratur, ut melius cognoscatur DEVS, vel, secũdùm se, velut finis à nobis consequendus (nam

si quid huc non conduceret, à Theologo quà tali non esset curandum) ergo.

Hinc ulterius constat, rationem formalem QVÆ esse ipsam Deitatem, quæ (saltem nostro concipiendi modo) est radix cæterorum Attributorum & Relationum tam ad intra, quàm ad extra. Ex his

Controversia nascitur, utrũ Habitus Theologiæ sit supernaturalis, nécne, & quomodo ab Habitu Fidei distinguatur: item an per suos actus assertivè attingat objectum formale Fidei.

Loci Theologici, ex quibus nimirum Theologia sua argumẽta depromit, decem enumerantur. Sacra Scriptura, Traditiones, communis Ecclesiæ Sensus, Definitiones Conciliorum, Decreta Pontificum, Sententiæ Patrum, Doctrina Theologorũ, Ratio naturalis, Dicta Philosophorum, Narrationes historicæ. Angelicus Doctor S. Thomas Theologiam in suâ Summâ complectitur, quam divisit in tres partes. In primâ agitur de DEO, & Angelis, nam cætera ad Philosophiam remittuntur.

Secundam partem subdividit in duas alias, quarum priorem vocat *Primam Secundæ*, alteram verò *Secundam Secundæ*. In

Primâ

Primâ Secundæ agitur de fine hominis, ejuſdem actibus, vitijs & peccatis (quæ de Paſſionibus, Habitibus, ac Virtutibus in genere hîc tradit, Philoſophis relinquuntur) itē de Legibus (quam tractationem multi ad Theologiam moralem remittunt) ac denique de Gratiâ. In *Secundâ Secundæ* de virtutibus in ſpecie, tam Theologicis, quàm Moralibus; ex his poſterioribus Scholaſtica ſolam Juſtitiam tradit. In tertiâ parte de Incarnatione, & Sacramentis. ex his Scholaſtici duo præcipuè examinant, Evchariſtiam, & Pœnitentiam, Profeſſores verò hoc ordine per quatuor annos materias dividunt. Primo anno unus tradit de Deo uno & trino: alter de Juſtitiâ. Secundo anno unus de Angelis, beatitudine, & Voluntario, alter de Incarnatione. Tertio, unus cætera ex Primâ Secundæ abſolvit; alter de Sacramentis in genere, & Evchariſtiâ. Quarto, unus de virtutibus Theologicis, alter de Pœnitentiâ, & ſi per tempus licet de Ordine & Matrimonio.

INSTI-

INSTITVTIONVM THEOLOGICARVM.

LIBER I.

DE DEO, ET ANGELIS.

TITVLVS I.

DE DEO, VT EST VNVS IN NATVRA.

CAPVT I.

DE EXISTENTIA DEI, ESSENTIA, ET ATTRIBVTIS DIVINIS IN GENERE.

§. I. *EXISTENTIA DEI.*

NOmine DEI intelligitur Ens perfectionis illimitatæ, primum, à 1
se ipso existens, à quo, quidquid præterea existit, dependet; non- 2
solùm ut à Causâ efficiente, sed etiam ut à fine. Quæ prædicata cùm sint inter se essentialiter connexa, & convertibilia, hoc ipso 3
qui illa intimè penetraret, non minus determinaretur ad hoc judicium: DEVS *existit*: quàm determinamur ad hoc: *Totum est majus*

suâ

suâ parte penetrãdo quid sit *Totum*, quid *Pars*. Et hoc sensu dicitur hæc veritas: DEVS *existit*: nota per se *secundùm se*. non est tamen nota per se *quoad nos* seu respectu nostri, quia prædicata illa non ita penetramus, ut sine alio medio & adminiculo determinemur ad asserendam existentiam DEI.

Argumenta, quibus intellectus bene dispositus convinci potest ex illis, quæ immediatè cognoscimus, & experimur, ad inferendam DEI existentiam, alia continent evidentiam moralem, qualem ex: gratiâ continent indubitata tot voluminum testimonia, quòd aliquando exstiterit Julius Cæsar & Roma, & 4
qualis cõtinetur in ordinatissimâ fabricâ, quòd 5
exstiterit aliquis illius ingeniosus architectus, alia continent evidentiam metaphysicam, fundatam in principijs naturæ lumine ita notis, ut penetratis terminis nec à protervo quidem possit assensus suspendi. Priora serviunt ad suadendam existentiam etiam rudioribus non penetrantibus metaphysicas ratiocinationes. 6

Hujusmodi sunt 1. omnium gẽntium & hominum perspicacissimorum de existentiâ DEI consensus, etiam eorum, qui sceleratè viventes, si possent, inclinarent utique intellectum ad negandum DEVM, ut à conscientiæ remorsu se præstarent immunes, atqui hos

omnis

omnes falli non potest rationabiliter cogitari: Ergo moraliter evidens est, dari rationes convincentes, etsi à me non perspiciantur. 2. Inventiones novarum artium Reipublicæ utilissimarum arguunt mundum cœpisse in tempore; si enim fuisset humanum genus & mun-
7 dus ab æterno, quis sibi persuadebit nisi protervus, has artes per totam æternitatem latuisse? si autem totus hic aspectabilis mundus in tempore cœpit, evidèter arguitur caussa illius limitativa, & ad hoc potius quàm aliud tempus determinativa. 3. Majus artificium apparet in totius Universi structurâ,
8 quàm in quocunque humano artificio: ergo magis ex illo, quàm ex horum aliquo arguitur artifex, hic autem non potest alius esse quàm DEVS. 4. Evidens est persuasionem existentiæ DEI esse aptissimam ad rectam morum compositionem, persuasionem verò de negatione DEI ad omnem licentiam morúmque dissolutionem viam sternere; recta autem morum compositio est necessaria ad hu-
9 mani generis felicitatem & propagationem; liberrima econtra dissolutio necessariò traheret ejus ruinam, & miseram redderet: ergo vel erat Naturæ necessarium judicium & persuasio falsa de existentiâ DEI ad suam felicitatem obtinendam, quod est evidenter incredibile, vel persuasio DEI est judicium verum.

Hæc

Hæc, hísque similia argumenta talia sunt, quibus nemo nisi insipiens aut protervus dissentire potest juxta illud psal. 5. *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus*, atque etiam de his ad minimum loquitur Scriptura Sap. 13. *Vani autem sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei, & de his, quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui est: neq; operibus attendentes agnoverunt quis esset artifex.* Et paulò pòst v. 5. *à magnitudine speciei & creaturæ cognoscibiliter poterit Creator horum videri.* De ijsdem ad minimum loquitur S. Paulus ad Rom. 1. *Invisibilia enim ipsius à creaturâ mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoq; ejus virtus & divinitas, ita ut sint inexcusabiles.*

Dixi *ad minimum* de his argumentis moraliter solùm evidentibus intelligenda esse, allata Scripturæ testimonia. nam

Controversia est, an etiam de fide sit, posse existentiam Dei metaphysicis argumentis demonstrari, sive solùm à posteriori, sive etiam aliquo modo quasi à priori, vel per caussam quasi formalem, seu ex intrinsecis principijs; & quidem in hujusmodi argumentis pluribus excogitandis strenuè laborant ingenioſi Recentiores.

§. II.

§. II. *Essentia DEI.*

SVbstantia DEI non est corporea, sed Spiritualis. *Spiritus est DEVS.* Joan. 4. dicit Christus volens declarare Judæis, ubique DEVM adorari posse, nec ullo loco excludi. Ad Rom. 1. & 1. ad Tim. 1. invisibilis vocatur. 13 Ratio est. nam omne corpus involvit necessariò plurimas imperfectiones, omnis autem imperfectio repugnat Deo.

Est autem essentialiter *simplex* excludens omnem compositionem realem ex partibus quarum una ut contradistincta à cæteris non sit DEVS, ut definitum est *in c. Firmiter. de Summâ Trinitate* contra Anthropomorphitas 14 & alios hæreticos tribuentes DEO compositionem ex animâ & corpore. Ratio est, quia omnis pars ab aliâ perficienda in ordine ad totum, ad quod ordinatur, essentialiter dicit defectum & imperfectionem ac indigentiam: econtra simplicitas est ex conceptu suo Perfectio: DEO autem omnis perfectio tribuenda, & imperfectio neganda est, hoc ipso, quòd 15 sit Ens, & à Se & illimitatum.

Est itidem DEVS essentialiter unus in Naturâ, immultiplicabilis in pluribus individuis ejusdem rationis. Deuter. 4. *Dominus ipse est DEVS, & non est alius præter eum.* Ergo nec est alius possibilis: si enim esset possibilis, esset actu, cùm de essentiâ DEI sit non posse non esse.

1. Reg. 2.

1. Reg. 2. *Nec enim est alius extrate.* Psal. 17. *Quis DEVS præter DEVM nostrum.* Psal. 85. *Tu es DEVS solus.* Marci 12. laudat Christus sapiens responsum Scribæ: *Vnus est DEVS, & non est alius præter eum.* Ratio est multiplex. Si enim essent duo, essent infiniti, non enim esset assignabilis numerus, ad quem deberet 16
multiplicabilitas restringi. Itē, si plures essent Dij, nullus eorū haberet plenum rerum omniū dominium, ac liberum velle, & nolle independens à consensu alterius. Denique DEVS A. non haberet felicitatem summam excogitabilem, ut præter se posset quidvis tanquam sibi non necessarium contemnere: non enim, posset contemnere alterius DEI existen- 17
tiam. utpote sine qua esse non posset.

DEVS est summè bonus in triplici sensu. Primò bonitate transcendentali, idque longè eminentiùs, quàm creaturæ; nam DEVS non solùm habet omnes perfectiones sibi debitas, verùm etiam omnis perfectio non includens imperfectionem illi debetur: in quo sensu Matth. 19. & Luc. 18. dicitur: *Nemo bonus* 18
nisi solus DEVS. Secundò est bonus bonitate appetibili, cùm sit cumulus omnium perfectionum. unde Psal. 71. dicitur: *Quàm bonus Israel DEVS his, qui recto sunt corde.* Thren. 3. *Bonus est Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti illum.* Tertiò est bonus bonitate mo-

rali. Psal. 144. *Iustus Dominus in omnibus viis suis.* Ps. 118. *Bonus es tu, & in bonitate tuâ doce me justificationes tuas.* Ratio redditur à nonnullis. quia voluntas & beneplacitum Dei est vltimata regula omnis honestatis. implicat autem Deum à suo beneplacito dissentire, hoc enim esset idem velle & nolle.

§. III. *De divinis attributis in genere.*

Attributa aliqua prædicantur de Deo propriè, alia impropriè, & Metaphoricè. Prioris generis sunt omnes perfectiones simpliciter simplices (ut loquuntur Theologi) hoc est, quæ sunt meliores ipsæ, quàm quodvis oppositum illarum exclusivum. hæ omnes Deo necessariò conveniunt; si enim aliqua non conveniret: ergo excluderetur à Deo per aliquod prædicatum minus bonum, quod infinitæ perfectioni manifestè repugnat. Posterioris generis sunt, quæ in suo conceptu proprio imperfectionem involvunt, ut Pœnitentia, dolor, ira, &c. hæc inquam non aliter de Deo dicuntur, nisi demptis imperfectionibus per hæc vocabula significatis: his autem demptis nihil aliud remanet, quàm una ex perfectionibus simpliciter simplicibus.

Attributa divina aliquando accipiuntur latissimè, etiam pro illis, quæ sunt de formali conceptu divinæ Essentiæ (quænam autem illa

illa sint partim ex præcedente §. liquet, partim controvertitur inter Theologos, ut infra notabimus) aliquando strictissimè, pro illis solis prædicatis, quæ sunt DEO & creaturis aliquo modo communia, ut scientia, providentia, potentia, &c. denique & regulariter 22
pro illis prædicatis, quæ aliquo modo concipiuntur quasi subsequentia ad ipsam Essentiam tanquam primam radicem, ut æternitas, immensitas, &c. Vlterius

Attributa alia sunt negativa, alia positiva seu affirmativa. Negativa dicuntur illa; quæ per formalem negationem exprimuntur, & solent octo enumerari in concreto. *Increatus*, 23
Incorporeus, *Infinitus*, *Immensus*, *Immutabilis*, *Incomprehensibilis*, *Invisibilis*, *Ineffabilis*. quibus á nonnullis adnumerantur alia tria. *Simplex*, id est, incompositus. *Vnus*, id est. indivisus. *Æternus*, id est, infinitus in duratione. Affirmativa sunt, quæ positivam perfectionem formaliter exprimunt: ut: Sapiens, Bonus, Omnipotens, &c. Iterum prædicata alia sunt absoluta, alia respectiva, vel ad intra, vel ad 24
extra, hoc est, ad creaturas; & hæc iterum duplicis classis; alia enim sunt necessaria, ut Idea rerum factibilium, Scientia simplicis intelligentiæ, hoc est, rerum possibilium, &c. alia quasi contingentia, seu libera, ut: esse Creatorem, Dominum, &c. Circa attributa in genere nascitur

Controversia I. In quonam prædicato divino formaliter consistat Essentia seu Natura divina, an in TÒ esse à se, *an in Intellectione.*

Controversia 2. An inter Essentiam divinam & attributa aliqua seu absoluta, seu relativa, concedenda sit aliqua distinctio non realis,
25 *major tamen, quàm distinctio mera rationis ratiocinatæ & extrinsecæ. Item an inter attributa absoluta, specialiter inter Intellectionem & Volitionem necessariam possit aut debeat admitti hujusmodi distinctio virtualis intrinseca.*

Controversia 3. Virum Essentia divina includat formaliter attributa cætera, & econtra attri-
26 *buta includant Essentiam, vel sese invicem.*

Hæc de Attributis in genere. nunc ad illa in specie accedamus. & quidem priùs faciliora explicatu sub uno titulo comprehendemus. omissis illis, quæ jam supra declarata sunt, & non nisi latè attributa dicuntur; item illis, quæ vel ex declarandis facillimè deducuntur, vel
27 alibi commodiùs explicantur.

CAPVT II.

ATTRIBVTA DIVINA FACILIORA.

§. I. *Infinitas.*

AD hoc ut aliquod Ens sit Infinitum in Perfectione, inprimis non requiritur,

ritur, ut careat termino intrinseco, prout hoc requiritur ad infinitum in numero, & extensione vel intensione: Ens enim infinitè perfectum sistit necessariò in suâ perfectione & entitate individuali, quam non excedit, ac proinde est terminus suiipsius.

Neque tamen ex aliâ parte ad hanc Jnfinitatem sufficit, superare in perfectione entia imperfectiora possibilia finita in infinitum: alioquin quævis creatura, v. g. Homo esset ens simpliciter infinitè perfectum, quia secundùm communem philosophiam, potest DEVS infra hominem creare entia imperfectiora alia & alia in infinitum nunquam perveniendo ad creaturam imperfectissimam. Requiritur ergo ad Infinitatem Perfectionis negatio termini extrinseci, hoc est, requiritur, ut non sit excogitabile Ens perfectius illo quod dicitur esse infinitum. 28 29

DEVM esse simpliciter infinitum habetur Psal. 144. *Magnitudinis ejus non est finis*, Baruch. 3. *Magnus est, & non habet finem, excelsus & immensus.* Ratio desumitur ex eo, quòd DEVS sit ens à se existens: Ens autem à se existens non potest carere aliquâ reali perfectione excogitabili & identificabili cum ente existente à se: alioquin dabuntur plura entia à se existentia quàm unum, quod repugnat, ut probatum est; ergo illud unum ens 30

à se quod datur, habet identificatas omnes perfectiones excogitabiles non includentes aliquam imperfectionem.

Ex hac Infinitate divinæ Perfectionis deducitur, quo sensu verum sit, DEVM & creaturam, v.g. hominem simul non esse aliquid
31 perfectius, quàm sit DEVS, prout contradistinctus ab homine. non quidem eo sensu, quasi in illo complexo non includantur plura entia bona, quàm includantur in unâ illius parte: hoc enim repugnat primo principio: *Totum est majus suâ parte.* sed hoc sensu, quòd homo additus DEO non constituat aliquod complexum æstimabilius, quàm sit DEVS secundùm se.
32 Ratio est: quia homo prout contradistinctus à DEO ita est perfectio, ut includat imperfectionem: nulla autem imperfectio est amabilis præcisè propter se, est enim mera exclusio boni, sed solùm ratione perfectionis adjunctæ; hæc autem perfectio, quæ in homine adjuncta est imperfectioni continetur in DEO eminenter;
33 ergo id, quod superadditur est mera imperfectio. hæc autem non est apta augere æstimabilitatem. Non ita se res habet in complexo ex Angelo & Homine: nam in homine (& idem dico de quavis creaturâ comparatâ cum aliâ, etiam cum suâ causâ tam univocâ quàm æquivocâ) reperitur aliqua perfectio simpliciter simplex, quæ non reperitur nec formaliter

ter, nec eminenter in Angelo, aut ullâ aliâ creaturâ, sed est homini & DEO communis, prout ostendunt ingeniosi moderni, deducentes ex hoc fundamento necessitatem immediati influxûs divini in omnem effectum. sed 34
hoc ad Philosophiam spectat. Hoc sensu dicitur Devs *Omne Bonum* Exodi 33. & creaturæ dicuntur *nihil & inane quasi non sint*, comparatæ cum DEO. Isa. 40.

§. II. *Immensitas.*

IMmensitas DEI potest dupliciter concipi, primò, quòd DEVS antecedenter ad omnis creaturæ existentiam jam sit diffusus formaliter per Vbicationem substantialem sibi identificatam & virtualiter æquivalentem omni- 35
bus vbicationibus possibilibus in infinitum versus omnes mundi plagas, & hoc sensu disputant Philosophi, an DEVS existat in spatijs imaginarijs extra hunc mundum. Secundò concipi potest Jmmensitas, quòd sit essentialis determinatio, ut DEVS sit præsens omni creaturæ, ubicunque illa existat; & hoc sensu DEVM esse immensum est definitum in Conc. 36
Lateran. *relato in cap. Firmiter cit.* & habetur Ps. 138. *Si ascendero in cœlum tu illic es: si descendero in infernum ades.* Baruch. 3. *Excelsus & immensus.* 2. Paralip. 16. *Cœli Cœlorum non te capiunt.* Ratio est, quia de conceptu Entis infinitæ perfectionis est esse illimitatum: item

posse agere ubicunque libuerit. Atqui sic requiritur immensitas: nam creaturam esse hîc, est perfectio, & nullam dicit imperfectionem, nisi in quantum est hîc accidentaliter, & cum restrictione, ut non sit alibi. Ergo si Deus hîc
37 non esset, careret hâc perfectione: ergo esset limitatus.

§. III. *Æternitas.*

Æternitas Dei definitur à Boëtio: *Interminabilis vitæ tota simul ac perfecta possessio.* acsi diceres: est duratio indivisibilis, invariabilis, interminabilis. Hanc Deo convenire habetur Isa. 41. *DEVS sempiternus Dominus.* Psal. 89, *A sæculo usque in sæculum tu es Deus.*
38 Ratio est evidens. Si enim Deus aliquando incepisset, vel incepisset à se ipso vel ab alio fuisset determinatus, ut inciperet potius modò, quàm priùs aut postea. non secundum, sic enim Deus non esset Ens à se, & ab alio independens: non primum: implicat enim aliquid limitare seipsum, & seipsum determinare ad incipiendum nunc potiùs, quàm priùs, jam
39 enim præsupponeretur existere nunc ad ipsum actum determinativum. præterea, quomodocunque concipiatur determinatio ad esse *nunc primò*, semper sequeretur, Deum esse perfectionis limitatæ, nam ante quodcunque determinatum *nunc* exstitisse est utique perfectiùs & meliùs quàm non exstitisse: ergo jam careret

ret Deus aliqua perfectione, quod repugnat Jnfinitati demonstratæ §. 1.

§. IV. *Immutabilitas DEI.*

Hæc asseritur Malach. 3. *Ego Dominus & non mutor.* Jacob. 1. *Apud quem non est transmutatio. nec vicissitudinis obumbratio.* 40
Ratio est, quia si Deus posset acquirere aliquid in tempore, quod priùs non habuisset, aut amittere quod habuisset, jam non esset simplex, sed compositus saltem ex substantiâ & accidente: atqui hoc repugnat Enti infinitè perfecto, nam omnia habere per identitatem, & sine indigentia ullius creaturæ, est utique 41
perfectiùs, quàm oppositum: hanc autem simplicitatem non repugnare etiam in Ente liberè volente & nolente supponendum potiùs est, quàm probandum, propter definitionem Concilij Later. *relato in cap. Firmiter de Summ. Trinit.* & quomodo ea stet cum liberis actibus Dei, & quomodo Deus sine aliquo superaddito suæ Essentiæ necessariæ potuisset nolle 42
mundum, quem defacto voluit, & velle alium quem defacto noluit, est difficultas omnium gravissima Theologiæ pertinens ad attributum *voluntatis divinæ*, ubi eam notabimus. Item quomodo immutabilitas Dei stet cum assumptione humanæ naturæ, pertinet ad tractatum de Incarnatione Verbi.

§. V. *Incomprehensibilitas* Dei

Comprehensio dupliciter accipitur. in primo sensu dicit terminum viæ seu insecutionis. 1. ad Cor. 9. *Sic currite ut comprehendatis.* Ad Philip. 3. *Sequor si quo modo comprehendam.* & hoc sensu dicuntur Beati *Comprehensores.* 43 In secundo magísque Theologico sensu significat adæquatam rei cognitionem, ita ut tota objecti cognoscibilitas exhauriatur. Communiter ad rigorosam comprehensionem requirunt hoc solum, ut nihil sit in objecto, quod lateat videntem: alij ulteriùs requirunt proportionem inter cognitionis & cognoscentis perfectionem, & objectum. in 44 quo sensu nimis evidens est, Devm esse incomprehensibilem ab alio, quàm â se, cùm nullum ens intellectivum sit ejus perfectionis, cujus est Deus.

Verùm insistendo communiori acceptioni Comprehensionis adhuc dicendum est, Devm esse omnino incomprehensibilem à creaturâ, adeò ut ne quidem à Deo elevari possit ad 45 videndum Devm, ita ut nihil lateat videntem, omniáque prædicata in Deo formaliter distincta discernat. Et meritò plures Doctores existimant hoc esse de fide, cùm in *cap. Firmiter* definitum sit, Devm esse æternum, immensum, incommutabilem, incomprehensibilem, & ineffabilem: quodsi Concilium solùm loqui

voluis-

voluisset de viribus naturæ, satis fuisset dicere, esse Invisibilem, nec debuisset attributum *Incomprehensibilitatis* recensere inter attributa quæ per nullam potentiam aliter se habere possunt.

Ratio cur DEVS sit hoc modo incomprehensibilis, breviter hæc redditur. Ens infinitè perfectum debet habere infinitam cognoscibilitatem: perfectio enim rei & cognoscibilitas æqualiter crescunt. sed non est infinita cognoscibilitas exhauribilis à virtute cognoscendi finitâ; alioquin infinitum adæquaretur & commensuraretur finito: Ergo non potest non esse infinita vis cognoscendi & cognitio, quæ ita cognoscat DEVM, ut nihil restet cognoscibile. 46 47

Hanc rationem & alias plures excolere, & contra varia quorundam Recentiorum ad quidlibet in dubium revocandum nimis propensorum effugia roborare non infimi laboris est in Scholis præstandi.

§. VI. *Ineffabilitas.*

IN sæpe citato cap. *Firmiter* dicitur DEVS *Ineffabilis*, non quidem eo sensu, quasi nullum DEI nomen habeamus, sed quia nullum nomen imponere possumus, quod DEVM quidditativè significet. Hoc sensu asseritur Ineffabilitas à. S. Dionysio Ariopag. c. 1. de divinis nominibus dicentis, *DEI neq; nomen* 48

esse

esse, neq; sermonem. Ratio est, quia in hâc vitâ non possumus DEVM cognoscere quidditativè, sed tantùm ænigmaticè; ergo impossibile est ex hominum conventione & pacto posse imponi nomen, quod aptum sit in audientibus excitare conceptum quidditativum.

49 Quia tamen, ut ex hucusque dictis liquet, habemus cognitionem abstractivam de DEO, quâ illum discernimus à creaturis, non obstante quod illum ad instar creaturarum, & per harum species concipiamus, ideo ad hunc conceptum innumera nomina sunt DEO imposita, cuiusmodi hucusque retulimus, & deinceps referemus in explicandis divinis attri-
50 butis.

§. VII. *Invisibilitas.*

DE Fide est, & in Concilio Viennensi definitum, nullam creaturam intellectualem de facto existentem posse naturalibus viribus, & sine supernaturali elevatione intuitivè cognoscere DEVM. 1. ad Tim. 1. *Rex immortalis & invisibilis.* & c. 6. *Qui lucem habitat in*
51 *accessibilem, quem nullus homo vidit, sed nec videre potest.* Ratio est, quia si homini deberetur visio beata, tunc homo de eâ tanquam maximo suo bono habendo connaturaliter anxius esset, & de ejus absentiâ naturaliter doleret, sicut dolet de carentiâ sanitatis, bonæ famæ, &c. sed hoc est contra experientiam. Aliæ

plures

plures rationes afferri solent pro hac veritate, sed quæ potius serviunt ad decidendam sequentem controversiam. Itaque

Controversia est, an sit possibilis aliqua substantia creata intellectualis, cui connaturaliter debeatur intuitiva cognitio DEI: cujus occasione multi hîc disputant de conceptu Entis quoad substantiam supernaturalis. 52

Subdubitârunt aliqui Theologi, an oculus corporeus elevari possit ad videndum DEVM. sed explicatis terminis assertio negativa debet esse certa, adeò ut affirmativa à nonnullis erronea, vel ad minimum temeraria vocetur. 53

Ratio est, quia nulla potentia cognoscitiva potest elevari ut vitaliter operetur, nisi ad actus quoad modum tendendi proprios tali potentiæ, hoc est, qui licet non exigantur à potentiâ, exigunt tamen ipsi procedere à tali potentiâ, v.g. auris non potest elevari ad odorandum, quia actus & modus tendendi auris 54 sunt auditiones, non odorationes; nam objectum adæquatum auris est sonus, sonus autem odoratu percipi non potest. Jam verò modus tendendi proprius oculi non potest versari circa DEVM: nam objectum adæquatum oculi est color & lux, DEVS autem nec est color, nec Lux.

CAPVT

CAPVT III.

DE VERITATE, SEV VISIBILITATE DEI.

§. 1. *Possibilitas Visionis beatæ.*

55 VEritas objectiva DEI, sicut & cujusvis entis aliud non est, quàm ejus intelligibilitas per cognitionem ipsi objecto conformem. Ad hujus ergo Attributi declarationem spectat Visibilitatis & Visionis DEI examen.

De Fide est, posse per elevationem supernaturalem intuitivè cognosci DEVM ab intellectu creato ita contra Armenos definitum est
56 in Concilio Flor. & Francof. ab Evaristo Papa. & habetur Matth. 5. *Beati mundo corde, quoniam ipsi DEVM videbunt.* 1. ad Cor. 13. *Videmus nunc per speculum in anigmate, tunc autem facie ad faciem.* 1. Joann. 3. Videbimus eum sicuti est. Psal. 35. *In lumine tuo videbimus lumen.* ad Rom. 6. *Gratia autem DEI vita æterna:* quibus ultimis affirmatur visionis su-
57 pernaturalitas. Ratione naturali non potest quidem hæc elevabilitas demonstrari; probabiliter tamen suadetur ratione S. Thomæ desumptâ ex appetitu nobis connaturali ad videndum DEVM, eóque indefectibiliter fruendum: nam licet appetere etiam possimus & soleamus

soleamus impossibilia quando ea vel apprehendimus ut possibilia, vel sub conditione si possibilia essent, non solent tamen hujusmodi objecta universim nobis ut appetibilia objici & proponi, nec ad illa sic cognoscenda & appetenda naturali quasi pondere ferri. Accedit, 58
quòd Intellectus habeat naturalem vim non solùm concipiendi Ens in abstracto, sed DEVM possit cognitione abstractivâ discernere à creaturis, & præterea sit etiam potens intuitivè cognoscere objecta finita: quidni ergo infinita DEI potentia possit supplere defectum in ordine ad cognoscendum hoc modo objectum infinitum, modo tamen finitò, & non 59
adæquante cognoscibilitatem objecti?

§. 11. *De principijs effectivis visionis DEI.*

DIximus, Visionem DEI excedere vires naturales Intellectûs creati, ac proinde opus esse, ut elevetur à DEO. Hanc elevationem fieri defacto per qualitatem aliquam 60
supernaturalem & habitualem, quæ à Theologis *Lumen Gloriæ* nuncupatur, definitum est in Concilio Viennensi *relato in Clement. ad nostrum de Hæret.* ubi damnatur articulus Beguardorum, quòd animæ non indigeant lumine gloriæ ipsas elevante ad DEVM videndum, & eo beatè fruendum.

Posset

Posset quidem DEVS per extrinsecam assistentiam supplere Lumen Gloriæ, ut communior habet sententia, neque enim Lumen Gloriæ influit vitaliter, sed sicut alij habitus supernaturales, vel certè concurrit loco objecti; potest autem DEVS supplere aliorum habituum
61 concursum ut patet in homine peccatore operante actus supernaturales sine habitibus supernaturalibus: connaturalius tamen est infundi Lumen Gloriæ, sicut infunduntur alij habitus elevantes potentiam intellectivam & volitivam ad actus supernaturales.

Non est autem Lumen Gloriæ adæquatum immediatum principium effectivum Visionis,
62 sed necesse est, intellectum immediatè influere. Quod imprimis colligitur ex Concilio Trid. sess. 6. can. 4. ubi agens contra Hæreticos anathema dicit asserentibus, liberum arbitrium velut inanime quoddam nihil omnino agere, meréque passivè se habere. si ergo voluntas influit immediatè in suos actus, supernaturales, quidni pariter intellectus in suos?
63 Accedit ratio Philosophica desumpta ex vitalitate actûs, ob quam exigit procedere à principio vitali quà tali; cujusmodi sanè non est Lumen Gloriæ, utpote indebitum animæ.

Lumen Gloriæ non concurrit ut pura conditio, sed ut caussa; quod constat à paritate aliorum principiorum elevantium aliquam potentiam

potentiam improportionatam. neque perceptibile est, hanc improportionem causſæ naturalis ad effectum supernaturalem producendum posse roborari, & proportionari in ratione causſæ per meram conditionem. Præterea non concurrit in genere causſæ materialis sustentativæ, sed in genere causſæ efficientis. Ratio est, quia intellectus, sicut est per potentiam obedientialem passivam sibi identificatam sufficiens ad sustentandum Lumen Gloriæ, ita etiam ad sustentandam visionem. 64

Controversia prima est, an Lumen Gloriæ concurrat præcisè loco objecti, & sic habeat officium speciei impressæ, vel potiùs an concurrat tanquam comprincipium potentiæ intellectivæ, ita ut DEVS immediatè concurrat in ratione objecti. Quodsi Lumen Gloriæ non habeat rationem speciei impressæ, quæritur ulterius, an saltem possibilis sit species impressa, vel qualitas concurrens loco objecti. 65

Controversia 2. An sicut æqualis intellectus cum perfectiore lumine producit perfectiorem visionem, ita perfectior intellectus, v. g. Angelicus cum æquali lumine, quod habet ipse & intellectus humanus, producat perfectiorem visionem formaliter, hoc est, in modo repræsentandi objectum æstimabiliorem. 66

§. III. *De visionis beatificæ objecto & inæqualitate.*

OBjectum visionis beatæ duplex est, Primarium, nempe DEVS, & secundarium, nempe creaturæ. Ad primarium objectum
67 pertinet, quidquid est identificatum cum DEO, ut sunt Attributa & Personalitates, dicuntúrque contineri in DEO *formaliter*, objecta secundaria dicuntur contineri *eminenter* vel ut in Ideâ.

Circa objectum hoc tam primarium, quàm secundarium posse visiones esse inæquales for-
68 maliter, ita ut una plus discernat in DEO, quàm alia, manifestè ex dictis consequitur. Si enim DEVS videtur, & tamen eâ visione non comprehenditur, imò nec comprehendi potest, ergo talis visio deficit, hoc est, aliquid in DEO non videt, quod tamen videri posset; & quidem infinita restant in DEO visibilia, quæ non
69 videntur, quacunque determinatâ visione positâ; si enim tantùm finita restarent, posset denique visio tam perfecta dari, quæ DEVM exhauriret, illud enim solum incrementum perfectionis non potest dari, quòd visionem transferret ex finitâ in infinitam. Si ergo visio quævis DEI necessariò deficit in infinitis, poterit quâcunque datâ dari alia perfectior in infinitum, ut consideranti liquet. Ratio ulterior

rior est. quia ea diversitas debet reperiri posse in præmio, quæ potest reperiri in merito: sed merita possunt esse inæqualia: ergo & præmium: sed visio est præmium meritorum: ergo debet & visio posse esse inæqualis. Neque refert, quòd Entitas Dei sit indivisibilis & simplicissima: sicut enim non obstante hac simplicitate est inæqualiter participabilis physicè à creaturis inæqualis perfectionis, ita ut v.g. perfectior caussa magis assimiletur physicè Omnipotentiæ divinæ, quàm imperfectior, poterit eâdem non obstante diversimodè participari visio & comprehensio, quâ Deus comprehendit seipsum à visionibus creatis, magis minúsve illi similibus. 70 71

Quin imò de Fide certum est in Flor: definitum *in litt. union. ad Armenos*, de facto visiones Beatorum esse inter se inæquales accidentaliter, sive hæc inæqualitas consistat in majori extensione. hoc est, in ordine ad plura objecta secundaria, sive in majori intensione, si visio beata habeat gradus intensionis, ut plerique supponunt potiùs, quàm probant. sive in majori claritate, si tamen major claritas reperiri potest sine majori extensione, ut aliqui Philosophi existimant. hæc inæqualitas accidentalis asseritur 1. ad Cor. 16. *Sicut stella differt à stellâ in claritate, sic erit resurrectio mortuorum.* 2. ad Cor. 9. *Qui parcè seminat, parcè & metet.* 72

metet. Ratio jam est superiùs insinuata: nempe quia merita Sanctorum fuerunt inæqualia: ergo & præmium erit inæquale: quodsi DEVS non attenderet in præmiando meritorum inæqualitatem, tolleretur hominibus motivum præclarissimum sectandi virtutes.

73 Neque huic veritati Catholicæ obstat Parabola Matth. 20. de denario diurno, ubi Paterfamilias etiam serò venientibus horâ undecimâ æqualem mercedem dat cum illis, qui toto die laborârunt in vineâ suâ. Omissis minùs commodis interpretationibus, intelligenda videtur parabola de Judæis & Chri-
74 stianis, quòd scilicet Christiani, tametsi seriùs ad laborandum vocati, possint tamen per opera bona secundùm se minoris valoris consequi præmium æquale præmio, quod Judæis pro perfectiore opere tributum est, accedente nimirum usu Sacramentorum caussantium gratiam ex opere operato, sed de hoc videndi sunt Interpretes scripturæ.

75 *Controversia prima est, ex quo principio physico oriatur diversitas visionum quoad extensionem ad plures creaturas, an à Lumine Gloriæ determinato ad has & non alias, an verò ab objecto determinante per suum concursum indifferentiam Luminis Gloriæ ad has potius quam alias creaturas videndas; sicut species impressa deter-*

determinant habitum Fidei ad credendum potius hoc objectum, quàm aliud.

Controversia secunda est, an possit dari visio, qua faciat innotescere unum attributum, quin discernatur aliud, v. g. an vi visionis DEI *possit videns scire DEVM esse sapientem, quin vi ejusdem visionis formaliter sciat esse omnipotentem,* 76
aut Trinum. & hæc circa visionis inæqualitatem. Quoad objectum visionis

Conveniunt Theologi, quòd singuli Beati videant omnia Mysteria Fidei, quæ in hoc mundo crediderunt, quod etiam asserit S. Augustinus Lib. de dilig. DEO c. 18. *Quod hîc crediderunt, ibi videbunt.* & Florentinum decr. de Purgat. definit. *Animas Beatorum clarè ipsum* 77
DEVM Trinum & Vnum, sicut est, intueri. Quodsi hoc Mysterium adeò captu difficile vident, non est ratio cur cætera non videant. Ratio est, quia visio succedit Fidei, quæ per visionem evacuatur in patriâ. 1. ad Cor. 13. *Cùm autem venerit, quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est.*

Hinc est, videri à Beatis omnia attributa 78
primaria, seu totalia; vident nempe DEVM esse Omnipotentem, omniscium, &c. quamvis non videant hæc attributa totaliter, hoc est, omni modo, quo cognoscibilia sunt, alioquin comprehenderent DEVM. Vident ergo in DEO esse potentiam, quæ possit producere, quidquid

ex habitudine prædicatorum ad invicem non involuit contradictionem ; quamvis non videant in ſpecie & particulari, quænam illa ſint, quæ non involvant contradictionem, & quæ ſint apta participare ſpecialem aliquam divinam perfectionem.

Conveniunt itidem Theologi, quòd ſinguli
79 Beati videant omnes ſpecies rerum creatarum exiſtentium: Ratio eſt ; quia cùm omnia ſapientiſſimo ordine & connexione ac proportione propter hominem creata ſint, hanc ſpecierum ſymmetriam & concentum meritò & prudenter deſideramus videre in alterâ vitâ; & ad Beatos utique ſpectat videre, quid
80 DEVS illorum amore operatus ſit.

Conveniunt denique, quòd Beati ſinguli videant, quæ peculiari modo ad eorum ſtatum pertinent, v.g. Fundatores Religionum vident propagationem ſui Ordinis, vigorem diſciplinæ, membra Ordinis, ejuſdémque benefactores. Quia verò ad illum qui minùs ſanctus
81 eſt, poſſunt ſpectare plura, quàm ad alium ſanctiorem, hinc exceſſus beatitudinis in ſanctiore proveniet, vel à clariore viſione pauciorum creaturarum, vel à viſione creaturarum non pertinentium ſpecialiter ad Beati ſtatum.

Controverſia eſt prima. An viſio beata poſſit

ſine

sine præjudicio Dominij DEI videre seipsam reflexè ut duraturam æternùm.

Controversia secunda. An creaturæ videantur in DEO tanquam in medio directè cognito habẽte respectum intrinsecum ad ipsum esse creaturarum, & ut sic eas repræsentante, an potiùs caussaliter interveniente discursu virtuali. 82

CAPVT IV.

DE SCIENTIA DEI,

§. I. *Quæ & quibus nominibus tribuenda DEO scientia.*

Idè certum est, in DEO dari scientiam, hoc est, cognitionem certam & evidentem, præcisis omnibus imperfectionibus, quæ admiscentur scientiæ creatæ; & hanc se extendere ad omnia, quæ sine imperfectione cognosci possunt, adeóque scientiam infinitam. Esther. 14. *Domine qui habes omnium scientiam.* Job. 21. *Numquid DEVM docebit quispiam scientiam?* Eccles. 23. *Oculi Domini lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum & profundum abyssi.* Eccles. 42. *Cognovit enim Dominus omnem scientiam.* Ad Rom. 11. *O Altitudo divitiarũ sapientiæ & scientiæ DEI,* 1. ad Colos. 1. *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ DEI.* Ratio est, quia DEVS est beatus: infinitè 83 84

nitè, participabilis à beatitudine creatâ perfectiùs & perfectiùs in infinitum, ut constat ex dictis de Incomprehensibilitate Dei: ergo debet in se continere omnem possibilem beatitudinem creatam: ergo debet esse infinitè sciens. Ratio ulterior. DEVS est ens infinitè
85 perfectum, & habens cognoscibilitatem infinitam: ergo debet huic cognoscibilitati respondere virtus cognoscitiva infinita; hæc autem non est, nec esse potest creata: ergo sola virtus cognoscitiva Dei potest & debet esse, quæ sine ullâ indifferentiâ aut limitatione cognoscat simul & semel, & adæquet
86 totam cognoscibilitatem Dei, eámque comprehendat.

Hæc divina scientia est quidem in DEO actualis cognitio, & hoc sensu correspondens actui secundo creato, non est tamen actus secundus eo sensu quasi procedat ab actu primo; nam cum suo principio identificatur, ut constat ex dictis de simplicitate DEI. Cæ-
87 terùm quia principium cognoscendi in substantijs creatis habet aliquam perfectionem simpliciter simplicem, quam non habet ipse actus secundus, v. g. quòd Intellectus sit substantia intellectiva, & *ut quod*, & sub his terminis non involvitur ulla imperfectio, sicut involvitur sub termino *Potentia*, ideo sub his vocabulis potest rectè Deo tribui hoc prædicatum:

catum: *esse substantiam intellectivam, esse intellectivum ut Quod*; Jtem potest Deo tribui prædicatum *Intellectus*, quatenus nihil aliud significat, quàm non implicantiam cognitionis; sicut non ineptè dicitnr DEVS *Ens possibile*, hoc est, non involvens contradictionem, esto essentialiter existat. Ex eodem fundamento 88
plures tribuunt Deo prædicatum *Speciei intelligibilis*, volentes unicè his vocibus significare perfectionem, quam habet species creata objecti, scilicet esse *intelligibilitatem completam*: hanc enim certum est convenire Deo: quamvis probabilius sit illas voces: *species intelligibilis* explicitè significare complementum potentiæ indifferentis. sicut prædicatum *Habitus* 89
non significat quomodocunq; *facilitatem*, sed supplementum potentiæ imperfectæ, & hoc sensu non potest Deus dici *species intelligibilis* Ex his patet primò, quo sensu possit aut non possit Deo tribui *Memoria*, non quidem sub conceptu *reminiscentiæ*, sed prout significat Ens undique completum ad semper idem 90
intelligendum.

Constat secundò. In Deo non posse admitti opinionem, apprehensionem simplicem, compositionem, divisionem, fidem, deliberationem: hæc enim omnia vocabula non verificantur secluſis omnibus imperfectionibus; econtra posse scientiæ divinæ tribui nomen

Artis, Sapientiæ, Prudentiæ, Judicij, Consilij: nam hæc vocabula usurpantur etiam præcisis imperfectionibus. quam ipsam regulam observavit, & nos observare docuit S. Augustinus lib. 21 ad Simplic. q. 2. tribuens jram Deo, sublatâ imperfectione motûs turbulenti; & retentâ perfectione *vindictæ*.

91 **§. II.** ***Divisiones scientiæ divinæ.***

Dividitur scientia Dei 1. in Præscientiam & Scientiam specialiter dictam. Præscientia est, quæ suum objectum aliquo modo præcedit, nempe vel tempore, vel naturâ, vel saltem virtualiter. hujusmodi est scientia creaturarum secundùm statum possibilitatis
92 respectu earundem ut futurarum, has enim & tempore & naturâ præcedit, quia est causa illarum. respectu verò possibilium non est præscientia, in hoc sensu & rigore; nam vel prædicatum *possibilitatis* est ipsis creaturis intrinsecum & contradistinctum ab ipsâ potentiâ Dei, prout antehac communis tenuit philo-
93 sophia, vel possibilitas rerum est forma rebus extrinseca, nempe omnipotentia Dei intellectualis, seu habens ideam rerum omniũ; ut hodie contendunt Recentiores aliqui: quidquid horum sit verum, patet scientiam Dei non esse priorem, sed vel præsupponere possibilitatem vel illam constituere.

Porrò

Porrò scientia futurorum quà talium est quidem Præscientia quoad tempus, quia tempore præcedit, ab æterno existens, non tamen quoad ordinem naturæ, quia non est causa futurorum, sed potius ordine Logico futuritio creaturarum præcedit: nec enim ideo sunt futuræ, quia DEVS scit futuras, sed econtra, ideo scit esse futuras, quia vi decreti futuræ sunt. 94

Dividitur 2. in scientiam contingentem & necessariam. Contingens est, quæ absolutè potuisset non esse, ut scientia de peccato Judæ. Vnde constat, quænam sit scientia necessaria,

Dividitur 3. in scientiam simplicis intelligentiæ & scientiam visionis, quæ divisio non differt à priore, nisi penes terminos. Prior cognoscit res possibiles quà tales, præscindendo à futuritione. Posterior cognoscit res pro aliquâ differentiâ temporis contingenter existētes. Et quia futura vel sunt futura absolutè, vel conditionatè futura, contingenter & sub conditione contingente, ideo etiam horum objectorum datur in DEO scientia; qualis tamen ea sit, & quomodo cognoscat, 95 96

suum objectum est gravis difficultas suo loco referenda.

§. III.

§. III. *Modus cognoscendi, & objectum scientiæ simplicis Intelligentiæ.*

DEVS cognoscendo seipsum non sistit in se, sed transit ad creaturas secundùm proprium illarum esse eas cognoscendo, sive
97 deinde eas cognoscat in seipso ut in medio, sive in seipsis directè Hebr. 4. *Non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus.* Ratio est, quia esse creaturarum est esse distinctum ab esse divino: ergo cùm DEVS cognoscat omnia, debet nō solùm suum esse cognoscere, sed etiam esse creaturarum. Vlterius, si Deus creaturas
98 non cognosceret, non posset se liberè determinare ad has potius, quàm alias producendas, & consequenter non aliæ essent possibiles, quàm quæ defacto sunt futuræ, quod est absurdum.

Controversia prima. An DEVS, posito quòd creaturas cognoscat in se tanquam in medio, cognoscat insuper eas directè in seipsis.

99 *Controversia secunda. An quatenus cognoscit creaturas, cognoscat se in illis tanquam terminum relationis transcendentalis, quem habent creaturæ ad DEVM.*

Controversia tertia. Quomodo DEVS cognoscat Negationes, & Entia rationis.

§. IV.

§. IV. *De scientia futurorum absolutorum.*

OMne quod est futurum pro aliquâ temporis differentiâ, est contingens, ita ut potuisset non fieri, adeóque semper habet aliquam caussam liberam; DEVM quidem, quando effectus vel producitur immediatè à solo 100
DEO, vel à DEO cum caussa secundâ necessitatâ ad agendum; aliàs verò caussa creata determinat concursum DEI indifferentem ad actus liberos, quos caussa creata ita producit, ut potuisset non producere.

Est autem de Fide, omnia hujusmodi futura à DEO cognosci, etiam arcanissima cordium. 101
Psal. 138. *Intellexisti cogitationes meas de longè, semitas meas, & funiculum meum investigasti, & omnes vias meas prævidisti.* Dan. 13. *Qui nosti omnia antequam fiant.* Sap. 8. *Scit præterita, & de futuris æstimat.* Eccles. 25. *A sæculo & usque in sæculum respicit, & nihil est mirabile in conspectu ejus.* Colligitur etiam ex Prophetarum prædictionibus tam accuratè postmo- 102
dum impletis. Ratio est manifesta: DEVS enim scit omnem veritatem scibilem: sed futura sunt quædam veritas scibilis saltem pro tunc quando existunt: ergo DEVS illa saltem tunc scit: atqui in DEO nulla scientia incipit de novo: alioquin DEVS mutaretur, dum fieret

ex

ex non sciente sciens: ergo scivit ea ab æterno.

Hæc futurorum scientia soli DEO est propria & cõnaturalis. quod colligitur ex Isa. 41. & 44. ubi DEVS divinitatem suam, & idolorum vanitatem probat ex potestate prædicendi futura. Ratio hujus redditur commodiùs in tract. de Angelis, ubi disputatur, an cognoscant secreta cordium & alia futura. 103

Controversia prima. An futuritio actuum liberorum habeat aliquam prioritatem respectu Præscientiæ DEI, & sine hac non possit conciliari libertas creata cum præscientiâ DEI.

Controversia secunda. Quanam sit ratio videndi futura, quandoquidem nec in DEO, nec in rebus creatis existit aliquid determinatè connexum cum actu libero voluntatis creatæ. 104

§. V. *De scientia futurorum conditionatorum.*

ACTVS liberi voluntatis creatæ priusquam sunt absolutè futuri, intelliguntur habere veritatem seu futuritionem conditionatam, hoc est, priusquam absolutè est verum dicere: Judas prodet Christum: erat verum dicere: si Judæ offerretur à Judæis pecunia in talibus circumstantijs, proderet Christum: unde multæ hujusmodi conditionales sunt defa- 105

cto

cto veræ, tametsi nunquam ponetur conditio, & consequenter nec actus liber, ad quem illa conditio prærequiritur, tametsi non nisi liberè & contingenter jungatur actus.

Habet itaque DEVS scientiam, quâ antecedenter ad absolutam futuritionem, & futuritionis absolutæ visionem videt hujusmodi futuros conditionatè effectus infallibiliter, & 106
non tantùm conjecturaliter, ut nonnulli antehac dicere sunt ausi. Ezech. 3. *Si ad illos mitterereris, ipsi audirent te.* Matth. 11. *Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaïda. quia si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent.* Sap. 4. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus*: id est, si non raperetur, pec- 107
caret.

Ratio idipsum evidenter evincit. Nam respectu DEI nihil debet esse fortuitum aut casuale, quidquid per causas secundas eventurum est, sed omnia debent esse DEO deliberatè volita vel electivè, vel permissivè, juxta 108
illud Sap. 11. *Omnia in mensurâ, & numero, & pondere disposuisti*: atqui impossibile esset DEO cavere hujusmodi fortuitos eventus sine scientiâ futurorum sub conditione contingenter connectendâ cum actibus liberis DEI; nam ut existat conjunctio talis conditionis potiùs cum consensu, quàm dissensu, v. g. ut

allocutio

allocutio & interrogatio ancillæ in atrio Pontificis cum internâ illuminatione, quam habuit Petrus non negandi Christum conjungeretur potius cum negatione quàm confessione Christi, determinandum erat à libero Petri arbitrio: ergo ut DEO hæc conjunctio non
109 eveniret præter exspectationem, debuit eam sub conditione futuram prævidere, ut statuere posset, utrum conditionem vellet ponere vel impedire.

Controversia gravissima est, utrum DEVS hac conditionatè futura videat in aliquo suo decreto quoad modum tendendi conditionato prædeterminandi physicè arbitrium creatum ad
110 *actum talem, si tales circumstantiæ ponantur, an potius hujusmodi decretum pugnet cum libertate creatâ, adeóque scientia conditionatorum effectuum sit impedibilis à libertate creatâ, non item à DEO; & hoc sensu rectè vocetur scientia media inter scientiam simplicis intelligentiæ, & scientiam visionis futurorum absolutè.*

§. VI. *De Ideis divinis.*

111 IDea, ut Philosophi tradunt, aliud non est, quàm forma imitabilis proposita agenti intellectuali ad producendum cum illius imitatione effectum. Estque duplex, formalis, nempe ipsa cognitio, & objectiva, quam scilicet tanquam exemplar intuetur idea formalis.

In

In DEO dari Ideas negari non potest, nisi voce tenus. Cùm enim DEVS operetur ut supremus & perfectissimus artifex, Ideas habeat necesse est, & quidem increatas; si enim creatæ essent, procederetur in infinitum, nam & illarum iterum ideas haberet, & sic deinceps: nisi dicere velis, ideam objectivam esse ipsam creaturam, quod esset impropriè dictum, cùm nihil imitetur seipsum, aut dicatur suiipsius exemplar. 112

De his Ideis locutus videtur Paulus ad Hebr. 11. *Fide intelligimus aptata esse sæcula verbo DEI, ut ex invisibilibus visibilia fierent.* 113 id est, ut res, quæ in suis Ideis erant invisibiles, fierent per creationem visibiles. His etiam applicatur illud Joan: 1. *Quod factum est, in ipso vita erat.*

Hæ itaque Ideæ sunt ipsissimæ perfectiones divinæ à DEO primariò cognitæ per sui comprehensionem & participabiles à creaturis. 114 Quia verò ipsa etiam DEI cognitio est à creaturis participabilis, ideo & ipsa habet rationem Ideæ objectivæ, quatenus reflexè cognoscitur ut imitabilis.

CAPVT V.

DE VOLUNTATE DEI,

§. I. *Voluntatis divinæ existentia & divisiones.*

EXistere in DEO voluntatem clamat
115 ubique Scriptura, ubicunque sive Dominium, sive Gubernationem DEO tribuit: hæc enim absque voluntate esse non possunt. Expressiùs verò *ad Rom. 12. Ut probetis quæ sit voluntas DEI, & c. 9. Voluntati ejus quis resistet. Psal. 113. Omnia quæcunq; voluit, fecit. 1. ad Thessal. 4. Hæc est voluntas DEI sanctificatio vestra.* Ratio (ultra alias
116 jam sæpius in simili allatas) est, quia perfectior est intellectus directivus & practicus, quàm purè speculativus: ergo DEO tribuendus. sed intellectus directivus debet habere conjunctam voluntatem, quam dirigat. ergo. Vlterius. DEVS est primum principium efficiens rerum omnium, omniúmque perfectissimum: ergo dignissimum, ad quod tanquam ad finem necessariò omnia referantur: ergo
117 DEVS est necessariò finis productionis rerum, & efficiendo omnia ad se refert Prov. 16. *Vniversa propter semetipsum operatus est Dominus*: sed non potest operatio fieri propter finem sine voluntatis actu: ergo DEVS habet voluntatem. Dividi-

Dividitur voluntas DEI primò in voluntatem *Signi*, & voluntatem *Beneplaciti*. Voluntas *Beneplaciti* est voluntas directa alicujus effectûs; qualis fuit volitio mûndi, & hæc voluntas si est simpliciter & absolutè efficax, nunquam frustratur ultimo suo intento; quando autem est tantùm conditionatè efficax, vel merum desiderium, ut aliquid à nobis fiat, sæpe frustratur. Act. 7. *Vos semper Spiritui sancto resistitis.* Voluntas *Signi* est, quâ DEVS ponit aliquod signum exterius, quo indicat, quid velit vel nolit à causâ creatâ liberâ fieri. itaque in quantum hæc voluntas ponit signũ exterius, est verissima voluntas beneplaciti, quatenus autem versatur circa effectus liberos creaturarum, & se per tale signum manifestat, denominatur voluntas signi, quæ quatenus sincerè desiderat à libero arbitrio fieri, quod DEVS præcipit aut consulit, etiam vocari potest *voluntas beneplaciti:* unde peccando dicitur agere contra voluntatem & placitum DEI. Alij aliter explicant hanc divisionem, & est lis de modo loquendi.

118

119

120

Assignatur autem voluntas signi quintuplex hoc versu comprehensa. *Præcipit, ac Prohibet, Permittit, Consulit, Implet*, hoc est. Præceptum, Prohibitio, Permissio, Consilium, Operatio, seu Oblatio concursûs ad actum. Hæc divisio commodè introducta est ad concilian-

dos varios loquendi modos Scripturæ, tribuentis Deo circa idem objectum velle & nonvelle. v.g. salutem reproborum potest Deus dici velle voluntate signi præcipiendo, offerendo concursum ad merita, cum voluntate conferendi beatitudinem, si bene operarentur, simul etiam dici potest eam nolle voluntate
121 efficaci, quâ eos visis peccatis & finali impœnitentiâ pœnæ æternæ addicit.

Voluntas Dei rursus dividitur in Antecedentem & Consequentem, quæ divisio diversimodè exponitur, solâ vocabulorum dissensione. S. Thomæ expositio est hæc. Deus vult voluntate antecedente illud, quod secundùm suam naturam, præcisis particularibus circum-
122 stantijs consideratum apparet bonum & expetendum, éstque hæc voluntas necdum efficax, vocatúrque voluntas *secundùm quid*. Illud autem vult Deus voluntate consequente, quod etiam secundùm omnes circumstantias consideratum adhuc bonum & expetendum apparet, & hæc semper est efficax. Alij
123 per voluntatem antecedentem intelligunt illam, quæ vult objectum nullâ præsuppositâ occasione ex parte creaturarum: per voluntatem consequentem intelligunt illam, quæ ortum sumit ex aliquo vitio nostro; ut voluntas puniendi hominem propter peccata.

Alij usitatiùs volunt, voluntate antecedente

dente velle DEVM aliquem effectum in tantum, in quantum procurat antecedenter omnia necessaria, ut effectus possit à causâ secundâ poni, cum aliquâ etiam inditâ propensione ad illud ponendum: quo sensu dicitur DEVS velle salutem reproborum. Voluntate consequente vult effectum in seipso cum 124
omnibus circumstantijs requisitis ipsâque cooperatione: quo sensu vult salutem prædestinatorum, non verò reproborum.

§. II. *De libertate voluntatis divinæ.*

DE Fide est DEVM esse agens liberum. Psal. 93. *DEVS ultionum liberè egit.* Continetur etiam in omnibus illis locutionibus, 125
quibus approbatur gratiarum actio DEO præstanda pro acceptis beneficijs; hæc enim supponit libertatem, nam quod quis necessariò agit, non meretur gratiarum actionem. Ratio etiam est evidens: Primò, Omnipotentia DEI non est ex se limitata ad certos effectus producendos, & ex aliâ parte DEVS est Ens in infinitum participabile à creaturâ, ut 126
supra demonstratum est; ergo ut produceret Omnipotentia potiùs hos, quàm alios effectus, debuit ab aliquo determinari: non ab alio, quàm à DEO. & hæc determinatio nec intelligi potest sine libero arbitrio, cui potius

placeat hoc, quàm illud. Secundò, DEVS eſt ſupremus omnium & perfectiſſimus Dominus, timendus & obſervandus, ad quem pertinet poſſe pro libitu obligare, etiam in materiâ ex ſe nec bonâ nec malâ, & tranſgreſ-
127 ſoribus pœnas taxare, eáſq; poſſe condonare, & pro condonatione orari, eámque ſperari: quæ omnia ſupponunt libertatem. Tertiò. Si DEVS fuiſſet neceſſitatus ad volendas creaturas, hoc ipſo non fuiſſet ſibi ipſi ad ſuam felicitatem ſufficiens, ſed alterius indigus; hoc autem eſt contrà conceptum Dei, & contra Scripturam apertam Pſal. 15. *Bonorum meorum non eges.* quo argumento uſus eſt S.
128 Auguſtinus, & cum eo S. Thomas hîc. *ubi nulla eſt indigentia, nulla neceſſitas: ubi nullus defectus, nulla indigentia. nullus autem defectus in* DEO: *nulla ergo neceſſitas.* Quartò. DEVS infinitè ſapiens habuit pro ſigno priori propoſitum ſibi ſufficiens motivum nihil producendi; tum quia bonum erat, non exiſtere cum DEO ullam imperfectionem, omnis autem creatura
129 habet annexam imperfectionem: tum quia cùm omnia non rationalia ſint creata propter naturam intellectualem, & hæc defacto peccaverit, erat ſufficiens motivum ad vel non producendam ullam creaturam, vel ad impediendum peccatum: ergo ad perfectionem DEI ſpectabat hoc motivum poſſe contemne-

re, vel

re, vel ab illo moveri; atqui non est ab illo motus: ergo liberè contempsit.

Volitio libera DEI fuit ab æterno; neque incipit DEVS velle in tempore, quando res ipsę actu ponuntur: Ad Ephes 1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.* Ad Rom. 8. *Quos præscivit, & prædestinavit.* Aliud proinde est, 130
velle in tempore, & velle ab æterno pro certo determinato tempore: & hoc posterius DEO convenit, ut præter alios clariùs exprimit Greg. lib. 12. Moral. c. 2. *Cuncta DEVS futura præsciens, ante sæcula decrevit, qualiter per sæcula disponantur.*

Non ergo tunc primùm aliquid vult DEVS, aut scit esse, quando actu ponitur: & hoc tota semper Ecclesia pro indubitato supposuit, 131
credens, ob merita Christi futura fuisse prius tempore collata dona supernaturalia in antiquo testamento, ab ipso primi parentis lapsu. Ratio est evidens, quia alioquin DEVS ab æterno aliquam veritatem ignorâsset, nempe quid esset futurum: sed non potuit scire futura, nisi voluerit esse futura, nam scientia futurorum sicut præsupponit futuritionem, 132
ita à fortiori supponit caussam illius, quæ alia non est, quàm volitio DEI. Præterquam, quòd omnis ratio, quæ nos cogere posset ad dicendum, volitiones liberas DEI incipere in tempore, cogerent etiam ad idem dicendum de

cognitione & scientiâ visionis. Hinc autem

Controversia prima & gravissima nascitur, in quonam consistat, & cum quo, vel quibus entitatibus identificetur volitio libera DEI: an sit modus quidam Essentiæ divinæ superadditus,

133 *an quædam formalitas identificata cum essentiâ divinâ, quæ quidem potuisset non esse, supposito tamen quòd sit, identificetur cum essentia, a quâ tamen virtualiter intrinsecè distinguatur; an denique sit complexum ex entitate DEI necessariâ, & ipsâ futuritione productionis rerum.*

Ex quibus modis opinandi prima communiter ab omnibus nunc reijcitur, & licet tribua-

134 tur Cajetano, verba tamen illius eam non exprimunt; præterea verò nullum habet apertum assertorem, & meritò, quia inducit in DEVM compositionem, actum & potentiam. Ex posterioribus alterutra est amplectenda, vel potius supponenda ad alias Theologicas quæstiones cohærenter decidendas, esto utraq; gravissimas patiatur difficultates

135 nunquam humano ingenio complanandas.

Controversia secunda, utrum inter Decreta DEI admittendus sit aliquis ordo, ita ut unum ad alterum supponatur, unum præcedat, v. g. visionem futuri effectûs, A. & sit caussa illius, alterum verò sequatur seu præsupponat futuritionem effectûs A. & sit caussa alterius sequentis effectûs, vel utrum possint omnia per unum tam realiter,

realiter, quàm virtualiter indivisibile decretum expediri. Quam quæstionem aliqui infra de Providentiâ universali tractant.

§. III. *De objecto divinæ voluntatis.*

SEipsum DEVS necessariò diligit quoad omnes suas perfectiones. ita ut non possit hunc amorem ullo modo suspendere, ne quidem ex parte. 136 Ratio prima. Quia amare necessariò summum bonum est perfectius, quàm non amare necessariò, adeóque est perfectio simpliciter simplex: atqui hæ omnes sunt in DEO. Secunda. Bonum purum nullum habens admixtum malum, & cognitum quà tale necessitat ad sui amorem; atqui DEVS 137 est hujusmodi bonum, & quà tale cognoscitur à seipso necessariò. ergo. Tertia. DEVS est essentialiter beatus: ergo essentialiter fruitur infinito bono. Quarta. DEVS est necessariò ultimus finis rerum omnium; nam esse talem finem rerum omnium est utique melius, quàm non esse: atqui finis denominatur talis ab amore. 138 ergo. Porro quidam Theologi cæteroqui graves movent hîc de nomine litem, volentes hunc actum voluntatis, quo DEVS necessariò fertur in seipsum, debere potiùs vocari Gaudium, quàm Amorem, eò quòd amor propriè sumptus sonet imperfectionem, nempe præcisionem ab existentiâ & præsentiâ boni ama-

ti. Verùm non est necesse sumere amorem in tam strictâ significatione; adhuc enim propriè dicitur amor, qui est omnium actuum primus præsuppositus à cæteris actibus ejusdem suppositi: hoc autem convenit actui divino.

193 Similis quæstio nominis est, an quando Deus odit peccatorem, hoc odium sit Odium *Inimicitiæ* dicendum, an potiùs *Abominationis*. Nam si vox *Inimicitiæ* aliud non significet, quàm velle malum alteri propter offensam, poterit ita vocari. si verò significet formaliter volitionem mali alterius, in quantum malum alterius reputatur bonum illius qui odit, quatenus loco jacturæ, quam passus est, reponit 140 malum in illo, à quo passus est, & in hoc constituat compensationem, & unicè quiescat in hoc, quòd alteri malè sit, hoc sensu non convenit Deo inimicitia, cùm non possit à peccatore pati jacturam. Job. 35. *Si peccaveris, quid nocebis ei.* Ratio ulterior est, quia finis divini actûs punitivi est, qui debet esse Judicis & Gu-
141 bernatoris, nempe bonum commune, quod resultat ex legibus pœnam statuentibus, earúmque observatione, ad absterrendos alios, vel emendandos etiam reos, si adhuc in statu emendabilitatis versantur. & hoc odium vocari solet *Odium Abominationis*.

Præter se amat quoque Deus creaturas ut

possibiles affectu simplicis complacentiæ. Cùm enim creaturarum possibilitas physicè loquendo sit ipsa DEI Omnipotentia, logicè verò accepta sit fundamentum Omnipotentiæ, non-potest non placere DEO, imò non potest non gaudere DEVS de possibilitate creaturarum, 142
sicut non potest non gaudere de suâ Potentiâ.

Controversia est prima. Vtrum DEVS necessitetur saltem morali necessitate ad volendum optimum ex parte objectorum creatorum, saltem ad volenda optima media ex suppositione quòd velit finem.

Controversia secunda. An voluntas divina saltem ratione ratiocinatâ distinguatur ab Omnipotentiâ DEI. 143

Controversia tertia esse posset, utrum DEVS possit unam creaturam magis amare, quam aliam, nullâ factâ mutatione in creaturâ. quæ quæstio coincidit cum illâ, de quâ agitur in tractatu de Justificatione, an possit DEVS dimittere peccatum sine actuali collatione alicujus entitatis incompossibilis cum peccato. 144

CAPVT VI.

DE OMNIPOTENTIA DEI.

DEVM esse Omnipotentem docet Scriptura sæpius. Gen. 17. *Ego sum DEVS omnipotens.* & passim ubi repetitur solennis illa clausula: *Dicit Dominus Omnipo-*

Omnipotens. Sap. 11. *Omnipotens manus DEI quæ creavit omnia.* Lucæ 1. *Non erit impossibile apnd DEVM omne Verbum.* Ratio est, quia si DEVS non esset Omnipotens, esset excogitabilis perfectior potentia quàm Potentia DEI, quòd repugnat: item deesset DEO perfectio simpliciter simplex, qualis utique est
145 hæc. *posse facere, quidquid non includit repugnantiam spectatâ prædicatorum habitudine ad se invicem.*

Hæc Potentia dicitur Infinita *Intensivè* & *extensivè*. Intensivè quidem, quatenus est potentia, quâ perfectior excogitari non potest, & de hac infinitate loquuntur quidam, cùm
146 dicunt, actionem creandi, etiamsi sit de re minimâ, esse à potentiâ DEI, ut infinitâ simpliciter ex modo agendi ex nihilo, de quo tamen aliqui dubitant, utrum scilicet non possit dari creatura potens creare etiam ut causa principalis. Melius & universalius dici potest, DEVM ad omnem terminum absolutum concurrere ex infinitate suæ Potentiæ intensivâ,
147 quatenus concurrit cum omni modâ independentiâ, seu indigentiâ alterius concausæ, cùm posset solus facere, quidquid facit cum causâ secundâ. Dixi: *ad terminum absolutum.* nam modum actionis pendentis essentialiter à creaturâ non potest solus efficere, hoc enim destrueret essentiam talis actionis, ut ex Philosophiâ

losophiâ constat; ubi etiam probatur necessaria & immediata omnium effectuum dependentia à DEO.

Extensivè infinita est DEI potentia, quatenus in latitudine suorum effectuum non habet terminum.

Omnipotentia DEI aliquando vocatur *Absoluta*, aliquando *Ordinata*. Absoluta dicitur, quando consideratur adhuc quasi soluta omni lege, seu decreto DEI, & ut sic est determinabilis ad multa, ad quæ defacto nunquam determinabitur: quo sensu dicitur aliquid posse, vel non posse fieri, *etiam de potentiâ ab-absolutâ*. Ordinata dicitur, quando consideratur ut alligata jam ordini à voluntate præscripto, vel juxta rerum exigentias; quo sensu dicitur aliquid non posse fieri *de lege ordinariâ*. 148 149

CAPVT VII.

DE PROVIDENTIA, EIVSQVE PRÆCIPVO ACTV, QVI EST PRÆDESTINATIO ET REPROBATIO. 150

§. I. *De Providentiâ in genere.*

PROVIDENTIA aliud non est, quàm Cura futurorum, & definitur à Boëtio; *Divina ratio in summo omnium principe*

principe constituta, quæ cuncta disponit. à S. Thomâ. *Ratio Ordinis rerum in finem.* ab alijs. *Conceptio mediorum quibus unaquæq; res dirigi, & perduci potest ad suum finem, cum proposito illa media conferendi.*

Et quamvis quæstio nominis sit, utrum in-
151 cludat solum actum Intellectûs aut volûtatis, ex ipsâ tamen definitione colligitur utrumq; includi: an verò hunc, vel illum in recto, nihil penitus interest.

Esse verò in DEO Providentiam rerum omnium docet Scriptura. Sap. 6. *In omni providentiâ occurrit illis.* & c. 8. *Attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter.* & c. 12. *Non est alius DEVS, quàm tu, cui*
152 *cura est de omnibus.* & c. 14. *Tu autem Pater gubernas omnia providentiâ* Lucæ 12. tribuit Christus DEO curam etiam vilissimorum. *Respicite volatilia cœli, &c. & Pater vester cœlestis pascit illa.* Matth. 10. *Nónne duo passeres asse veneunt, & unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro.* Ratio est evidens ex dictis.
153 DEVS enim, seu divinum Beneplacitum est rerum omnium, omniúmque eventuum necessarius finis: ergo datur in Deo cognitio practica omnia ordinans, & dirigens ad hunc finem. Præterea Deus liberè applicat suam Omnipotentiam caussis secundis, sive intendendo, sive permittendo effectum subsequentem:

tem: ergo magis illi placet hæc applicatio, quàm non applicatio: ergo nullus effectus est excogitabilis, qui quatenus procedit à Deo, perinde se habeat ad beneplacitum Dei, ac se haberet illius negatio.

Constituitur ergo Providentia Dei primò per Scientiam simplicis intelligentiæ: nisi enim rerum possibilitatem, & aptitudinem, ac proportionem ad se invicem cognosceret, non posset unquam eligere, & efficaciter velle. Deinde includitur scientia conditionatorum effectuum, ut jam supra ostensum est. Denique includitur amor suiipsius necessarius, vi cujus necessitatur, ut omnia ordinet ad seipsum ut finem. 154 155

Dividitur Providentia Dei in naturalem, seu physicam, & moralem. Prior generalis est omnibus, posterior naturam rationalem spectat. Ad priorem pertinet conservare & cooperari causis secundis juxta leges earum intrinsecas, seu exigentias, quibus tendunt in fines suos, contra quas leges non potest quidem Deus plerumque facere, ut ostendunt multis argumentis ingenioſi Recentiores, quandoque tamen potest cursum naturalem immutare ex altiore fine: hinc rectè oramus pro fructibus terræ, pro pluvijs, pro sanitate tam nostrâ, quàm animalium. Quomodo autem Deus hujusmodi preces exaudiat absque 156

mira-

miraculo ab ijsdem prolixiùs declaratur. Hęc Providentia designatur in sacris litteris sæpe nomine Justitiæ, & à Recentioribus *Iustitia Providentialis* appellatur.

Ad Providentiam Moralem spectant leges, consilia, præmiorum & pœnarum constitutio,
157 illuminationes, & similia. Et quia Deus Angelos & homines ad finem supernaturalem elevavit, ideo per media proportionata eos gubernat. Huc spectat etiam, quòd justi in hâc vitâ affligantur; iniqui prosperentur: item miracula, Angelica custodia, dæmonum impugnationes.

158 *Controversia esse potest, an, & quousque Providentia DEI adstringatur legibus naturæ, rerúmque exigentijs.*

Actus bonos hominum pertinere ad Providentiam DEI, & quidem specialem, ac gratiosam, constabit ex dicendis de Prædestinatione, & de Gratia: breviter nunc hæc ratio
159 sufficiat, quòd ipso naturæ instinctu impellamur ad agendas Deo gratias pro hujusmodi actibus: hæc autem gratiarum actio esset stulta, si Deus hujusmodi actus non providisset, sed præter ipsius intentum evenissent.

Insuper & peccaminosi actus subjacent divinæ Providentiæ tanquam præsciti & ordinati, non autem tanquam intenti. 2. Reg. 16. *Dominus præcepit Semei, ut malediceret David.* 3. Reg. 22.

3. Reg. 22. *Decipies & prævalebis, vade & fac ita.* Isa. 63. *Quare errare nos fecisti à vijs tuis, indurâsti cor nostrum, ne timeremus te.* Act. 2. *Hunc definito consilio, & præscientia DEI traditum per manus iniquorum affligentes interemistis.* Ratio jam supra reddita est.

Quando autem dicitur Deus ordinare peccata, non est intelligendum de directâ intentione, vel inclinatione aut electione peccati; sic enim Deus amaret peccatum, & potius vellet, quàm nollet fieri; sed de voluntate & ordinatione permissivâ, quatenus scilicet cognoscès modum eliciendi inde grande bonum, & majus quidem, quàm obtineretur per omissionem peccati, intuitu hujus boni tanquam motivi enervantis motivum suadens peccati impeditionem vult permittere peccatum. 160 161

§. II. *De generali voluntate DEI salvandi omnes.*

DARI in DEO voluntatem sinceram, & desiderium, ut omnes homines salventur, etiam illi, qui defacto damnantur, est fide certum contra Calvinum, & Jansenium Iprensem, asserentes, DEVM antecedenter ad omne peccatum saltem actuale prævisum, absolutè & efficaciter velle omnes, qui non salvantur defacto, damnare & addicere igni 162

æterno. Contra quos ſtant clariſſima Scripturæ teſtimonia. 2. Petri. 3. *Nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti.* 1. ad Timoth. 2. ubi Paulus petens, ut obſecrationes fiant pro omnibus, rationem hanc reddit. *Hoc enim bonum eſt, & acceptum coram Sal-*
163 *vatore noſtro DEO, qui omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* eccè! eos omnes vult ſalvos fieri, pro quibus bonum eſt orare: ſed bonum & DEO gratum eſt orare pro omnibus: ergo omnes vult ſalvos fieri. Deinde his verbis adhortatorijs ſupponitur, fieri poſſe, ut aliqui damnen-
164 tur de facto, pro quibus ſi fuiſſet oratum, fuiſſent ſalvati, & in hunc finem DEVM deſiderare orationes.

Pergit Apoſtolus, & aliam addit rationem, *Vnus enim DEVS, unus & mediator DEI & hominum, homo Chriſtus* IESVS. *qui dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus.* Eccè! ſicut unus eſt DEVS omnium tam ſalvandorum,
165 quàm non ſalvandorum, ita vult DEVS omnes ſalvos fieri. Vlteriùs, illos omnes vult ſalvos fieri, pro quibus Chriſtus mortuus eſt, ut verba clarè ſonant: ſed Chriſtus pro omnibus etiam non ſalvandis mortuus eſt. 2. Pet. 2. *Eum, qui emit eos, dominũ negant ſuperinducentes ſibi celerem perditionem.* 1. ad Cor. 8. *Peribit infirmus in tuâ ſcientiâ frater, propter quem Chriſtus mortuus eſt?* Ratio

Ratio hæc reddi potest. DEVS præbet reprobis etiam media sufficientia ad consequendâ salutem, ut in materiâ de Gratiâ probandum & declarandum est, & quoad adultos indè constat, quòd alioquin nullo præcepto obligari possent. huius autem voluntatis finis non potest esse libertas proxima bene vel 166
malè operandi; nam hæc libertas habet unicè rationem medij: ergo DEVS desiderat bonam cooperationem, & hac mediante consecutionem æternæ salutis: hæc enim in statu elevationis est finis omnium mediorum supernaturalium, quæ etiam reprobis conceduntur.

Controversia tamen aliqua esse potest, in quo 167
signo hæc voluntas sit reponenda, quæ pendet ex aliâ controversiâ supra relatâ de distinctione, vel indistinctione Decretorum liberorum DEI respectu finis & mediorum.

§. III. *De Essentia Prædestinationis.*

PRædestinatio Theologicè sumpta significat Providentiam divinam specialiter 168
gratiosam, quâ DEVS ab æterno constituit atque ordinavit perducere creaturas intellectuales ad vitam æternam

Definitio illius celebris est S. Augustini lib. de bono persev. c. 14. *Prædestinatio Sanctorum nihil est aliud, quàm Præscientia & Præ-*

paratio beneficiorum DEI, quibus certissimè liberantur, quicunque liberantur. S. Thomæ est hæc. *Ratio transmissionis creaturæ rationalis in finem vitæ æternæ.* Clariùs alij sic. *Est ratio ab æterno à DEO præconcepta, & efficax decretum transmittendi quosdam in tempore ad æternam*
189 *beatitudinem.*

De hac loquitur Apostolus ad Rom. 8. *Quos præscivit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & justificavit, quos autem justificavit, illos & glorificavit.*

De fide est, dari in Deo Prædestinationem, tum loc. cit. tum ad Ephes. 1. *Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per* JESVM
190 *Christum in ipsum, secundùm propositum voluntatis suæ.* & supponitur à Trid. sess. 6. c. 12, & can. 16. Terminus huius prædestinationis ultimus est Gloria æterna, intermedij sunt omnia media, quibus ad Gloriam electi perducuntur.

Præscientia & Prædestinatio differunt tan-
191 quam magis & minus latè patens; nam omnis Prædestinatus est præscitus, sed non omnis præscitus est prædestinatus, unde Reprobi *præsciti* dicuntur; tanquam ignobilior præscitorum classis.

Prædestinatio, prout defacto se habet, includit specialem affectum benevolentiæ exhibitæ electis præ reprobis, ex quâ oritur collatio

latio donorum & auxiliorum, quibus infallibiliter salvantur. Proinde omnes Electi sunt defacto saltem virtualiter & æquivalenter prædestinati sine meritis absolutè prævisis, quatenus scilicet in effectu, & quoad æstimationem æquè prodest electis accepisse ex speciali benevolentia gratias efficaces, & finalem perseverantiam ad consequendam salutem, 172
atque si Deus ex directâ & formali intentione salutis ea media contulisset. Hæc benevolentia exprimitur pluribus scripturæ testimonijs. ad Rom 6. *Cujus vult, miseretur, & quem vult, indurat.* Joann. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater traxerit eum.* Consistit autem hic affectus in eo, quòd non solùm velit DEVS 173
prædestinatis dare majus bonum specificativè, sed quia tale est, nempe ideo dat hæc auxilia, quia videt fore efficacia: nam nisi se sic haberet, esset quidem illa gratia majus bonum, sed non esset majus donum, nec mereretur specialem gratiarum actionem.

Hinc consequens est, illa auxilia, quæ in 174
prædestinatis inefficacia sunt ex defectu cooperationis, nō esse effectus prædestinationis, si nihil penitus conducant ad salutem: sed sunt effectus generalis voluntatis salvandi omnes.

Ad Prædestinationis actum præsupponitur scientia simplicis intelligentiæ de possibilitate

salutis, ut constat ex dictis de Providentiâ in genere. Deinde etiam scientia conditionata de efficaciâ talium mediorum. De cætero

Controversia prima est. An sicut DEVS facto prædestinavit ex affectu speciali benevolentiæ, ita potuisset prædestinare sine hoc affectu speciali,
175 *hoc est, an potuisset auxilia visa ut efficacia per scientiam conditionatam dare, non tamen ideo, quia sunt efficacia.*

Controversia secunda. An DEVS possit nostros actus bonos prædefinire prædefinitione impedibili.

Controversia tertia. An DEVS in priore
176 *aliquo signo ante merita absolutè visa, ita intenderit gloriam Prædestinatorum, ut vi illius decreti fuisset necessitatus ad danda alia & alia auxilia, si hæc vidisset fore inefficacia, adeóque hoc sensu decretum Prædestinationis sit aliquo modo independens ab hac determinatâ scientiâ conditionatâ. Vel potiùs utrum Decretum Præ-*
177 *destinationis sit alligatum his medijs, ita ut aliquo modo, & ex hypothesi horum auxiliorum dandorum fuerit in potestate Prædestinatorum facere, ut essent reprobi, & econtra in potestate reproborum facere, ut essent prædestinati. Denique an Gloria ipsa sit objectum directum prædestinationis ante prævisionem meritorum, vel præsupponat scientiam visionis meritorum & finalis perseverantiæ.*

§ IV. *De Causâ & effectibus totius Prædestinationis.*

NOn est quæstio, an ipse divinus actus habeat causſam physicam, sed, an ille actus inveniat aliquid ex parte hominis prædestinati, à quo moveatur DEVS ad illa media 178
conferenda, vi quorum defacto salvabitur. Et in hoc sensu negandum omnino est, dari ex parte hominis causſam Prædestinationis quoad omnes ipsius effectus collectivè sumptos. nam prima hominis merita, & ipsa etiam Christi merita sunt effectus Prædestinationis; atqui ad ista nihil potuit ex parte hominis præcedere, quod moveret DEVM ad decernendos 179
hos effectus: nihil enim potest DEVM movere, nisi quod habet rationem meriti.

Cæterum aliqui effectus intermedij sicut & ipsa gloria possunt habere, & utique defacto habent causſam ex parte prædestinati, cui in præmium priorum meritorum cedunt.

Omitto hîc errorem Massilienſium, confu- 180
gientium, vel ad opera quædam naturalia, vel ad merita sub conditione futura; quorum error examinandus est in materiâ de gratiâ.

Effectus Prædestinationis in genere dicitur ille, qui defacto conducit ad salutem, oritúrque ex amore gratuito DEI nos ad gloriam ordinantis. Hujusmodi effectus est primus

Gloria æterna. ad Rom. 8. *Quos prædestinavit, hos & glorificavit.* Secundus est Gratia finalis quà talis, & donum perseverātiæ in gratiâ. Sap. 4. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus.* Tertius est Justificatio. ad Rom. 8. cit. & quidem etiam illa Justificatio, quæ per
181 subsequens peccatum interrumpetur: hoc ipso enim, quod in prædestinato reviviscet, ut dicemus infra *tit de Pœnit.* jam ut præcedens conducit ad gloriam: ergo etiam quando præcessit, data est ex speciali affectu gloriæ. Quartus sunt omnes actus meritorij, hoc ipso, quia ex gratiâ procedunt, sicut & omnes actus dispo-
182 sitivi ad gratiam acquirendam, etiamsi non habeant rationem meriti. Quintus est Vocatio. ad Rom. 8. cit. Sextus ex multorum sententiâ est creatio, aliáque dona naturalia, ut ingenium docile, complexio bona, pia educatio. Septimus etiam esse potest permissio peccati, quatenus est futura occasio perve-
183 niendi ad salutem: nam licet Deus non possit intendere peccatum, neque hoc sit effectus Dei *per Se*, quatenus tamen Deus ex complacentiâ secuturæ salutis permittit peccatum, potest dici effectus prædestinationis.

§. V. *De Reprobatione.*

Esse aliquos reprobos est de Fide. Matth. 25. *Ite maledicti in ignem æternum.* ad Rom. 9.

Rom. 9. vocantur *vasa iræ.* Est autem Reprobatio Actus divinæ providentiæ, quo damnandi ab æternâ beatitudine excluduntur. Dividitur in Negativam & Positivam. Negativa consistit in negatione voluntatis divinæ dandi auxilia efficacia ad consequendam salutem: sive: in voluntate dandi tantummodo 184
hæc & non alia auxilia, quæ per scientiam conditionatam videntur non profutura, etsi prodesse possent; adeóque est negatio illius specialis benevolentiæ, quam exhibet Deus prædestinatis. Positiva Reprobatio est voluntas excludendi à beatitudine æternúmque damnandi, vel pœnâ damni, vel etiam pœnâ 185
sensûs.

Ante prævisum peccatum, illiúsque perseverantiam finalem non datur in Deo reprobatio positiva; hæc enim pugnaret cum illâ universali voluntate, quâ Deus vult omnes salvos fieri. Datur tamen tunc Reprobatio negativa, ut ex dictis liquet, de quâ intelligi
solet illud ad Rom. 9. *Esau* (priusquam ali- 186
quid mali egisset) *odio habui.* non odio formali: nam Sap. 10. *Nihil odisti eorum, quæ fecisti,* sed nolitione conferendi alia auxilia.

Reprobationis negativæ caussa demeritoria non datur, quod cum proportione est intelligendum, sicut non datur caussa Prædestinationis: Reprobationis positivæ caussa est pec-

catum finale, cujus pœna est æterna damnatio.

Titulus II.

DE DEO VT TRINO IN PERSONIS.

Caput I.

187

DE TRINITATE, ET PROCESSIONIBVS PERSONARVM.

§. I. *Errores hæreticorum*

188 Mysterivm hoc sicut est nostræ Fidei primum & altissimum, ita pluribus superbè Sapientibus ansa fuit errandi. Sabellius cum suis negavit realem Personarum distinctionem, admittens solam formalem seu rationis, eundem scilicet Devm consideratum, ut rerum omnium Principium, vocari *Patrem*, ut Sapientem, *Filium*, ut sanctitatis authorem, *Spiritum sanctum*. 189 Arrius admisit tres Personas realiter distinctas, sed solam Primam identificatam Deitati; Filium dixit esse primam creaturam, per quam Spiritus sanctus, & cætera facta sunt; illámque creaturam fuisse in Christo loco animæ, & sic incarnatam. Alij apud S. Anselmum tres Deos realiter distinctos etiam quoad essentiam admiserunt.

§. II.

§. II. *Veritas Catholica. ejúsque ad captum facilitatio.*

CONTRA hos errores definita est trium Personarum realiter inter se distinctarum unitas in naturâ in Concil. Lateran. cap. damnamus de Summâ Trinit. his verbis bene 190
observandis, ut in modo loquendi conformemur. *Una res est, quæ veraciter est Pater & Filius & Spiritus sanctus, tres simul Personæ, ac singulatim quælibet earundem. quælibet earum Personarum est illa res, videlicet substantia, essentia, seu natura divina, quæ sola est universorum principium, & illa res non est generans, neq; genita,* 191
neq; procedens, sed est Pater qui generat, Filius qui gignitur, Spiritus qui procedit, ut distinctiones sint in Personis, unitas in Naturâ. Licet alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus, non tamen aliud, sed id quod est Pater, est & Filius, & Spiritus sanctus: consubstantiales, &c.
Eadem veritas exprimitur distinctissimè in 192
Symbolo S. Athanasij. in sacra item Scriptura. Matth. vlt. *Baptizantes eos in nomine* (ecce Unitatem naturæ) *Patris & Filij & Spiritûs sancti.* 1. Joann. 5. *Tres sunt, qui testimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt.*

Porro, cùm nullus Fidei Articulus debeat esse apertè contrarius evidentiæ Metaphysicę,

Theolo-

Theologorum est ostendere, ex quonam fundamento proveniat, quòd in rebus creatis repugnet evidenter Metaphysicè duorum vel trium realiter inter se distinctorum identitas cum aliquo tertio, ita ut evidens sit hoc principium: *Quæcunque creata prædicata sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se:* & non ita
193 evidenter repugnet in Ente divino & increato. Non potest autem hoc fundamentum aliunde desumi, quàm ex Perfectione Infinitatis, per hanc enim differt DEVS à creaturâ

Discrimen hoc aperire conati sunt ingeniosi moderni, & fusiùs deduxerunt. Nos paucis indicabimus. Omne prædicatum creatum
194 positivum est quidem perfectio, sed finita & limitata, & per consequens accessione alterius fit melius & æstimabilius: ergo repugnat duo prædicata hujusmodi identificari, quin unumquodque eorum perficiatur ab altero: ergo repugnat prædicatum B. habens sibi identificatum prædicatum A. identificari cum prædi-
195 cato. C. quin eidem identificetur prædicatum A. cur? quia identificari B. cum C. (ex conceptu generico identitatis) est B. ita se communicare C. sicut se communicat sibi ipsi, ita ut illud reddat non minùs æstimabile per sui communicationem, quàm sit ipsum B. in se æstimabile: si ergo B. habet æstimabilitatem ab A. secum identificato (eò quòd utrumque

sit

sit prædicatum creatum & finitæ perfectionis) repugnat B. identificari C. quin eidem C, identificetur A. Econtra Perfectio infinita & sibiipsi sufficiens & completa secundùm omne genus bonitatis potest concipi non repugnans habere sibi identificatum prædicatum, à quo quidem illa infinita Perfectio non perficiatur 196
ulteriùs, sed tamen perficiat illud prædicatum secum identificatum realiter. Vlterius non repugnabit illam ipsam infinitam Perfectionem (Naturam divinam intelligo) habentem sibi identificatum prædicatum non perfectivum, sed tantùm perfectibile per naturam divinam (Paternitatem intelligo) com- 197
municari per identitatem tertio prædicato etiam non perfectivo, sed tantùm perfectibili, (Filiationem intelligo) quin eidem prædicato communicetur Paternitas; nam etiam hâc non communicatâ adhuc communicat se Natura secundùm perfectionem infinitam, adeóque quantùm se sibi, & quoad totam 198
æstimabilitatem, utpote cujus æstimabilitas non crescit accessione Paternitatis. Ergo à primo ad ultimum non repugnat evidenti rationi Mysterium Trinitatis in Ente infinito, sicut repugnat in Ente finito, ob discrimen indicatum. Sed hæc fusiùs declaranda sunt in scholis.

Controversia est, utrum Personarum Trinitas in

in unitate Naturæ arguat in DEO distinctionem majorem quàm rationis, vocaríque solet distinctio virtualis intrinseca. Hanc controversiam alij superius expediunt agentes de attributo simplicitatis divinæ. vel de attributis in genere.

199 **§. III.** *De Processionibus divinis, earúmque Principijs,*

DE Fide est, dari in DEO Processionem Filij à Patre, & Processionem Spiritûs sancti à Patre & Filio, habetúrque in Symbolo Nicæno, & sumitur ex Scripturâ vocante Verbum Filium; Filius autem non est, qui non
200 procedit per generationem: atque ad hanc processionem probandam utitur S. Paulus ad Hebr. 1. illis verbis ex Ps. 2. *Ego hodie genui te.* & ex Ps. 44. *Vnxit te DEVS.* Ipse etiam Christus Joann. 8. id affirmat. *Ego enim ex Deo processi.* & c. 27. *Exivi à Patre, & veni in mundum.* De Spiritu sancto habetur Joann. 15.
201 *Cùm venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit.*

Prior processio fit per Intellectum; nam Filius dicitur passim tum à Scripturâ, tum à Patribus Verbum Patris, imago, sapientia, figura, quæ ad intellectum pertinent. Secunda fit per voluntatem, vocatur enim Spiritus

sanctus

sanctus Charitas, Amor, Donum. Ratio est, quia hæ processiones sunt immanentes, ergo sunt à principijs immanenter & intentionaliter operantibus, cujusmodi sunt Intellectus & Voluntas; & hinc etiam sumitur ratio, cur sint duæ, & non plures.

Congruentiæ verò, quare dentur in DEO, 202
processiones inducentes realem distinctionem personarum variæ assignantur. Prima. Quia fæcunditas est perfectio. Isa. 66. *Qui alijs tribuit generationem, non erit ipse sterilis.* Secunda. Quia bonum est communicativum sui: ergo bonum infinitum erit infinitè communicabile: atqui non potest infinitè communicari ad extra: ergo sic communicabitur ad intra. Tertia 203
ad felicitatem DEI spectat societas Plurium eandem beatitudinem possidentium cum perfectâ charitate.

Hæ processiones magis propriè vocantur *Origines*, quàm actiones, quæ sonant causalitatem, qualis in DEO non datur. In ijsdem processionibus unicè fundatur distinctio realis 204
Personarum; nam ex unâ parte clarum est, nihil procedere propriè & realiter à seipso: ergo principium & terminus processionis debent importare realem distinctionem: ex alterâ parte in divinis nulla est admittenda realis distinctio, ubi non intercedit relationis oppositio, ut habet axioma Theologorum, consen-

consentaneè ad id quod dixit Joannes Theologus in Concil. Florent. sess. 18. *Sola*, inquit, *relatio apud omnes Græcos & Latinos Doctores divinâ processione Personas multiplicat, ita ut non aliâ ratione, quàm vi relationis una Persona ab aliâ differat.*

205 Hinc deducunt aliqui (bene, an malè examinandum in scholis, ut infra referetur) Relationes prout contradistinctas ab Essentiâ divinâ cæterisque attributis absolutis, & communibus non multiplicare Perfectiones: quia nulla divina Perfectio opponitur relativè alteri, cùm Divinitas sit cumulus omnis Perfe-
206 ctionis, & omnis divina Perfectio sit communis omnibus tribus Personis.

Principium Quod seu Totale Generationis est tota Persona Patris, & Principium Quod Spirationis est Persona Patris & Filij, ut sunt unus Spirator.

207 *Controversia est de Principio formali* Quo, *an scilicet adæquatè nihil aliud sit, quàm Intellectio essentialis respectu Verbi, & Volitio essentialis respectu Spiritûs sancti, vel an superaddi debeant relationes Paternitatis & Spirationis activæ. & an hæ habeant meram rationem conditionis, vel etiam rationem principij formalis* Quo, *saltem partialis.*

§. IV.

§. IV. *De Processionum differentiâ.*

TAmetsi in productionibus creatis ex communiore Philosophorum sententiâ productio activa & passiva realiter non distinguantur, aliter tamen se res habet in divinis: nempe Processio activa realiter distinguitur à Processione passivâ sibi oppositâ, hoc est, Generatio activa à Generatione Passivâ, quæ *Nativitas* dicitur, item Spiratio activa (quæ communis est Patri cum Filio) à spiratione passivâ, quæ specialiter & appropriato sibi nomine cæteroquin generico *Processio* dicitur. 208

Ratio realis distinctionis est, quia Principio producenti est essentiale producere: ergo productio activa non est realiter distincta à principio: atqui productio passiva est realiter distincta à principio: ergo & à productione activâ. 209

Processiones passivæ aliud non sunt, quàm ipsæ Relationes Personarum procedentium seu productarum, nempe Filiatio, & Relatio Spiritûs sancti seu spirati: & econtra Processiones activæ sunt Relationes oppositæ, nempe Paternitas & Spiratio activa communis Patri & Filio. 210

Est & aliud discrimen & differentia inter Processionem Verbi, & Processionem Spiritûs sancti, quòd prior sit propriè Generatio, hoc

est: *Origo viventis à vivente principio conjuncto in similitudinem naturæ*: posterior verò non sit generatio. Sic S. Paulus ad Hebr. 1. probat Christi divinitatem ex Psal. 2. *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* & Joan. 1. & 3. vocatur *Vnigenitus.*

211 *Controversia gravis est, in quonam hac differentia fundetur, & sunt varij modi hanc differentiam explicandi.* Aliqui dicunt, ad rationem Filij spectare fœcunditatem, quam habet Verbum, dum producit Spiritum sanctum, non item Spiritus sanctus: Alij dicunt ad generationem requiri, ut intendatur assimilatio
212 termini; & hanc intendit intellectus, non voluntas. Alij supponunt Intellectionem esse Naturam divinam, & distingui intrinsecè virtualiter à volitione, eámque primariò communicari Verbo: communicatio autem primaria Naturæ viventis est Generatio. Alij alias rationes excogitant, quæ non nisi Ma-
213 gistrorum operâ capiuntur.

Caput II.

DE RELATIONIBVS ET NOTIONIBVS DIVINIS.

DAri in Deo veras Relationes abunde liquet ex hucusq; dictis. Non sunt hæ Relationes Prædicamentales;

les, sed potius Transcendentales dicendæ, quia constituunt Personas quidditativè, súntque inseparabiles habentes intrinsecum essentialem respectum ad suum terminum. Sunt autem numero quatuor: *Paternitas, Filiatio, Spiratio activa, Spiratio passiva.* Porro spiratio activa non distinguitur realiter à Paternitate & Filiatione, sed est utrique communis, sicut Natura divina est omnibus tribus communis; & consequenter si Natura divina virtualiter intrinsecè distinguitur à Paternitate, Filiatione, & Spiratione passivâ, eodem modo distinguetur Spiratio activa virtualiter non solùm à Naturâ divinâ, sed etiam à Paternitate & Filiatione, nullo autem modo realiter, quidquid dixerit Durandus; nam in Concilio Lateran: c. damnamus cit. omnis Quaternitas damnatur. 214 215

Quod autem Spiratio activa sit eadem numero, & communis duabus Personis, & nullo modo complexum ex duabus Personalitatibus, inde probatur, quia per illam Pater non opponitur Filio, omne autem illud, in quo non opponitur, communicat Filio: ergo est utrique communis & Filio communicata, non minùs quàm Natura, & hoc asseritur in cap. un. de Summâ Trinit. in 6. ubi dicitur: *Spiritus sanctus ex Patre & Filio non tanquam ex duobus Principijs, sed tanquam ex uno Principio,* 216

non duabus Spirationibus, sed unicâ spiratione procedit. Vnde sicut ex Unitate Naturæ fit, ut tres Personæ sint unus DEVS, ita ex Unitate Spirationis activæ fit, ut duæ Personæ sint unus Spirator.

Tres Relationes inter se realiter distinctæ
217 sunt tres Subsistentiæ: constituunt enim & discernunt ab invicem tres Personas: atqui Personæ non differunt, nisi per subsistentias; natura enim est communis, ergo. Hinc autem colligitur vnam Personam non constitui per alias, quod enim differt ab alio, non constituitur per illud. Dicitur nihilominus vna Perso-
218 na continere aliam *circuminsessivè*, quatenus habent naturam communem, quo sensu dixit Christus Joann. 14. *Ego in Patre; & Pater in me est.*

Controversia est prima. An hæ tres Relationes sint tres Perfectiones Relativæ.

Controversia secunda. An præter subsistentias
219 *Relativas detur in* DEO *subsistentia absoluta, & communis.*

Proprietates, quibus divinæ Personæ ab inuicem dignoscuntur, *Notiones* vocantur, & quia fundantur in Processionibus seu Originibus, ideo Origines dicuntur *Actus Notionales.* de quibus loquitur Concil. Lateran. c. firmiter dicens: *hæc sancta Trinitas secundùm com-*

communem essentiam una, & secundùm Personales proprietates discreta.

Hujusmodi Notiones quinque enumerat S. Thomas, Paternitatem, & Innascibilitatem, seu Improducibilitatem, quæ est quædam dignitas saltem nostro concipiendi modo, Generationem passivam, seu Nativitatem, Spi- 220
rationem activam, Spirationem passivam, Priores duæ sunt propriæ primæ Personæ, tertia est propria secundæ, quarta est duabus communis, quinta est propria tertiæ personæ. An plures possent assignari, v.g. Inspirabilitas pro primâ & secundâ Personâ, Ingenerabilitas pro primâ & tertiâ, est lis nullius mo- 221
menti.

Caput III.

DE PERSONIS DIVINIS IN PARTICVLARI.

§. I. *De Personâ Patris.*

PERSONA Patris vocatur à SS. Patribus 222
Principium Deitatis & Trinitatis, quæ propositio explicanda est, ne sit erroris occasio, quasi ipsa Deitas produceretur.

Dicitur itaque Principium Divinitatis cum addito *totius*, ut loquitur S. Augustinus & Eugenius IV. quatenus nimirum Divinitas tota includit Trinitatem Personarum,

& quia Pater est cæterarum Personarum principium, eo ipso est principium totius Deitatis & Trinitatis, sicut Adam dicitur principium totius humani generis, licet non sit principium sui. Deinde dicitur Fons Divinitatis, ut loquitur S. Dionysius, quia à Patre communicatur Divinitas cæteris Personis, ac pro-
223 inde Divinitas est terminus formalis non productionis, sed communicationis, nempe est id, in quo se Pater communicat.

Denominatio *Generantis* ita est propria Patris, ut de ipsâ Naturâ divinâ in abstracto nullo modo sit usurpanda dicendo: *Essentia vel Deitas generat.* ut supra retulimus ex cap.
224 Damnamus. & ratio est, quia quod nullo modo distinguitur realiter à genito, non rectè dicitur generare, sed Deitas in abstracto nullo modo realiter distinguitur à genito. ergo. In concreto tamen rectè dicitur: *DEVS generat.* sicut enim rectè dicitur: *Pater generat*, non obstante, quòd ratione naturæ quam includit,
225 non distinguatur à Filio, ita ob eandem rationem rectè dicetur: *DEVS generat*, quia includit Paternitatem realiter distinctam, quod sufficit.

§. II. *De Personâ Filij.*

Filius vocatur in sacrâ Scripturâ etiam *Verbum, Imago, Sapientia Patris.* Verbum dicitur

dicitur à Joanne cap. 1. *In principio erat Verbum.* Ratio est, quia Filius est terminus per se primò productus per actum intelligendi, recipiens ex vi suæ productionis ipsummet *intelligere*, seu intellectum essentialem personæ producentis tanquam imago intentionalis illius,& hoc sufficit; nam cætera, quæ in Verbo creato reperiuntur, sunt imperfectiones. 226
Porro Verbum participat aliquid tam à verbo mentali (quod Philosophi vocant *speciem expressam*) quàm à verbo vocali & externo. à primo quidem, quòd sit immanens,& repræsentans naturaliter,non ad placitum;à secundo verò, quòd procedat à Personâ, ut jam actu intelligente in priori originis; unde non est scientia essentialis, seu communis & absoluta, per quam Pater constituatur intelligens, sed est scientia genita & relativa. 227
Deinde dicitur, & est Imago propriè dicta Patris. ad Coloss. 1. *Qui est Imago* DEI *invisibilis.* Ratio est, quia habet utramque conditionem imaginis; nempe procedit à patre, & est illi similis, quæ duo ad rationem imaginis sufficiunt. 228

Est etiam Sapientia Patris. 1. ad Cor. 1. DEI *Sapientia* vocatur: quo sensu ? jam est explicatum. Quæ autem sit ratio,cur Verbum potiùs generetur, quàm Spiritus sanctus,est controversia jam supra suo loco notata.

Alia controversia est, ex quorum objectorum cognitione procedat Verbum.

§. III. *De Personâ Spiritûs sancti.*

SPiritus sanctus procedit à Patre & Filio. Ita definitum est sæpius contra Græcos, qui tandem in Concilio Florent. acquieve-
229 runt. Colligitur ex varijs Scripturæ locis. Joann. 16. Christus de Spiritu sancto ait: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Omnia quæcunque habet Pater, mea sunt, propterea dixi, quia de meo accipiet.* Non potest autem aliter accipere, quàm procedendo ab illo. Joann. 15. & alibi passim dicit
230 Christus, se missurum Spiritum sanctum; atqui nulla Persona dicitur mittere aliam, quæ ab ipsâ non procedit, ut arguit S. Augustinus. Item Joann. 20. Christus insufflando dixit: *Accipite Spiritum sanctum*, significans Spiritum sanctum ab ipso procedere, & ideo etiam ad Galat. 4. & ad Rom. 8. vocatur *Spiritus*
231 *Christi.* Ratio est, quia Filius non distinguitur à Patre, nisi in esse Patris, & præter *esse Patrem*, Pater omnia Filio dedit gignendo, ut ait Florentinum Concil: ergo etiam dedit virtutem spirandi.

Controversia est, an, si Spiritus sanctus per impossibile non procederet à Filio, adhuc ex alio capite dicendus esset realiter à Filio distingui.

CAPVT

CAPVT VLTIMVM.

DE MISSIONIBVS PERSONARVM DIVINARVM.

ENVMERATIS hucusque Notionibus intrinsecis Personarum, & ab æterno convenientibus, restat una extrinseca, & conveniens in tempore, nempe *Missio*. Mitti enim Personam habetur Jo. 8. *Ego & qui misit me Pater.* & cap. 15. *Quem ego mittam vobis à Patre.* ad Galat. 4. *Postquam venit plenitudo temporis, misit DEVS Filium suum.* 232

Missio autem divinæ Personæ est Processio ejusdem cum habitudine seu connotatione temporalis effectûs: ita expressit ipse Christus Joann. 16. *Exivi à Patre, & veni in mundum.* Ratio est, quia sicut lapis mitti dicitur, quatenus accipit à mittente virtutem impressam, quâ inclinatur & movetur, ita Persona mittens debet communicare. Personæ missæ virtutem operandi talem effectum ad extra. 233 234

Missio dividitur in Visibilem & Invisibilem. Visibilis est, quando fit ad terminum sensibilem, vel per talem manifestatur. sic: *Misit DEVS Filium suum factum ex muliere ad Galat. 4.* Invisibilis est, quæ fit interno & spirituali modo. sic: *Charitas* DEI *diffusa est in*

cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Ad Rom. 4.

Visibilis missio subdividitur in eam, quæ fit ad essendum per terminum substantialem, & talis est Incarnatio Verbi: & in eam, quæ fit & ordinatur ad significandam & repræsentandam visibiliter divinam Personam, ut
235 venientem ab aliâ ad hominem sanctificandum, cujusmodi facta est in die Pentecostes. Et hæc de DEO.

TITVLVS III.

DE ANGELIS.

Consideratis ijs, quæ ad intrinsecum esse
236 DEI pertinent, accedunt Theologi ad considerandum DEVM in ratione Creatoris, eligúntque sibi considerandam Creaturam ex puris præstantissimam ANGELOS.

CAPVT I.

237 ## DE EXISTENTIA ET NATVRA ANGELORVM.

§. I *Eorum existentia.*

DARI Angelos, hoc est, substantias creatas completas intellectivas, & à nostris

à noſtris ſenſibus remotiſſimas eſt de Fide, definitum in cap. Firmiter, cit. & in Concil. Lateran. contra Sadducæos. habetúrque in ſacris litteris ſæpe. ad Hebr. 1. *& ad Angelos quidem dicit: qui facit Angelos ſuos Spiritus, & Miniſtros ſuos flammam ignis.* Matth. 4. *Angelis ſuis mandavit de te.* Eorundem exiſtentiam agnoverunt unanimi ferè conſenſu gentiles Philoſophi, ducti rationibus utique non contemnendis. 238

Prima ratio ſit. Poſſibilis eſt ſubſtantia intellectualis inferior Deo, & homine ſuperior, quales intelligimus Angelos, nempe participantes ſimplicitatem ſubſtantiæ intellectualis infinitæ modo limitato & creaturis non repugnante, ut nempe ſint puræ mentes potentes intelligere & velle, ac ſe aliáque movere: ergo probabile eſt, hujuſmodi defacto dari. Conſequentia ſuadetur à conſtitutione hujus univerſi ex certis gradibus Entiũ. Quando enim ſub aliquo genere producta eſt ſpecies imperfectior, ad ornatum univerſi ſpectabat, productam quoque eſſe ſpeciem perfectiorem, ut patet ex ſpeciebus productis ſub genere Animalis, Viventis, &c. ergo congruebat etiam ſub genere *Intellectivi* non ſolùm productam eſſe ſpeciem Intellectivi corporei, dependentis ab organis, ſed etiam ſpeciem intellectivam independenter ab iſtis. 239 240

Item

Item sub genere *Substantiæ spiritualis* congruebat non solùm productam esse incompletam, scilicet animam, sed etiam completam, ut sunt Angeli.

Secunda ratio. Cæli, aut certè sidera moventur circulariter & perpetuò, idque non in
241 bonum aut finem suum, sed rerum sublunarium. ergo non ab intrinsecâ virtute: ergo vel immediatè à DEO, vel ab aliâ substantiâ intellectivâ & gubernativâ. Non immediatè à Deo: DEVS enim hunc rerum Ordinem ita constituit, ut effectus, præsertim continui, qui fieri debent ab extrinseco, haberent causam
242 particularem creatam: & hæc est ratio Aristotelis ac S. Thomæ in quæst. Venetijs editâ de motib Cœlor.

Tertia ratio desumitur à miris operationibus, quas etiam apud gentiles efficiunt dæmones per Magos, veneficos, loquendo per idola & energumenos varia idiomata: quæ, cùm excedant vim animæ separatæ, neque DEVM
243 deceant, restat ut fiant ab Angelis damnatis.

§. II. *Spiritualitas Angelorum.*

TAmetsi nonnulli sanctorum Patrum suspicati sint, Angelos esse materiales & corporeos, hodie tamen contrarium certum est post Concilium Lateran. in c. firmiter, cuius hæc sunt verba, *Qui suâ omnipotenti virtute*

tute simul ab initio temporis utramq; de nihilo condidit creaturam, spiritualem & corporalem, Angelicam videlicet & mundanam, & deinde humanam quasi communem *ex spiritu & corpore constitutam.* In scripturis etiam vocantur simpliciter spiritus Luc. 10. *Spiritus subjiciuntur vobis* ad Heb. 1. *Nónne omnes sunt administratorij spiritus.* Ratio reddi solet, quia Angeli sunt immortales, ut omnes supponunt: ergo vel sunt adæquatè spiritus, vel homine imperfectiores, propter formæ perpetuam alligationem ad corpus: hoc autem nemo dicit: ergo prius dicendum est. 244

§. III. *Simplicitas eorundem.* 245

CErtum est. 1. eos admittere compositionem metaphysicam ex genere & differentiâ, v. g. quòd sint substantia creata, completa spiritualis. 2. eos habere compositionem accidentalem, recipiunt enim actus suos vitales. 3. Angelos componi ex Naturâ & subsistentiâ, si hæc est quid positivum: supponitur enim ab omnibus, Naturam Angelicam non minùs, quàm humanam assumi potuisse. 4. Non componi ex partibus integrantibus substantialibus: essent enim imperfectiores animâ rationali; nec nisi valde divinatoriè & fictitiè explicari potest, quid serviat illa partium multiplicatio ad operationes angelicas: nisi denique 246

que fingere placeat, servire, ut per divisionem ex uno Angelo fiant plures.

Sed neque ex subiecto & formâ spirituali dicendi sunt esse compositi, quidquid sit de possibilitate huiusmodi substantiæ spiritualis: neque enim ullum exstat huius compositionis
247 vestigium: quo argumento tanquam sufficiente motus est S. Augustinus 1. lib. retract. c. 9. 11. & 16. & lib. 2. c. 14. ut retractaret id, quod olim senserat, Angelos habere animas.

§. IV. *Indestruibilitas eorundem.*

POsse Angelos divinâ potentiâ absolutâ destrui, sine temeritate negari non potest. Sap. 11. *Quomodo aliquid permanere potuisset,*
248 *nisi tu voluisses.* A nullâ tamen causâ creatâ destrui possunt, quod à fortiori colligitur ex animâ rationali. Matth. 10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* Ratio est, quia nulla causa secunda conservat Angelos: ergo nulla potest destruere directè, subtrahendo concursum. Sed neq; indirectè, producendo aliquid angelo contra-
249 rium, & naturaliter pugnans cũ existentiâ Angeli; nullum enim huiusmodi contrarium admittit Angelus, cùm non sit cõpositus. De facto etiam nunquam destruendos esse constat ex æternitate beatitudinis bonorũ & pœnę malorũ.

Controversia est, an Angeli sint indestruibiles ex

ex naturâ suâ, an potius ex merâ liberalitate Dei proveniat, Angelis præcisè non repugnantibus.

CAPVT II.

DE MVLTITVDINE ET DIVERSITATE SPECIFICA ANGELORVM. 250

§. I. *Angelorum Hierarchiæ.*

EX S. Dionysio Ariopagitâ habetur, tres esse Angelorum Hierarchias, seu acies quasi & exercitus, quarum quævis in tres ordines divisa sit; ac proinde novem esse choros hoc ordine à supremo ad 251
infimum deductos: Seraphin, Cherubin, Thronos, Dominationes, Virtutes, Potestates, Principatus, Archangelos, Angelos. Inter hos superiores inferioribus dignitate vel officio præstant. & quidē suprema Hierarchia censetur non esse per se destinata ad ministrandum, sed ad assistendum DEO: secunda ad ministran-
dum per modum imperantiū & dirigentium: 252
tertia ad ministrandum per executionem. Nomina singulorum Chororum habentur in sacris litteris Seraphin Isa: 6. Cherubin Gen. 3. & Ezech. 5. Thronorum ad Coloss. 1. Dominationum, Virtutum, Potestatum, Principatuum ad Eph. 1. Archangelorum, ad Thessal: 4. Angelorum ad Rom. 8. & 1. Petri. 3.

§. II.

§. II. *Multitudo Angelorum.*

HAnc esse maximam indicat scriptura Dan. 7. *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei.* Matth. 26. plus quàm duodecim legiones assignantur.

253 Comparando tamen cum numero hominum aliqui judicârunt, plures esse homines absolutè futuros, quàm sint Angeli. Fundamentum est, quia Apocal. 12. dicitur Draco (quem interpretantur Luciferum) traxisse secum tertiam partem stellarum, hoc est assecias Angelos: porro hæc Angelorum ruina est reparanda per homines; ergo Angeli beati non
254 nisi duplo sunt plures hominibus beatis, atqui incomparabiliter sunt plures reprobi, quàm prædestinati homines; ergo longè quàm duplo sunt plures futuri damnati homines quàm Angeli: ergo absolutè sunt futuri plures homines, quàm Angeli. Communior tamen habet sententia esse longè plures Angelos, quàm
255 homines; quod imprimis revelatum refertur S. Brigittæ; deinde ratio est, quia ex solâ infimâ Hierarchiâ deputantur singulis Angeli custodes, & quidem ex communi sensu Theologorum non deputatur unus pluribus, ne quidem successivè; denique quia humanum genus comparatur oui centesimę Lucæ 15. & per nonagin-

naginta novem relictas in deserto intelliguntur communiter Angeli. Neque fundamentum contrarium urget; nam probabilius per Draconem intelligitur Antichristus, & per Stellas intelliguntur homines in Ecclesiâ clari apostatantes. & ad Antichristum deficientes.

Controversia est, an Angeli differant necessariò specie, ità ut non possint duo esse ejusdem speciei infimæ, & universim an sit possibilis creatura, cui repugnet alia similis in specie. 256

§. III. *Inceptio Angelorum.*

FVisse Angelos creatos non ante mundum corporeum, sed neque etiam post illum colligitur indubitanter ex verbis Lateranensis Concilij supra relatis, ubi simul ab initio temporis creati dicuntur; & etiam ex eo constat, quod ante Adami & Evæ creationem jam exstiterit eorum tentator è cælo dejectus. 257

Ratio S. Thomæ est, quia sunt ordinati ad universum, ut pars illius cum quâdam præsidentiâ supra cæteras partes. 258

CAPVT III.

DE POTENTIA LOCOMOTIVA ANGELORVM, EIVSQVE TERMINO.

ANgelos esse aliquo modo in loco determinato secundùm S. Thomam

est de Fide. nam S. Scriptura id frequentissimè asserit, dum dicit Luciferum decidisse de cœlo, Gabrielem accessisse ad B. Virginem, Raphaëlem comitatum esse Tobiam, &c. Verum quidem est, non esse in loco eo modo, quo corpus, quod continetur à superficie; nam
259 Angeli penetrantur cum quovis corpore. Deinde Angeli existunt in loco non circumscriptivè, quia non habent partes integrantes, sed definitivè, hoc est, toti in toto, & toti in qualibet parte spatij.

Supponunt etiam communiter Theologi, Angelorum defacto existentium virtutem locomotivam ita limitatam esse, ut non possint
260 se pro libitu extendere ad amplius & amplius spatium in infinitum, sed habere sphæram limitatam; alioquin non haberent opus motu locali.

Posse, imò defacto Angelos localiter moveri colligitur (contra Hervæum & Durandum) ex varijs Scripturæ locis, Luc. 1. *Et*
261 *ingressus ad eam, & discessit ab illâ Angelus.* Luc. 8. *& rogabant Christum, ut permitteret eis in porcos ingredi.* Matth. 28. dicitur Angelus descendisse de cœlo, &c. Ex ijsdem Scripturæ locis constat contra Capreolum, Angelos moveri à seipsis ab intrinseco.

Quæ circa motum Angelicum controvertuntur, plurimùm pendent ex principijs Philosophi-

losophicis circa Compositionem Continui; ad quæ quivis consequenter philosophari debet.

Præmittenda autem est duplex divisio. Prima est divisio medij, per quod fit motus Angelicus, in medium participans & non participans. Medium participans est, quod constat ex aliquâ parte termini à quo, & aliquâ parte 262
termini ad quem. Medium non participans est, quod omnino est ab utroque termino contradistinctum.

Altera divisio est Motûs, in Motum continuum, & discretum. Continuus est, non solùm, qui fit sine interruptione temporis, sed etiam cum successivâ occupatione spatij, ita ut nullum spatium divisibile simul totum occupetur, sed successivè & fluenter. Motus discretus est, 263
quando in uno instanti, hoc est, simul occupatur spatium divisibile, quod poterat successivè, & quasi per partes occupari. His positis.

Qui in Philosophiâ cum Aristotele sentiunt circa compositionem Continui, facilè admittunt, Angelum moveri posse motu continuo, & successivo si admittunt Vbicationem divi- 264
sibilem; nam alioquin cogerentur admittere infinitum ubicationum æqualium successivè productarum. Idem admittent, qui tam in successivo, quàm in permanente continuo Zenonem sequuntur. At verò, qui in Continuo successivo ponunt mera instantia, & qui-

dem finita, econtra in Continuo permanente docent dari puncta virtualiter extensa, & implicare Vbicationem minimam ne virtualiter quidem divisibilem; illi inquam motum continuum continuatione temporis concedere quidem possunt, non item continuum continuatione successivâ quoad occupationem
265 spatij, fatentur enim, necessariò simul occupari semper spatium aliquod virtualiter saltem divisibile; & consequenter in hoc sensu omnis motus erit discretus.

Quidquid autem aliquis in Philosophiâ senserit, facilè concedere potest Angelo motum discretum. Quidni enim possit relicto
266 priore spatio toto acquirere simul virtute naturali totum spatium proximum priori æquale? Quòd enim hoc non possit fieri à corpore, ratio clara est, quia una pars debet suam priorem expellere, & illi succedere, alioquin omnes transilirent medium, ut consideranti patet.

Nullus Angelus potest naturali virtute
267 occupare simul & semel totum spatium huius universi; quod intelligendum de Angelis de facto creatis; loquendo enim de possibilibus, utique deveniri potest ad tam perfectum, qui hanc sphæram adæquaret, imò excederet. Colligitur autem illa Angelorum limitatio tum ex sanctis Patribus, tum ex Scripturâ asserente illos hinc inde se transferre.

Quin

Quin imò nec potest Angelus sphæram sibi connaturalem ita in certam aliquam, v. g. longitudinis extensionem attemperare contrahendo quoad latitudinem & profunditatem, ut possit ab extremo ad extremum universi se protendere; alioquin miraculosè impedirentur dæmones, quominus se ad longinqua loca extenderent per lineam tenuissimam plurimis hominibus applicatam, ut plurimis nocere possent. Ratio est, quia sicut habent sphæram limitatam quoad profunditatem & latitudinem, ita etiam quoad longitudinem. 268

Non potest Angelus naturaliter esse replicatus, existendo in duobus spatijs non contiguis ne quidem intra sphæram connaturalem. Cujus ratio videtur esse desumenda ex naturâ unionis physicæ, hæc enim affert exigentiam physicam, ut ubicunque est unum extremum tanquam in spatio suo adæquato, sit etiam intra illud spatium alterum extremum: atque ideo si unum extremum naturaliter aliò feratur, vel replicetur, debet consequenter ferri vel replicari alterum extremum si potest; quodsi non potest, sicut non potest ubicatio, hocipso replicatio est contra naturam illius unionis physicæ, exigentis, ut nullibi sit Angelus, ubi non possint esse omnia unita. Possunt tamen plures Angeli esse simul in eodem spatio. Ratio est, quia Angeli 269 270

non resistunt sibi in ordine ad spatium per impenetrabilitatem, sicut corpora.

Controversia prima est, quænam sit forma constitutiva Angeli in spatio, an Modus, an Res, an Formalitas.

Controversia secunda. An hæc ubicatio sit indivisibilis, vel habeat partes integrantes.

271 *Controversia tertia. An possit se Angelus contrahere ad minus spatium intra suam sphæram.*

Controversia quarta. An possit transire ab extremo ad extremum non transito medio.

Controversum est quintò. An possit Angelus moveri tam continuo, quàm discreto motu velociùs, & velociùs in infinitum, ita ut quodlibet

272 *spatium possit transire in quovis tempore.* Hîc iterum ad Philosophicas opiniones recurrendum est; qui enim componunt tempus ex partibus in infinitum divisibilibus, imprimis facilè concedunt, id fieri posse motu discreto, nisi aliunde dicendum sit, potentiam locomotivam esse limitatam, ut omnes ferè supponunt.

273 sicut enim in quovis tempore sunt assignabiles partes plures & plures in infinitum, & consequenter possunt fieri operationes instantaneæ non tot quin plures, ita poterit Angelus in quovis tempore percurrere palmos, v.g. plures & plures in infinitum: ergo percurrere quodvis spatium determinatum & finitum. Quod idem de motu successivo & continuo consequenter,

quenter, & à fortiori dicendum est, quia semper potest proportio partium institui & designari inter tempus quantumvis breve, & spatium quantumvis longum: & utique poterit absolvere Angelus in tempore, quod potest totum occupare in instanti. ergo si in quovis tempore potest exercere plures motus 274
discretos & instantaneos in infinitum, occupando per quemvis illorum novum spatium divisibile, multò magis id poterit per totidem motus temporaneos, ut consideranti patebit.

Qui verò cum Zenone tempus ex indivisibilibus componunt; fateri debent, Angelum non nisi certum spatium in certo tempore 275
posse transire, nempe tot & non plura spatia adæquata suæ sphæræ, quot instantia sunt in illo temporis fluxu.

Absolutè tamen dicendum est, non posse Angelum sese movere quacunque celeritate, talis enim potentia esset in suo genere infinita: nam infinitas potentiæ arguitur ex potentiali infinitate actûs; v.g. si Angelus habe- 276
ret virtutem cognoscendi perfectius & perfectius in infinitum, & plura ac plura in infinitum, argueretur virtus intellectiva infinita; ergo idem in præsenti dicendum esset.

Non solùm seipsum, sed etiam corpora potest Angelus movere: sic legitur Habacuc per capillos ab Angelo translatus, & Christus

supra pinnaculum templi, indéq; supra montem collocatus. Quâ autem ratione id fiat, an mediante qualitate impressâ, hoc est, impulsu, an immediatè producendo motum, non est expeditum, priore modo res facilè capitur, non item posteriore. Nam quòd anima possit movere corpus sine impressione impulsûs provenit ex unione physicà sui cum cor-
277 pore: unde movendo se exigit, ut corpus comitetur: nulla autem hujusmodi unio intercedit inter Angelum & corpus. Aliqui dicunt inesse Angelo virtutem conservandi ubicationem corporis, quo facto, si Angelus se constituat constanter in eodem loco, & simul fortiter conservet ubicationem corporis, retine-
278 bit corpus in loco, ne ab alio agente dimoveri possit; quodsi se Angelus movere velit, poterit in alio immediatè producere ubicationem fluentem sibi præsentem. Fatentur insuper isti, posse dari corpus ita resistens Angelo, ut ab eo moveri, aut detineri non possit.

Non solùm autem corpora, sed etiam su-
279 perior inferiorem Angelum movere, aut loco detinere potest. Tob. 8. dicitur Raphael ligâsse Asmodæum, & Apoc 20. dicitur diabolus ab Angelo per mille annos ligatus. Aliqui volunt, hoc solùm fieri moraliter, nempe exigente Angelo superiore, ut inferior à DEO teneatur, vel moveatur. Verùm si DEVS po-

test

test physicè movere Angelos, non rectè dixerunt ijdem, solis corporibus proprium esse, movere aliud, quod erat fundamentum eorum. Contrarium itaque est Scripturæ conformius, ubi leguntur animæ moveri ab Angelis Lucæ 16. quidni ergo inferior Angelus poterit moveri à superiore? Modus autem 280
producendi erit idem qui fuit explicatus circa immediatum motum corporis.

Quoad apparitiones Angelorum, illæ duplici modo fieri possunt, primò solùm per phantasiæ illusionem, ut perinde sit homini, ac si coram videret juvenem, fœminam, virum, &c. quo modo dæmones illudere sagis certis- 281
simum est, & habetur in Concilio Ancyrano relato in can. Episcopi, 26. q. 5. Altero modo per apparitionem veram alicujus rei figuratæ, & coloratæ saltem colore apparente, qui fit per lucis reflexiones & refractiones, ut in Iride, & collo columbæ. & quidem apparitiones etiam hoc secundo modo fieri satis colligitur ex apparitione factâ Christo à dæmone in de- 282
serto; non enim fas est cogitare, dæmoni concessam potestatem immutandi phantasiam Christi; & præterea sacræ Litteræ passim de hujusmodi apparitionibus ut veris loquuntur.

Porro assumptio corporum dupliciter fieri potest; Primò ingrediendo vera corpora, v. g.

animalia, ut serpentem in Paradiso. Secundò formando aliquod corpus ex aëre; eum vario modo condensando, admiscendo alia corpuscula: detinendo partes corporis aërei, ne cedant tangenti, vel ut cedant paulatim instar corporis mollis. Existimant tamen Do-
283 ctores posse à tangente deprehendi fallaciam, quia dæmon non potest perfectè exprimere calorem vitalem, id quod se expertum esse fatetur Cardanus, & alij fide digni teste Cajetano.

CAPVT IV.

DE INTELLECTV ANGELICO.

284

§. I. *De cognitione objectorum localiter præsentium.*

QVM Angelorum intellectus, non minùs quàm humanus, indifferens sit ad cognoscenda hæc potiùs, quàm
285 alia objecta (potuisset enim idem Angelus poni in alio mundo, ubi alias rerum species cognovisset, potuisset item ex possibilibus alia objecta cognoscere, quàm quæ defacto cognoscit) consequens est, etiam intellectui Angelico necessarium esse aliquem concursum objecti, quidquid cum formidine negaverit Vasquez d. 204. c. 2. & 3. Quia verò objecta aliqua

aliqua; vel non sunt localiter applicata Angelo, vel non habent debitam proportionem ad concurrendum immediatè, hinc in Angelo vel concedendæ sunt aliquæ species intentionales spirituales, supplentes vicem objecti, vel alio modo explicanda est determinatio Angeli ad hæc potiùs, quàm alia cognoscenda. 286

Imprimis autem ad cognoscendum seipsum suásq; operationes vitales, dum actu existunt, non habet opus speciebus. Ratio prioris est, quia Angelus non potest à se abesse; éstque abundè proportionatus in esse intelligibilis, cùm sit proportionatus in esse intellectivi; quod perfectius est. Ratio posterioris est, quia huiusmodi actus non minùs sunt proportionati ad concurrendum immediatè, quàm esset ipsa species: ad quid ergo loco illorũ substituerentur vicariæ species? Idem dicendum de alijs accidentibus, si dantur in Angelis: & quidem ipsas species impressas, quas habet, utiq; non cognoscit per species alias; jam enim daretur processus in infinitum. Quoad actus vitales est etiam specialis adhuc ratio tribuendi influxum immediatum in cognitionem sui: sunt enim productivi specierum rememorativarum sui: ergo non excedit earum vires caussare immediatè cognitionem sui reflexam. 287 288

Controversia prima. An Angelus habeat opus

opus speciebus impressis ad cognoscendum alium Angelum præsentem.

Controversia secunda. An ad cognoscenda objecta materialia præsentia opus habeat speciebus.

§. II. *De cognitione objectorum distantium.*

289 NON solùm objecta sibi localiter præsentia, sed etiam absentia possunt cognoscere Angeli: tum quia utique non sunt minùs limitati, quàm potentiæ materiales, quæ ab objectis distantibus ad sui cognitionem moveri possunt; tum, quia inconveniens penitus est cogitare, quòd Angelus non possit alteri
290 loqui, nec hominum ad se directos sermones percipere, nisi per fortuitum incursum. Objecta materialia possunt Angeli cognoscere in magnâ distantiâ absque immediato concursu ipsius objecti: illa enim emittunt varios effectus in magnam sphæram, adeóque pertingentes usque ad Angelum intra illam sphæ-
291 ram existentem, ex quibus effectibus conijcere potest Angelus (non tamen intuitivè; nam in effectu non cognoscitur intuitivè causa) distantiam & existentiam causæ.

Objecta verò spiritualia, ut alios Angelos & animas separatas debet posse immediatè intra certam sphæram suæ perfectioni proportionatam cognoscere; nec enim mittunt

per

per aërem ſpecies, aut alias qualitates, multò minùs profluvium aliquod corpuſculorum.

Communiſſima ſententia ait habere Angelum ſpecies intentionales à DEO infuſas, quorum beneficio cognoſcant hujuſmodi objecta, imò & objecta materialia intuitivè & immediatè; adeò quidem, ut beneficio harum ſpecierum cognoſcere poſſent æquè bene objecta diſtantia, ſi nihil penitus intermediaret, quo mediante conjungerentur objecto cognoſcibili, atque ſi aliquid hujuſmodi mediaret: quia medium nihil conducit. Ita hactenus communiſſimè omnes. 292

A quâ ſententiâ noviſſimè, & modo noviſſimo recedit P. Ignatius Derkennis diſp. 2. de Angel. cap. 2 §. 3. diſp. 4. c. 1. §. 4. aſſerens in fine, ſe negare cõtra communem ſequentia, quæ ab alijs ut certa ſupponuntur. Primò, quòd res omnis hoc ipſo quòd exiſtat, debeat eſſe alicubi: hoc inquam negat, exiſtimans Angelum ab alijs rebus omnibus ſejunctum ſeu nõ conjunctum fore nullibi: imò defacto totum hunc mundum nullibi eſſe, nec potuiſſe creari alibi quàm hîc, neque ſi crearetur alius mundus, illum fore alibi, ſed tam illum, quàm iſtum fore nullibi. Secundò, negat poſſe duo determinatè diſtare nullo reali medio interjecto. Tertiò, negat poſſe unum claudi poſitivè intra aliud, cum quo neque conjunctum ſit, neque 293 294

neque medio aliquo connectatur. Quartò, negat potuisse universum alibi creari, quàm creatum sit, ut jam dictum. Quintò, posse aliquid moveri non in pleno. Verbo; existimat, ubicationem esse quidem formam superadditam rei locatæ, eam tamen non dari, nisi
295 tunc, quando dat hujusmodi denominationes: *esse distans ab alio, vel indistans, esse dextrum vel sinistrum, esse in hoc vel illo loco; quiescere vel moveri; esse intra vel extra aliud:* ulterius hujusmodi denominationes asserit nunquam posse verificari rebus non existentibus in pleno, hoc est, nisi sint vel immediatè vel media-
296 tè conjunctæ. vnde ulterius infert, quòd si Angeli fuissent creati ante vel extra hunc mundum, & sibi non conjuncti, non potuissent inter se habere societatis commercium.

Hæc omnia cùm sint singularia (quidquid de eorum veritate sit, de quâ viderint Philosophi) nos autem his Jnstitutionibus inserviamus discipulis in commodum, & nullo
297 modo in præjudicium Magistrorum, meritò supponimus omnia contraria, iisque suppositis fatetur ipse Der-kennius admittendas esse species Angelicas, quas ipse ex suis singularibus principijs deducit non esse necessarias ad objecta distantia intuenda, sed hæc concurrere immediatè, & in distans, modò tamen medium quo distat, sit plenum; si enim hoc

non

non esset, non denominaretur distans, hæc ille contra communem. quâ proinde sepositâ, & admissis speciebus servientibus ad cognoscenda objecta distantia, vel improportionata ad concurrendum immediatè

Controversia prima est, à quâ causâ producantur hæ species, an ab Objectis, an ab ipsâ Naturâ Angelicâ, an à DEO. 298

Controversia secunda. An sint hæ species Angelis à principio congenitæ, vel infundantur successivè ad positionem & exigentiam objectorum.

§. III. *De cognitione objectorum non existentium.*

OBjecta non existentia, vel existentia quidem, sed non intra sphæram virtutis 299 intellectivæ Angeli non cognoscit Angelus immediatè & quidditativè nisi per species. Ratio est, quia cùm objectorum concursus requiratur, ut dictum est, objecta autem non existentia non possint concurrere, requiretur species illorum, aut DEVS per extrinsecum 300 concursum supplere debet. Dixi: *immediatè*: nam in causis præsentibus, tanquam in medio cognito possunt utique cognoscere possibilia.

Possunt autem species esse universales in repræsentando; hoc est, in se quidem indivisibiles, aptæ tamen ad repræsentanda plura

objecta

objecta. Ratio est; nam species ordinantur ad actus: atqui possunt uno indivisibili actu cognosci plura objecta: ergo potest etiam una species ea repræsentare.

Vtrum autem Angelus utendo tali specie universali hoc ipso necessitetur ad cognoscenda æqualiter omnia objecta repræsentabilia per illam speciem, vel possit suo arbitrio eam assumere ad unum præ cæteris repræsentandum, non potest solido & indubitabili fundamento decidi. 301

Major perfectio unius Angeli supra alios non hocipso arguit majorem specierum universalitatem, ex tali enim calculatione evidenter deduceretur, vel nõ posse infra quemvis Angelum creari imperfectiorem, & supra quemvis alium perfectiorem (quod esse falsum supponimus) vel denique deveniri posse ad Angelum, cui non debeatur species universalis, nisi ad duo objecta: ergo totus ordo, & series inferiorum, quantumvis perfectione inæqualium, carebit speciebus universalibus, & sic jam intelligetur unus Angelus alio perfectior, sine speciebus universalioribus. 302 303

Quòd Angeli defacto cognoverint aliqua ex objectis hujusmodi, est cõmunis omnium sensus, & colligitur ex Ezech. 28. ubi de Lucifero dicitur, quòd plenus sapientiâ & perfectus decore in delicijs Paradisi fuerit, &

perfectus

perfectus in vijs ſuis à die conditionis ſuæ.

Controverſia eſt, an ad hæc objecta primò & quidditativè cognoſcenda fuerint Angelis congenitæ ſpecies impreſſæ, vel potiùs DEVS *determinaverit illos ad ſpeciem expreſſam certorum hujuſmodi objectorum: quæ deinde ſpecies expreſſa, ſeu cognitio produxerit ſpecies memorativas,* 304 *quarum beneficio deinceps ſint uſi Angeli.*

§. IV. *De ſphærâ cognitionis Angelicæ.*

COmmunior Theologorum ſenſus eſt, Angelis competere ſphæram limitatam majorem, vel minorem, pro majore vel minore perfectione. 305 Neque hîc obſtat ulla calculatio, qualem ſupra fecimus circa univerſalitatem ſpecierum: nam principijs mathematicis evidentibus demonſtratur, quodvis ſpatium eſſe virtualiter diviſibile in infinitum, quod nunc ſuppono. Colligitur autem limitatio ſphæræ ex illis Scripturæ teſtimonijs, quibus indicatur, Angelos circumambulare ad intelligenda ea, quæ fiunt. ſic 1. Pet. 5. dicitur diabolus tanquam leo rugiens circuire quærens, quem devoret. Job. 1. & 2. *circuivi & perambulavi eam*, nempe, ut videret, quid ageretur, & vias hominum obſervaret. Lucæ 11. cùm redit ad domum, unde exivit, invenit eam ſcopis mundatam, & or-

natam. Deinde viri sancti viderunt Luciferum suos satellites interrogantem, quid in terris gessissent: hoc autem supponere videtur, non posse ipsum quævis distantia videre. Ex eodem capite facilis est explicatio, quo modo latuerit dæmonem Mysterium In-
307 carnationis, ipso scilicet absente perpetratum.

§. V. *De cognitione futurorum, & secretis cordium.*

FVtura dupliciter cognosci possunt, vel in suâ causâ, vel in seipsis. Et quidem loquendo de effectibus necessarijs certum est,
308 eos cognosci ab Angelis in suis causis, quantum est ex vi causarum; quia, an DEVS velit miraculosè impedire influxum, non potest Angelo constare, nisi per revelationem.

De effectibus contingentibus, seu liberis & eventibus inde pendentibus, est difficultas: & imprimis etiam certum est, hos non posse cognosci certò & infallibiliter in suâ causâ:
309 hæc enim de se est indifferens, ad sic operandum, vel non operandum: alioquin non esset libera. Potest tamen Angelus hujusmodi effectus quandoque conjecturaliter cognoscere propter vehementem propensionem causæ, & alias circumstantias.

Certum insuper est, non posse illos naturaliter

raliter cognoscere in seipsis: hoc enim est proprium DEI. Isa. 41. *Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & scimus, quia Dij estis vos.* & cap 47. *Non est similis mei, annuntians ab exordio novissimum, & ab initio, quæ nondum facta sunt, dicens.* Ratio hujus facilè redditur ab illis, qui negant horum objectorum 310
species esse à principio congenitas, sed primùm existente objecto: illi verò, qui volunt esse congenitas, dicunt, non deberi speciebus concursum, nisi existente objecto.

Secreta cordium alienorum sine DEI revelatione, aut consensu illius, qui ea habet secreta, Angeli non possunt immediatè co- 311
gnoscere, sed tantùm in signis & effectibus exterioribus: hæc enim notitia solius DEI propria est 2. Paralip. 6. *Tu solus nosti corda filiorum hominum.* Jerem. 17. *Ego Dominus scrutans cor.* Communiter hujus rei ratio redditur ex S. Thomâ, id provenire juxta exigentiam naturæ intellectualis: hæc enim exigit plenum dominium in suos actus internos, nec debet impediri, aut abstrerreri pro- 312
pterea, quòd ab alijs cognoscerentur, indéq; gravia incommoda nascerentur in vitâ politicâ: exigit proinde natura intellectualis, jure naturali, ne sua secreta sine suo consensu alteri pateant, sicut idem jus naturale vetat violationem sigilli, & epistolarum.

Controversum est, quousque hujusmodi secretum, & ad quos actus se extendat, an etiam ad actus non liberos, ad cognitiones, actus phantasiæ, appetitûs, sensuum externorum, & ad species alterius Angeli.

§. VI. *De necessitate Angeli, & liberâ determinatione ad aliquid cognoscendum.*

313 NOn potest Angelus omnem penitus cognitionem liberè suspendere: Si enim hoc fieret, non posset se amplius postmodum excitare ad ullam cognitionem: nam omnis excitatio fit per applicationem provenientem ab imperio voluntatis: omnis autem actus voluntatis præsupponit cognitionem:
314 destitutus ergo omni cognitione non posset liberè ad cognoscendum redire. Plures rationes hujus assertionis afferri possunt, ex quibus pariter deduci videtur, non posse Angelum unquam cogitare de paucioribus objectis, qnàm de quibus naturaliter simul,
315 servatis ijsdem circumstantijs, cogitare potest.

Angelus non cogitat necessariò de omni simul objecto, cujus habet speciem, aut sufficientem objecti præsentiam, vel in se, vel in suis causis. Porro applicatio Angeli ad hæc præ illis distinctè cognoscenda à multis explica-

plicatur, dicendo, quòd Angelus nunquam possit cessare à cognitione omnium suarum specierum, quas habet: & consequenter semper abstractivè cognoscat objecta tanquam terminos talium specierum: hoc posito potest Angelus liberè determinare usum talis vel talis speciei ad cognoscendum deinde 316
intuitivè illius objectum.

Potest denique Angelus desistere à cognitione objectorum, applicando se ad alia; hoc ipso enim debet desinere à totidem alijs jam cognitis, vel minùs distinctè cognoscere propter suam limitatam intelligendi virtutem.

CAPVT V. 317

DE LOCVTIONE ET ILLVMINATIONE ANGELORVM.

ANGELOS inter se colloqui docet sæpius S. Scriptura. Apoc. 7. *Angelus unus clamavit ad quatuor alios dicens: Nolite nocere terræ & mari, &c.* & 318
alibi passim. Ratio est, quia debet illis competere modus manifestandi invicem sua arcana, hoc enim ad societatem naturæ intellectualis necessarium est. Hæc autem locutio non semper fit producendo signa sensibilia ad instar hominum, quidquid dixerit Durandus; non enim Angeli essent muti, etiamsi

corporibus sensibilibus destituti essent.

Controversia & magna dissensio est, quomodo hæc locutio fiat, & quomodo possit Angelus suum conceptum dirigere ad alium, ita ut alij non audiant, ubi etiam explicatur, an & quomodo possit unus Angelus alteri mentiri.

319 Species locutionis Angelicæ est Illuminatio, quam inter Angelos agnoscunt Theologi cum S. Dionysio id colligente ex Zachar. 1. & 2. & Ezech. 9. Ratio est, quia DEVS solet infima per media, & media per summa regere, & administrare.

Consistit autem hæc illuminatio formaliter in hoc, quòd Angelus illuminans inter-
320 veniente locutione veritatem aliquam, per modum Magistri docentis, alteri Angelo proponat. Non sufficit autem cuiusvis veritatis manifestatio, sed necesse est, ut illa veritatis cognitio perficiat intellectum audientis, & objectum aliquo modo pertineat ad DEVM; alioquin & dæmones invicem illuminarent.

321 Credibile est, nihil inferioribus Angelis revelari, quod non saltem supremis Angelis sit cognitum. hi autem illuminantur immediatè à DEO. Neque tantùm superiores Hierarchiæ illuminant inferiores, sed etiam intra eandem Hierarchiam superior chorus inferiorem. hæc enim sunt conformia suavi gubernationi divinæ. *CA-*

CAPVT VI.

DE VOLVNTATE ANGELORVM.

ESSE Angelis voluntatem liberam constat ex eorum merito & demerito. Quomodo Angelus se vel alia 322
objecta amet necessariò, vel quoad specificationem, vel quoad exercitium, pendet ex modo, quo hæc objecta cognoscit: si enim cognitionem sui non potest suspendere, ut non pauci volunt, necessariò etiam se amabit. sed hæc & similia, quæ sunt Angelis cum hominibus communia, non sunt huius loci.

Angelos secundùm naturam suam consi- 323
deratos peccare posse venialiter, tum ex parvitate materiæ, v.g. leve damnum inferendo, tum ex genere peccati, ut leviter mentiendo, vel decipiendo, meritò communiter asseritur contra Thomistas. Quin imò etiam ex defectu cognitionis possent: nempe quando vel errarent judicando aliquid esse leve, 324
quod reipsâ est grave, vel quando leviter attenderent ad objectum grave, nimiùm occupati circa aliud, & sic ex semiplenâ deliberatione.

An in primo instanti possit Angelus peccare, sicut potest mereri, non est ita certum, eò quòd ad providentiam DEI spectare videatur,

deatur, ita omnia circa creaturas intellectuales disponere, ut non statim in primo instanti sint defectuosæ: verùm quia vel hæc est petitio principij, vel æquè facilè negatur, atque asseritur hæc providentiæ necessitas, & plenum DEI in creaturas dominium æquè fortiter stet in contrarium, communiùs affirmatur, posse Angelum in primo instanti etiam mortaliter peccare.

325

Angelicæ voluntatis inflexibilitas ita asseritur à Thomistis, ut ab electione semel factâ nullo modo possit desistere contrarium eligēdo, saltem ijsdem motivis retentis. Contrarium tenent alij communiter; nam, ut ponimus, manet idem actus primus proximus indifferens ad amplectendum, vel non amplectendum objectum: neque ex eo, quòd semel fuerit facta electio, infertur necessitas physica perseverandi, sed ad summum magna difficultas.

326

CAPVT VII.

DE VIA ANGELORVM QVOAD STATVM GRATIÆ ET MERITI.

327

NVLLVS Angelus creatus est cum verâ beatitudine supernaturali, hoc est, visione beatâ, ut passim supponunt sancti Patres. Ratio desumitur ex lapsu malorum,

lorum, unde colligitur omnes Angelos aliquando fuisse in viâ, & statu merendi & peccandi, qui status non conjungitur cum beatitudine.

Et quidem non solùm boni, sed etiam mali ante lapsum fuerũt sanctitate prædíti, ut colligitur ex Epistola Judæ, ubi dicuntur Angeli 328
non servâsse suum principatum, sed dereliquisse suum domicilium. & Joann. 8. dicitur, diabolus non stetisse in veritate. Ratio congruentiæ desumitur à paritate hominis, qui priusquam laberetur, sanctitatem adeptus est, ut habet Trident. Concil. sess. 5. de peccat. Original. in princ. ergo idem, & multò magis de Angelis cogitandum est, utpote naturâ 329
dignioribus. Porro quia non est major ratio de tempore sequente ad primam creationem, quàm de primo creationis instanti, hinc communiter censentur statim in primo instanti sanctificati fuisse.

Controversia est prima. An hanc sanctitatem acceperint ex meritis, vel sine meritis.

Controversia secunda. An in collatione auxiliorum fuerit observata proportio cum inæqualitate naturæ. 330

Theologi constituunt certum numerum Instantium Angelicorum, quibus duraverit via tam bonorum, quàm malorum. Non accipiunt autem instans mathematicè, sed pro

brevi morulâ, eáque multiplicant pro diversitate valde notabili operationum, quas in viâ elicuerunt. Itaque primum instans tam bonorum, quàm malorum Angelorum sumitur pro illo tempore, quo in gratiâ perseverârunt. & quia boni Angeli pugnantes cum malis diutiùs in gratiâ perseverârunt, & dum
331 alij peccârent, gratiam merendo auxerunt, hinc est, quòd bonorum Angelorum primum instans viæ theologicè sumptum duraverit diutiùs, quàm malorum. Post hoc igitur instans, hoc est, post debitam perseverantiam, collata est bonis Angelis beatitudo, cuius occupatio seu apprehensio, & possessio vocatur alterum instans Angelicum, & sic aiunt Theo-
332 logi, viam bonorum absolvi duobus instantibus: nisi quis dicere malit, hoc secundum instans non pertinere ad viam; nam comprehensores non dicuntur amplius viatores.

Malorum econtra viam absolvunt tribus instantibus, primum, quo fuerunt in gratiâ; secundum, quo peccârunt; tertium, quo ad æternam pœnam detrusi sunt.

333 *Controversia est, an Angeli mali simul peccaverint, vel aliqui priùs, aliqui posteriùs.*

CAPVT

CAPVT VIII.

DE PECCATO, ET POENA ANGELORVM.

§. I. *Peccatum Angelorum.*

PECCATVM Angelorum fuisse peccatum superbiæ constans est Theologorum sententia, satis fundata in sacrâ Scriptura. Isa. 14. *Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui manè oriebaris: qui dicebas in corde tuo: in cœlum conscendam, super Astra* DEI *exaltabo solium meum.* Ezech 28. *Elevatum est cor tuum.* Job. 41. Tob 4. *In superbiâ initium sumpsit omnis perditio. Ipse est rex super omnes filios superbiæ.* Lucæ 10. Christus volens reprimere discipulorum ambitionem dicit: *Videbam Satanam tanquam fulgur de cælo cadentem.* Et quidem ex aliquibus locis colligitur, fuisse appetētiam inordinatam alicuius similitudinis. cum DEO Isa. 14. *Similis ero Altissimo.* Ezech. 28. *Dixisti:* DEVS *ego sum.* 334 335

Quale autem fuerit objectum huius superbiæ, sunt opiniones admodum diversæ Aliqui volunt, fuisse nimium affectum erga propriam beatitudinem naturalem: alij erga supernaturalem: alij volunt appetijsse æqualitatem cum DEO, seu ipsam Divinitatem saltem actu 336

inefficaci,

inefficaci. alij, inordinatè appetijsse unionem hypostaticam cum suâ naturâ: alij, recusâsse subjectionem Christo homini venturo: alij, voluisse esse independentem à Deo non in naturâ, sed moraliter, ut nempe suo arbitrio relinqueretur nullis à Deo impositis præceptis,

337 *Controvertitur ergo, quanam ex his opinionibus, & Naturæ Angelorum, & Scripturæ conformior sit.*

Ex illis, qui peccârunt nullum fructuosè resipuisse, est constans Patrum sententia fundata in illo 2. Petri. 2. Deus *Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detra-*

338 *ctos in tartarum tradidit cruciandos*: ubi sine ullius exceptionis insinuatione sermo est. Unde consequens videtur, non fuisse illis factam potestatem salutaris pœnitentiæ (tametsi hoc certum non sit, & negetur à Salmerone) alioquin vix credibile est, inter tot myriades nullum fuisse futurum, qui resipisceret: neque tamen continuò, & immediatè detrusi

339 sunt ad infernum, sed primùm in termino prælij: quæ dilatio, tametsi non profuerit malis, profuit tamen bonis, & in veritate persistentibus, atque tentationi Luciferi resistentibus: qnæ victoria utique difficilior fuit, atque fuisset, si vidissent in momento ad pœnam æternam detrusos.

§. II.

§. II. *Pœna dæmonum.*

Pœna dæmonum duplex est, damni & sensûs. Prior est privatio æternæ beatitudinis, & respondet aversioni à DEO per peccatum. Pœna sensûs (respondens conversioni ad creaturas) non est propriè talis, cùm Angeli sensus non habeant: consistit tamen in aliquâ positivâ afflictione simili molestis sen- 340
sationibus, & aliquo modo proveniente ab igne materiali, juxta illud Matth. 25. *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis ejus.* Apoc. 20. *Diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis & sulphuris.* Ex quibus locis colligitur dæmones aliquo modo ab igne torqueri; sed
quo modo id fieri possit, cùm sint meri Spiri- 341
tus, explicatu difficile est. Et imprimis certum est torqueri ab illo, saltem *per alligationem*, ut loquuntur Theologi, nempe quatenus experiuntur, se divinâ virtute illo igne velut carcere detineri, aut certè illum sibi deberi, &
aliquando esse æternùm illo includendos; & 342
hunc solum affligendi modum agnoscunt aliqui.

Sunt, qui dicant, ignem producere in dæmone speciem impressam, vel expressam sui, molestam & afflictivam illius quatenus impeditivam alterius cognitionis. Hæc tamen non videtur esse tanta afflictio, quantam om-

nes

nes fideles concipiunt dæmonibus inesse. Alij volunt dæmonem alligari corpori, cui sit contrarius ignis, & sic redundare in dæmonem, sicut dolor corporis in animam. sed malè ex multis capitibus, quæ non vacat referre, cùm ad philosophiam spectent. Alij
343 confugiunt ad potétiam obedientialem ignis, quem putant elevari ad producendam qualitatem spiritualem, non minùs disconvenientem dæmoni quàm calor carni vivæ. Alij alia comminiscuntur. Denique sinceriores cum S. Augustino dicunt, *torqueri spiritus igne corporeo miris, sed veris modis*, hoc est, modis nobis incognitis.

344 **§. III.** *Obstinatio dæmonum.*

Effectus pœnæ est Obstinatio in malo erga Devm affectu; quæ quidem non est physica impotentia cessandi ab odio Dei, & approbatione peccati commissi, sed est impotentia moralis habens adjunctam physicam potentiam ad oppositum; unde consequens est, dæmones per illos actus verè peccare. Provenit autem
345 hæc moralis impotentia ex pluribus capitibus. imprimis enim determinantur, vel immediatè à Deo, vel à pœnâ sensûs ad cogitandum assiduè de amissâ omni spe consequendæ beatitudinis, à quâ non procul abfuerant, & facilè consequi potuissent: item

deter-

determinantur ad cogitandum de DEO, ut severissimo vindice per acerbissimam pœnam: præterea DEVS in pœnam dat infirmissima auxilia pœnitendi, nempe talia, quæ melius esset non habere, quàm habere, & ideo carent omni denominatione gratiæ, utpote præcisè sufficientia ad libertatem non peccandi. 346

§. IV. *Locus damnatorum, eiúsque capacitas.*

EVNDEM esse locum à DEO tam dæmonibus, quàm reprobis hominibus designatum, est unanimis fidelium sensus, & apertè satis colligitur ex testimonijs supra allatis. Hunc locum esse in ipsis terræ visceribus ex ijsdem non obscurè deducitur, & ideo ab omnibus 347 *Infernus* nominatur. Quia verò plurium phantasia difficillimè capit, quî tot damnati, ac damnandi, reassumptis corporibus, possint sine corporum penetratione, sine præjudicio superiorum terræ partium, includi spatio circa terræ centrum; ideo consulendus est, & à nobis brevitatis gratia supponitur 348 calculus initus à P. Der-kennio cap. 7. disp. 7. quo probat spatium cubicum viginti milliarium astronomicorum, hoc est, sex horarum itineris & unius tertiæ partis horæ, sufficere ad hoc, ut cuilibet reprobo detur spatium cubicum pedum decem, hoc est, pedes cubici mille,

mille, si supponamus, mundum staturum decem millibus annorum, & singulis annis centum milliones damnatum iri. Cùm igitur juxta recentiores Cosmographos semidiameter terræ contineat milliaria unius horæ 1089,
349 astronomica verò 3437, si ab hoc numero demantur ab utraque centri parte 10. milliaria astronomica, distabit adhuc superficies terræ ab inferno milliaribus astronomicis 3427.

CAPVT IX.

350 DE ORDINE ET MINISTERIO ANGELORVM.

HIERARCHIAS & Choros Angelorum jam supra retulimus, unà cum eorundem ordine & officio. Ordo autem dignitatis, loquendo de Angelis bonis, inchoativè quidem à præstantiâ Naturæ, compleтè verò ab excessu gratiæ à DEO collatæ
351 (sive sine, sive ex meritis) habetur. Quoad dæmones negari non potest, etiam inter illos esse quendam Ordinem superioritatis, & subjectionis politicæ, ut ex Matth. 12. colligitur, ubi Christus dæmonis regnum agnoscit. horum autem in alios imperium videtur ultimò compleri per voluntariam quasi electionem, ex odio, & invidiâ erga DEVM, ad prosequendum

dum efficaciùs bellum contra DEVM, & homines ſuſceptum.

Ad hominum cuſtodiam Angelos eſſe deſtinatos continetur ſæpius in ſacris litteris Pſal. 90. *Angelis ſuis* DEVS *mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus vijs tuis.* Matth. 18. *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris.* ad 352
Hebr. 1. *Omnes ſunt adminiſtratorij Spiritus in miniſterium miſſi propter eos, qui &c.* quæ teſtimonia ita ſemper Eccleſia intellexit, ut ſingulis hominibus ſingularem Cuſtodem attributum eſſe cenſuerit; neque id poſſet ſine temeritate vel errore negari. Pari modo è contrario communis ſenſus eſt, ſingulis homi- 353
nibus adeſſe dæmonem ad perverſa ſollicitantem.

Ad hanc Angelorum cuſtodiam ſpectat, excitare mediâ phantaſiâ & humorum commotione cogitationes bonas, & motus inclinantes ad bonum: avertere pericula cauſsáſque nocivas: compeſcere dæmones nobis inſidiantes: offerre clientum orationes DEO, 354
eundémque pro illis orare: punire & corrigere per infortunia, morbos, aliáſque moleſtias: ac denique poſt mortem deducere ad Paradiſum, vel ad Purgatorium, ibíq; conſolari.

I INSTI-

INSTITVTIONVM THEOLOGICARVM

Liber II.

DE ACTIBVS HVMANIS, LEGIBVS ET GRATIA

Titvlvs I.

DE ACTIBVS HVMANIS IN GENERE.

Diximvs à principio, Theologiam versâri circa Devm, vel ut cognoscendum, vel ut consequendum; quæ ad primum membrum spectant, expedita sunt: nunc accedimus ad Devm, prout est finis Hominis, & ad media, per quæ illum consequi possimus, inter quæ primo loco veniunt Actus Humani.

Caput I.

DE BEATITVDINE, VT FINE HOMINIS.

§. I. *De Intentione finis ultimi.*

Finis ultimus duplex est, particularis, & universalis. Particularis est, qui alicui particulari operi ita præfigitur,

figitur, ut in eo hîc & nunc sistatur, vocaríq; solet finis operis potiùs, quàm operantis, & non est ultimus positivè, sed tantùm negativè. Universalis est, ad quem referuntur omnia opera, quæ ad illum consequendum aliquo modo conducere possunt, vel positivè, vel negativè, hoc est, saltem illum non impediendo; 4 & hic finis vocatur ultimus simpliciter.

Finis simpliciter ultimus dupliciter à nobis concipi potest. Primò in abstracto sub ratione summæ felicitatis: secundò in concreto, prout nempe illa ratio summæ felicitatis, vel reipsâ, vel pro libitu operantis, applicatur alicui certæ rei: & in hoc sensu dicitur alius finis ultimus esse verus, alius falsus, v.g. quando quis creaturam præfert Deo. priorem vocant aliqui ultimum *quoad rem*, posteriorem verò ultimum *quoad nos*. 5

Jam itaque, tametsi omnes hominis actiones proximè referantur in aliquem finem particularem, remotè tamen, & implicitè saltem, omnes diriguntur ad finem simpliciter ultimum, saltem in abstracto aliquo modo intentum; nam eatenus quæruntur bona particularia, quatenus hæc sunt, vel æstimantur, acsi essent partes boni universalis omnem felicitatem complectentis, quódque est meta omnium rationalium agentium; & in hoc sensu dicuntur omnes beatitudinem appetere. 6

Verùm, quâ ratione omnes actus propriè humani habeant intrinsecum ordinem ad finem ultimum, commodiùs tractatur infrà circa Libertatem actuum humanorum.

Hinc intelligi potest, quomodo peccator dicatur pro ultimo fine constituere sibi creaturam, relicto DEO, prout sæpius docet sacra
7 Scriptura. Matth. 10. *Qui amat patrem aut matrem plùs quàm me, non est me dignus.* Jo. 12. *Dilexerunt gloriam hominum magis, quàm gloriam* DEI. Rom. 1. *Servierunt creaturæ potiùs, quàm Creatori.* Philip. 3. *Quorum* DEVS *venter est, &c.* Ratio est, quia videns amorem creaturæ, hîc & nunc esse destructivum amici-
8 tiæ DEI, adeóque conijcere in periculum æternùm carendi DEO, cùm econtra amicitia tribuat spem, probabilitatem, & aliquam confidentiam, vel securitatem cõsequendi DEVM, peccator nihilominus mavult se conijcere in illud periculum, ut fruatur creaturâ, quàm obedire DEO, adeóque amore creaturæ con-
9 tentus est carere DEO, si fortè ex tali periculo carentia DEI consequetur.

§. II. *In quo consistat essentialiter Beatitudo.*

BEatitudo definitur Status omnium bonorum congregatione perfectus. Dividitur in beatitudinem naturalem, & supernaturalem:

lem: Naturalis est, quæ conveniret homini, si in puris naturalibus relictus fuisset. Supernaturalis est, quæ convenit homini vi elevationis ad vitam æternam consequendam. Et hæc iterum duplex est, alia conveniens huic vitæ, alia conveniens post hanc vitam.

Dividitur unaquæque in Beatitudinem objectivam, & formalem. Objectiva est illud bonum objectum, quod nos allicit ad sui desiderium, & quando possidetur, est terminus, & objectum gaudij; Beatitudo formalis est ipsa possessio illius boni objectivi, seu est ille actus, quo illo bono fruimur. 10

Beatitudo naturalis, quam homo in hâc vitâ consequi potest, nec in divitijs (quæ potiùs sunt media, quàm finis) nec in gloriâ (nec enim hæc explet hominis desiderium, utpote multis animi affectibus perturbabilis,) nec in bonis corporis, aut sensuum voluptatibus (utpote bonis inferioris partis) sed potiùs consistere videtur in contemplatione veritatum naturaliter cognoscibilium, & in animi quiete, ac gaudio proveniente ex eo, quòd quis suâ sorte contentus nihil humanum timet aut sperat. Sed hæc ad Philosophiam moralem spectant. 11 12

Si homo in puris naturalibus relictus fuisset, ex desiderio naturali beatitudinis colligunt probabiliter aliqui Doctores, hominem

consecuturum fuisse beatitudinem in suo genere perfectam, postquam tempore viæ à DEO tunc præscribendo totam naturæ legem observâsset, nullo mortali admisso peccato, vel certè gratis remisso ob naturalem pœnitentiam; tunc enim arbitrantur transferendum fuisse in locum amœnissimum, & statum im-
13 mutabilem accepto triplici dono, impeccabilitate, proveniente ex speciali DEI providentiâ, scientiarum naturalium infusione, & securitate sui statûs.

Beatitudo supernaturalis, quæ defacto in hâc vitâ inveniri potest, consistit præcipuè in actibus Charitatis provenientibus à gratiâ san-
14 ctificante; sunt enim cæteris perfectiores, & magis ad futuram beatitudinem alterius vitæ conducunt. Quia tamen amissibilis est, ideo imperfecta est.

Vltima Beatitudo, supernaturalis alterius vitæ, & objectiva est DEVS. Joannis 17. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum* DEVM,
15 *&c.* 1. Joann. 5. *Hic est verus* DEVS, *& vita æterna.* Ratio est, quia DEVS possessus, nulla verò creatura plenè satiat appetitum. Solus enim DEVS est bonum sufficiens carens omni defectu; cuius bona fiunt bona hominis per possessionem ipsius DEI, in quo Beatorum appetitus plenè quiescit, videns se hoc bono obtento, nullo alio indigere; nam, ut in primâ

parte

parte dictum est, creatura adjuncta DEO non facit æstimabilius bonum, quàm sit DEVS solus.

Præterea Beatitudo non potest consistere in alio, quàm in perfectissimâ operatione hominis: non est autem perfectior operatio possibilis homini, quàm visio, & amor indefectibilis DEI, incompossibilis cum offensâ DEI: ergo in his consistere beatitudinem necesse est. 16

Illud, per quod possidetur DEVS, est aliquid distinctum à Deo & homine, cùm defacto utroque existente possessio non existat. Neque tamen est unio quædam hypostatica, seu physica, quâ humano intellectui ita uniatur actus divinæ Intellectionis, ut sicut humana natura Christi subsistit per Verbum sibi unitum, ita intellectus beatorum intelligat per ipsam infinitam DEI intellectionem: nam prædicatum *intelligentis* non potest haberi à formâ non vitaliter productâ ab intelligente: & insuper hoc modo omnium beatitudo esset æqualis, cuius oppositum in primâ parte statutum est: ut taceam alias rationes, quibus intr. de Incarnatione monstratur, effectus formales *Omnipotentis, Omniscij, Immẽsi, Æterni*, ne quidem ipsi Christo tribui per unionem hypostaticam cum Verbo. 17 18

Necesse quidem est, hanc beatitudinis Ob-

jectivæ possessionem tandem in aliquo nobis intimè conjuncto consistere: sicut enim, quod nullo modo nos intrinsecè afficit, non potest nos miseros reddere, sed perinde se habet, acsi non esset, ita nec aliquid merè extrinsecum potest nos reddere bonos, aut beatos: alioquin
19 quid quæso deesset, quominùs omnes per existentiam DEI, & nostram essemus beati, & pariter per existentiam inferni, & nostram essemus miseri? Neque tamen hæc ipsa possessio formaliter, & ultimatè salvabitur vel in Lumine Gloriæ, vel in alio pertinente ad solum actum primum, & habente officium
20 potentiæ, sive principij: Omnis enim potentia habet præcisè rationem medij, & intenditur propter actum tanquam finem: fine autem non obtento nemo est beatus: ergo non in potentiâ, sed in actu consistit ultima determinatio ad *esse beatum*.

Sunt verò ab hoc ultimo determinativo excludendi omnes illi actus, qui immediatè
21 versantur circa aliquid creatum: alioquin non DEVS, sed creatura esset nostra beatitudo objectiva, & appetitûs nostri satiativa. Sed neque sufficiunt quicunque actus circa DEVM versantes, ut sunt cognitiones abstractivæ, & amor subsequens: hi enim & sunt variabiles, & adeò non satiant, ut potiùs ulterioris & perfectioris possessionis desiderium eò magis accen-

accendant, quò frequentiores & meliores habentur.

Nihil itaque restat, nisi Visio, seu intuitiva cognitio divinitatis, exposita in primâ parte, unà cum amore subsequente, & necessario, conformiter sacræ Scripturæ. Matth. 5. *Beati mundo corde, quoniam ipsi DEVM videbunt.* 22
Joann. 17. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te.* Matth. 27. *intra in gaudium Domini tui.* Jo. 16. *Gaudium vestrum nemo tollet à vobis.*

Ad beatitudinem insuper spectat, esse reflexè certum de inamissibilitate possessionis: absque hâc enim certitudine evidenter cognitâ neutiquam tolleretur anxietas, & sollicitudo de latente fortè periculo illius amittendæ. 23
Ratio ulterior est, quia beatitudinis status cognosci debet esse ille ipse, quem in hâc vitâ futurum credidimus, & speravimus: atqui speravimus beatitudinem æternam. 2. ad Cor. 4. *Æternum gloriæ pondus operatur.* Joan. 16. *Gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Videtur itaq; beatus decretum Dei conservandi æternùm, vel hanc numero, vel aliam illi similem 24
visionem.

Controversia prima est. An primariò & formaliter consistat beatitudo formalis in solâ visione, ita ut amor sit potiùs effectus beatitudinis, vel ad summum illius complementum integrale: vel an consistat in utroque simul: vel in amore primario.

Controversia secunda. An amor in patriâ specie differat ab amore in viâ.

Controversia tertia. Ex quonam capite proveniat repugnantia beatitudinis cum dolore & tristitiâ ob neglectum propriâ culpâ majus gloriæ augmentum, de quo aliquid §. sequenti.

25 Status Beatorum expers est omnis peccati, tam habitualis, quàm actualis. Apoc. 21. *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum.* Ratio est, quia omne peccatum est miseria, utpote fundans titulum pœnæ, & inducens aliqualem aversionem à Deo: omnis autem miseria repugnat beatitudini.

26 Quoad peccatum habituale est etiam ratio specialis: quia de ratione amicitiæ est non reservare jus ad odium: beatus autem habet jus ad divinam amicitiam. Repugnantia verò cum peccato actuali fundatur in amore ferventissimo, & summè appretiativo
27 DEI, adeóque postponente necessariò quidquid displicet Deo; ad quem amorem necessitat visio DEI.

§. III. *De dotibus & aureolis,*

AD Beatitudinem essentialem consequuntur tam in anima, quàm in corpore certæ dotes, quarum pleræque sunt omnibus beatis communes, aliquæ tamen nonnisi quibusdam propriæ, dicuntúrque *Aureolæ*. Intelligi-

telligitur autem nomine *Dotis* hîc per quandam metaphoram peculiare donum, quòd à Christo Domino animæ velut sponsæ, quæ in domum paternam jam traducitur, donatur; sicut quandoque etiam sponsi opulenti sponsabus pauperculis dotem assignare solent. *l. Dotis. 3. ff. de jure dotium.* 28

Dotes animæ communiter enumerantur tres, Visio, Comprehensio, seu Tentio, & Fruitio. Verùm istæ non possunt omnes à Beatitudine esse distinctæ, & ideo DD. non conveniunt in explicandis istis dotibus, quæ tamen est lis parvi momenti.

Ad Animæ dotes pertinet exclusio omnis 29
tristitiæ; nam licet beatis appareant aliqua objecta, quæ alioquin secundùm se possent caussare tristitiam, ut peccata commissa, defectus majoris beatitudinis ex propriâ culpâ proveniens; attamen vehementia gaudij de bonis intrinsecis Dei tanta est, ut nullam tristitiam ex suâ naturâ admittat; (nisi per mi- 30
raculum conjungatur, ut in Christo factum est) quod explicatur hoc exemplo.

Quando Jacob à suis filijs ex Ægypto redeuntibus cum tot muneribus audivit simul, Josephum filium suum adhuc vivere, & in tantâ glorià constitutum esse, tanto gaudio perfusus est, ut de modico aliquo damno tũc occurrente non potuisset tristari, v.g. si ovicula

pedem

pedem fregisset: atqui longè vehementius est gaudium beatorum de bonis amici sui DEI; & longè major excessus est bonorum DEI respectu damnorum extrinsecorum, quæ sustinet beatus, quàm in casu Jacobi: ergo, &c. alij aliter declarant.

31 Ad easdem dotes spectat Impeccabilitas non solùm moralis, sed physica, quæ provenit ex ipsâ clarâ DEI visione caussante necessariò feruentissimum amorem DEI, de quâ jam dictum.

Beatitudinem Corporis (quæ in sensuum oblectatione consistit) quatuor Dotes comitantur, Impassibilitas, Subtilitas, Agilitas, Claritas. Impassibilitas traditur 1. ad Cor. 15.
32 *Seminatur in corruptione, surget in incorruptione, seminatur in ignobilitate, surget in gloria; seminatur in infirmitate, surget in virtute.* Subtilitas habetur ibid. v. 44. *Seminatur corpus animale, surget spiritale.* hoc est, cum vi penetrandi omnia corpora sine ullâ resistentiâ, vel ut alij interpretantur, cum purâ & perfectâ
33 dispositione & complexione. Agilitas Sap. 3. *Tanquam scintillæ in arundineto discurrent.* Claritas, loco ante cit. *Surget in gloria.* Sap. 3. *Fulgebunt justi.* Matth. 13. Tunc justi fulgebunt sicut sol. Philip. 3. *Reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis Jua.*

Impas-

Impassibilitas seu Incorruptibilitas vndenam proveniat, referuntur novem sententiæ à P. Tannero *hìc q. 3. dub. 5.* duæ sunt probabiliores, scil: vel provenire ab extrinsecâ custodiâ, & gubernatione DEI debitâ corpori beato, vel ab intrinsecâ qualitate omni extrinseco agenti nocivo resistente.

34 Subtilitas unde proveniat pendet ab explicatione Resistentiæ in ordine ad penetrationem: si enim (ut communiter volunt) hæc consistit in exigentia, ne DEVS concurrat ad ubicationem alterius corporis in eodem spatio, subtilitas fundabitur in fortiore jure corporis beati, cuius intuitu DEVS concurrit ad

35 eius ubicationem, non obstante contrariâ exigentiâ alterius corporis jam ante ibi positi.

Agilitas consistit in qualitate supernaturali motivâ; ac præterea, quòd gravitatis ponderatio pendeat ab arbitrio beatorum, suspendente DEO, ad libitum beati, suum concursum.

36 Claritas consistit in visibili luce corporis; an autem etiam superaddat corporis perspicuitatem, alij affirmant, alij negant.

Præter dotes relatas omnibus Sanctis communes dantur etiam quædam accidentalia præmia, certis tantummodo Sanctorum classibus propria, vocantúrque *Aureolæ*, sive *Laureolæ*; quæ quidem in animâ aliud non sunt,

quàm

quàm singulare quoddam gaudium de certo objecto; in corpore autem, an, vel quid sint, est omnino incertum.

Triplex autem est Aureola, Virginum, Martyrum, Doctorum. Aureola Virginum exprimitur Apoc. 14. *Nemo poterat dicere*
37 *canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia, &c. Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt, &c.* Aureola Martyrum colligitur ex Apoc. 7. *Post hac vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, &c. Amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum.* Aureola Doctorum habetur
38 Dan. 12. *Qui autem docti fuerint, fulgebūt quasi splendor firmamenti, & qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.*

CAPVT II.

DE VOLVNTARIO ET INVOLUNTARIO IN GENERE.

39 ACTVS humani propriè & specialiter sic dicti sunt illi soli, quorum homo dominium habet, hoc est, actus Liberi & cum deliberatione facti. Porro etsi omnis actus liber sit etiam voluntarius, non tamen econtra omne Voluntarium est liberum: est ergo *Voluntarium* genus ad *liberum*, & ideo primò omnium, de Voluntario

tario, eiúſque oppoſito Involuntario agunt hoc loco Theologi: quæ tractatio tametſi ad Philoſophos, vel morales, vel phyſicos in rigore ſpectaret, uſu tamen antiquiſſimo eam ſibi Theologi ſcholaſtici propriam fecerunt.

§. I. *Voluntarij definitiones.* 40

VOluntarium definit Ariſtoteles: *Cuius principium eſt in ipſo agente cognoſcẽte ſingula, in quibus eſt actus.* Alij clariùs cum S. Thomâ definiunt: *Quod procedit ab intrinſeco cum cognitione finis.*

Ex his definitionibus conſtat primò. *Voluntarium* nec cum *Libero*, nec cum *Volito* converti: nam Amor beatorum eſt voluntarius, & tamen non eſt liber. Deinde actus ipſi voluntatis noſtræ non ſunt reflexè voliti per actum diſtinctum, & tamen ſunt voluntarij. Econtra quæ deſideramus fieri ab alijs ſine noſtro concurſu, ſunt volita, nec tamen voluntaria. Conſtat ſecundò, illam circumſtantiam, quæ ignoratur, non eſſe voluntariam. Vulgò etiam Voluntarium ſumi conſuevit, prout opponitur effectui facto ex obligatione: Theologicè tamen etiam effectus ex obligatione profectus eſt voluntarius, utpote virtuoſus. 41 42

In Brutis communiter admittitur voluntarium

tarium minùs perfectum, quorum actus alij malunt vocare *ſpontaneos*. nam licet procedant ab intrinſeco, non tamen cum cognitione finis, quà talis, cognoſcendo videlicet proportionem mediorum ad illum, & cum illius comparatione, & appretiatione ad alia,
43 quibus præfertur.

§ II. *Diviſiones Voluntarij.*

PRima diviſio eſt in voluntarium *liberum* & *neceſſarium*. Liberum eſt, quando & agere, & non agere in poteſtate meâ eſt, ſupponítque cognitionem indifferentem, hoc eſt, motiva in utramque partem proponen-
44 tem. Neceſſarium eſt, quod procedit à principio determinato ad unum. Ex his Voluntarium neceſſarium dicitur ex genere ſuo eſſe perfectius voluntario libero: illud enim eſt ex genere ſuo perfectius, quod ſub ſe continet ſpeciem nobiliſſimam: ſed ſpecies nobiliſſima volũtarij eſt Amor beatificus: ergo.
45 Cæterùm deſumendo perfectionem *Voluntarij* potiùs à modo procedendi ab intrinſeco, quàm à cognitionis perfectione, & prout reperitur in viatore, voluntarium liberum erit perfectius, utpote magis ab intrinſeco: nam voluntarium neceſſarium plurimùm eſt ab extrinſeco, nempe ab objecto determinante. De voluntario libero in ſpecie infrà agetur.

Divi-

Dividitur Voluntarium secundò, in *Directum & Indirectum.* Directum est illud, quod amatur in seipso, & hoc potest esse duplex objectum, immediatum & mediatum; v. g. quando volo ludere, & per ludum alterum decipere, vel diteſcere. Voluntarium indirectum est secundùm S. Thomam *hic q. 77. a. 7. in C.* illud quod voluntas potuit impedire, & non impedivit; v. g. si videam cæcum ambulare versùs fossàm, in quam casurus est, nisi illum moneam, tunc si omittam monere, & ille cadat, ille casus est mihi voluntarius indirectè, etiamsi illum non intenderim. Hoc ergo voluntarium non procedit à voluntate per influxum positivum, sed per omissionem influxûs in impeditionem. Vt autem id, quod indirectè voluntarium est, alicui moraliter imputetur, debet adesse præceptum impediendi. 46 47

Dividitur tertiò in *Voluntarium, Formale, & Virtuale.* Formale dicitur, quod amatur in se, & sic est idem cum Voluntario directo. Virtuale verò, quod amatur in alio. Sub primo membro continentur tam media, quàm finis: sub secundo membro continentur non tantùm, quæ sequuntur ex omissione volità (quod est etiam voluntarium indirectum) sed etiam quæ sequuntur ex aliquâ causâ positivâ volità; v. g. somnus aut pollutio ex e- 48

brietate; quia tamen hoc ipsum aliqui vocant voluntarium Indirectum, ideo in horum acceptione hæc divisio non differt à priore.

Dividitur quartò in Voluntarium *Formaliter* & *Interpretativè*, quæ divisio ad multas resolutiones utilis est. Voluntarium formaliter
49 hîc est illud omne, quod à meâ voluntate pendet, sive per actum positivum, sive per omissionem. Interpretativum est, quod quidem hîc & nunc non pendet ex meâ voluntate verè & propriè, eò quòd eodem modo fieret cæteris positis, etiamsi ego nullum haberem actum voluntatis, sed tamen pendet, seu fit dependenter
50 aliquâ interpretatione, & præsumptione de meâ voluntate, & ab illis signis, in quibus se fundat præsumptio & interpretatio.

Porro hæc interpretatio potest esse duplex, absoluta, & conditionata. Conditionata dici potest illa, quando alius non quidem interpretatur, me defacto habere voluntatem, ut
51 ille hoc faciat, sed tamen interpretatur, me facilè in illius actionem consensurum, si ab ipso interrogarer. Advertunt autem DD. talem actum, non esse, nec debere dici simpliciter & absolutè mihi voluntarium interpretativè; quia qui tantùm sub conditione vult, & consentit modo dicto, non consentit absolutè, sed consentiret, si conditio poneretur.

Potest tamen hoc voluntarium interpretativum

tivum sub conditione aliquando suam habere utilitatem, v. g quando famulus expendit aliquas pecunias Domini in suam utilitatem, prudenter judicans, Dominum facilè consensurum si interrogaretur, & sic excusabitur à furto, quia non aufert invito domino, ut explicant Theologi in materiâ de Furto, & 52
indicatur in lege *inter omnes 47. §. rectè. ff. de furtis.* his verbis. *Rectè dictum est, qui putavit se domini voluntate rem attingere, non esse furem: quid enim dolo fecit, qui putat dominum consensurum fuisse?* Porro hæc doctrina adhuc locũ habet, etiamsi dominus sit invitus quoad modum non petitæ licentiæ, si tamen non sit invitus quoad substantiam.

Ad cautelam verò Religiosorum oportet 53
hîc advertere cum Card. de Lugo *disp. 3. de Just. & Jure. sec. 7. n. 124. & seqq.* in Religionibus, in quibus disciplina viget, & religiosa paupertas strictè observatur, omnino præsumendum esse, quòd Prælatus non solùm quoad modum, sed etiam quoad substantiam
sit invitus, ne subditi sine licentiâ usurpent 54
vel disponant de rebus; imò laudat Suarezium asserentem, in Religione observante debere Prælatum sub peccato gravi non habere talem voluntatem vel consensum, ut licentiâ non petitâ res usurpentur, ob manifestum scilicet periculum gravissimi abusûs ex tali li-

centiâ secuturi, quo fieret, ut votum paupertatis esset observantia de solo titulo.

Voluntarium Interpretativum absolutum est, quando rationabiliter interpretor ex quibusdam signis & circumstantijs, alterum habere voluntatem, ut à me hoc fiat in exemplo.

55 Si pater spectante, nec contradicente, vel displicentiam ostendente filio matrimonium nomine filij contraheret, censeretur interpretativè filio voluntarium, ob consensum, qui tunc adesse præsumitur, & per silentium objectivè influit in contractum.

Voluntarium interpretativum conditionatum etsi quandoque sufficiat ad actum al-

56 terius honestandum, v. g. quando superior conveniri non potest, & tamen urget aliqua caussa ponendi actum; quo casu, ut honestè ac licitè fiat, satis quandoque est consensus superioris conditionatè dandus si interrogaretur; nunquam tamen sufficit in casibus, in quibus requiritur consensus superioris ad valorem actûs, v.g. ad audiendas confessiones,

57 tunc enim debet revera extitisse consensus, & per signa exteriora innotuisse. Ratio discriminis est, quòd in priore casu consensus superioris requiratur tanquam regula & norma actionis subditorum, quâ requisitâ omnia à potiori recto ordine fient, quàm si singuli suo arbitrio regerentur: consensus autem conditionatè

tionatè præstandus,& prudenter à subdito in certis & raris casibus præsumptus adhuc attenditur à subdito ut norma,& regula. Consensus verò requisitus ad actum alterius validandum est ipsissima habilitas & forma denominans alterum habilem ad agendum: ergo eius absoluta existentia necessaria est.

§. III. *De Involuntario.* 58

VOluntario opponitur Involuntarium, quod propriè & simpliciter sumptum sic definiri potest. Est id, quod fit contra positivam, & ex se efficacem voluntatem actualem vel præsumptam. Explicatur. Imprimis debet esse aliquid à nobis inimpedibile; si enim impediri potest, & nos non impedimus, non est 59
nobis simpliciter involuntarium; unde Deo nihil dicitur simpliciter involuntarium, quia omnia posset impedire. Peccata verò non sunt Deo voluntaria nisi impropriè & permissivè, quia non est eorum caussa moraliter, cùm ea nec intendat, nec teneatur impedire.

Secundò requiritur, ut sit contra nostram 60
voluntatem vel appetitum: unde in rebus non cognoscentibus non datur propriè Involuntarium, v. g. Lapidi motus sursum non nisi negativè est involuntarius: deinde. Involuntarium privativè, quod nec est juxta, nec contra appetitum, non est propriè Involuntarium,

Tertiò requiritur, ut sit contra voluntatem, quantùm est ex se efficacem, sed ex impotentiâ subjecti inefficacem; quæ voluntas vocatur efficax affectivè, & sub solâ conditione potestatis, hoc est, quæ talis est, ut si in potestate subjecti esset impedire talem rem,
61 vi talis actûs planè impediret.

Quartò, non est necesse, ut illa resistentia voluntatis sit actu de præsenti: alioquin ignorantia invincibilis rarò caussaret Involuntarium, quia rarò tunc cogitamus de objecto; quare sufficit, si tunc rectè præsumi possit contraria voluntas, si de tali objecto cogitaretur,
62 & aliquid statuendum esset. Duplex autem esse potest fundamentum talis præsumptionis: Primum, si quis cùm ultimò cogitavit de tali objecto, verè elicuit actum resistentiæ; v. g. si cogitans de Petro, positivè volui à nemine occidi; tunc si postea Petrus ignoranter à me, vel ab alio occideretur, occisio esset mihi involuntaria: nam illud ipsum rationabiliter
63 censetur nunc aliquis voliturus, si interrogaretur, quod in similibus circumstantijs ultimò voluit, neque postea retractavit. Secundum fundamentum esse potest, si objectum in ordine ad me talem habeat pertinentiam, ut alij omnes, cum quibus habet similem pertinentiam, regulariter resistant per voluntatem, si sciant hoc vel illud ab alijs fieri; v. g. Infans

nunquam

nunquam cogitavit de sui corporis integritate, vel de suâ famâ; si tamen infans in corpore aut famâ læderetur, v. g. dicendo esse natum ex incestu, &c. talis infamatio censeretur infanti involuntaria, & ideo injuriosa; quia infans præsumitur noliturus, eò quòd alij communiter talia nolint.

§ IV. *De violento & coacto.* 64

Violentum ab Arist. 3. Eth. c. 1. definitur id, *cuius principium est foris, nihil prorsus conferente eo, cui vis infertur.* vel ut alij vertunt: *quod est à principio extrinseco nullam vim conferente passo.* quæ definitio interpretatione, vel emendatione opus habet. nam aër, v. g. quando illuminatur, nullam virtutem confert, nisi in genere caussæ materialis 65
(quæ tamen à violento non excluditur, ut patet in motu lapidis sursum, qui est violentus, etsi materialiter caussatus à lapide) & tamen illuminatio non est aëri violenta. melius exemplum est in animâ, quæ non confert vim ad dona supernaturalia, neque tamen illa recipiendo vim patitur. Quapropter 66
agnoscunt DD. ad violentiam requiri, ut id, quod patitur, positivè resistat, sive per appetitum innatum, sive per elicitum, hoc est, ut positivam inclinationem ad oppositum habeat.

Itaque primò ad violentum requiritur, ut Passum nullam prorsus inclinationem afferat ad illam actionem, quæ violenta dicitur. Duplex enim potest esse inclinatio ad aliquam rem: Prima est determinata, hoc est, talis, ut ad oppositum aliquod non habeat
61 similem inclinationem, ut ignis ad calorem: Secunda est inclinatio quædam indifferens, hoc est, æqualis ad oppositа, cum disiunctione unum ex ijs habendi, ut materia prima ad aliquam formam. Porro tam determinata, quàm indifferens inclinatio potest iterum esse duplex; alia, quæ affert quoddam jus ad illam rem determinatam tanquam sibi debi-
68 tam: alia est inclinatio ad aliquam perfectionem, sed sine jure ad illam, hoc est, ut naturaliter illi nunquam debeatur; cuiusmodi habet intellectus noster ad visionem Dei, anima ad gratiam sanctificantem.

Hinc explicari potest id, quod communiter supponunt DD. quî fieri possit, ut ali-
69 quando spoliatio rei debitæ non sit violenta, nempe tunc, quando spoliatio provenit per aliquam perfectionem non quidem debitam, sed tamen gratiorem & utiliorem, aut certè æquè gratam, quàm sit res ipsa debita, quâ privat: v. g. Humanitas Christi habet naturalem inclinationem & jus determinatum ad subsistentiam creatam; sed quia huius spo-

liatio

liatio ſuppletur, & provenit à longè nobiliore, gratiore & utiliore ſubſiſtentiâ, nempe Verbi, hinc eſt, illam carentiam non eſſe naturæ violentam in his circumſtantijs.

Secundò ad Violentiam requiritur, ut Paſſum reſiſtat actioni per inclinationem ad oppoſitum, ita quidem, ut illud oppoſitum non ſolùm ſit quoddam bonum paſſi, ſed etiam ut vel poſſit obtineri plerumque, vel certè ut res habens inclinationem ad illud habeat virtutem ſufficientem aſſequendi tale bonum, niſi extrinſecùs impediatur. Ratio eſt, quia alioquin multa dicenda eſſent violenta, quæ nemo pro violentis agnoſcit: v.g. carentia viſionis beatificæ, ſcientiarum naturalium, cognitionis futurorum, &c. nam licet ad hæc inclinemur, non tamen cum virtute illud obtinendi modo explicato. 70 71

Hinc declarari poteſt, quâ ratione non omnis mors ſit violenta, ſed multi moriantur morte naturali. nam licet mors ſit contra propenſionem, hæc tamen non eſt talis, qualem requirit violentia; cùm nemo mortem evadere poſſit, ſeu proprijs, ſeu alienis viribus naturalibus, ob pugnam intrinſecam qualitatum; nec poſſumus carere cibis aliqualiter temperamenti deſtructivis. 72

Controverſia eſt, an DEVS poſſit creaturis inferre violentiam.

Coactum volunt A A. communiter, non differre à Violento, nisi ut speciem à Genere; nempe Coactum esse illud, quod est violentum contra appetitum elicitum, & convenire solis cognoscentibus. Aliqui adhuc magis restringunt, nempe quòd Coactum requirat
73 cooperationem illius, qui patitur vim; sic dicere solemus, nos hoc vel illud non sponte, sed coactos fecisse; nempe cùm aliquid agimus contra vehementem inclinationem; & sic coincidet ferè cum Voluntario mixto ex metu orto, de quo paulò pòst.

CAPVT III.

74 ### DE VOLVNTARIO MIXTO.

HVcvsqve de Voluntario & Involuntario in genere actum est; nunc de certâ specie Voluntarij videndum est, nempe cui aliquid Involuntarij admixtum est; quod præcipuè ex triplici capi-
75 te provenire potest, videlicet ex Concupiscentiâ, ex Metu, & ex Ignorantiâ.

Porro cùm dicitur Concupiscentia, aut Metus minuere *voluntarium*, non est accipiendum hoc sensu, quasi à Concupiscentiâ & Metu proveniat, ut aliquid minùs velimus, magis volituri si concupiscentia, aut metus abesset,

abeſſet, hoc enim apertè falſum eſt; unde in ſenſu formali non minuunt, ſed potiùs efficiunt voluntarium, ut velimus quod ſine illis nollemus, ut expreſſit S. Thomas q. 6. a. 7. ſed ita intelligendum eſt, ut minuant in ſenſu materiali, quatenus ſi comparemus ea, quæ volumus ex concupiſcentiâ aut metu, 76
cum ijs, quæ volumus abſque concupiſcentiâ aut metu, minùs voluntaria dicuntur ideo, quia ſunt minùs ab intrinſeco, ſeu minùs à voluntate rationali, minùs ſcilicet voliturâ, ſi concupiſcentia, aut metus abeſſet.

§. I. *De Involuntario ex Concupiſcentiâ.* 77

PEr Concupiſcentiam hoc loco intelligitur Paſſio vehemens, & appetitio ſenſitiva alicuius voluptatis in objecto apprehenſæ, movens ad illud objectum amplectendum. Hæc Concupiſcentia auget intentionem amoris & in hoc ſenſu cauſſat & auget voluntarium. Libertatem verò ipſius actûs ex concupiſcentiâ facti minuit, quia 78
quò vehemêtiùs trahitur voluntas ad unum, eò minùs relinquitur expedita ad oppoſitum. In alio tamen ſenſu aliquando auget libertatem in actu primo, tametſi tunc actum non cauſſet; v.g. qui apprehendit bonitatem Temperantiæ, & eſt à paſſione & concupiſcentiâ

ſcentiâ cibi & potûs immunis, ſine ullâ difficultate amplectitur temperantiam; ſi verò eum vexet appetitus cibi, jam redditur difficilior Temperantia, ergo jam voluntas plus libertatis habet, quàm antè, ad amplectendam temperantiam, nam antè ferè neceſſitabatur;
79 & hinc fit in tali actu etiam eſſe plus meriti, quàm ſi abeſſet paſſio.

Certum etiam videtur, in aliquo ſenſu à Concupiſcentiâ minui voluntarium. Cùm enim voluntas tanquam ſupremus appetitus non deberet trahi & inclinari, niſi à prævia
80 cognitione, conſequens eſt, quòd, quando inclinatur ab appetitu ſenſitivo, inclinetur modo indebito, adeóque aliqualiter ab extrinſeco, nempe ab aliâ potentiâ.

Controverſia eſt, an inſuper admiſceat ipſi actui aliquid involuntarij, hoc eſt, an concupiſcentia cauſſet Involuntarium ſecundùm quid.

81 Nam licet omnium judicio actus ex concupiſcentiâ factus ſit ſimpliciter voluntarius, aliqui tamen docent eſſe quandoque ſecundùm quid involuntarium; quia ſæpe fit, ut ſic operans ſentiat aliquam moleſtiam, v.g. remorſum conſcientiæ, triſtitiam, &c. propter aliquod malum, quod videt in objecto per concupiſcentiam amplectendo; quod malum, quia voluntas antecedenter abominatur & nollet; agit poſtea cõtra hanc inclinationem,

& ut

& ut sic actio est secundùm quid involuntaria. Alij tamen negant causſari tunc involuntarium secundùm quid; ratio est, quia quæ fiunt ex Concupiscentia, non fiunt cum repugnantia, sed potiùs cum suavitate. nam esto subeundum sit aliquod malum, quod mallet voluntas abesse; attamen voluntas hoc parvi pendit putans se lucrari in amplectendo objecto jucundo, non obstante illâ molestiâ; si enim putaret, se damnum pati, posset ab objecto abstinere. 82

Advertunt tamen RR. aliqui, quandoque Concupiscentiam causſare involuntarium *secundùm quid*, quasi per metum; nam præsentia objecti delectabilis movet aliquando in appetitu sensitivo concupiscentiam adeò vehementem, ut non possit operans carere illo sine dolore, ut notat Aristot. 3. eth. c. 11. ex metu autem doloris operationem factam esse secundùm quid involuntariam, constabit ex §. sequenti. 83

§. II. *De Involuntario ex Metu.*

METVS ab extrinseco incussus tunc dicitur esse causſa nostræ voluntatis, quando vi illius metûs aliquid molestum eligimus ad evitandum aliud magis molestum & exosum. Dupliciter autem potest metus causſare nostram electionem, primò ita, ut præter metum 84

tum aliud motivum sufficiens hîc & nunc non concurrat; hoc est, quando ex metu ita operor, ut si hîc & nunc metus non esset incussus, non haberem sufficiens motivum, vi cuius talem rem operarer. Secundò ita, ut præter metum aliud etiam motivum ita con-
85 currat, ut etiamsi metus incussus non esset, nihilominus operarer propter alterum motivum. In præsenti accipimus metum in primo sensu, dum quæritur, an quæ fiunt ex metu, sint simpliciter voluntaria, vel simpliciter involuntaria.

Pro cuius quæstionis intelligentiâ notandum est, terminum *simpliciter* esse æquivocum,
86 & habere varios sensus. Primò sumitur pro illo, quod est tale, ut excludat omne omnino contrarium, in quo sensu dicitur DEVS simpliciter perfectus; & illud etiam dici potest in hoc sensu simpliciter voluntarium, quòd est purè voluntarium, nihil habens admixtum. Involuntarij, in quo sensu censent plerique locutum esse S. Thomam *2. 2. q. 142. art. 3.*
87 dicentem, ea, quæ ex metu fiunt, non esse voluntaria simpliciter. Secundò sumitur *simpliciter* pro eo, quod plus habet de uno contrario, quàm de altero, in quo sensu dicitur Æthyops esse simpliciter niger, esto secundùm dentes sit albus. Tertiò accipitur pro eo, quod consideratur secundùm se, præcisis circumstantijs

stantijs illis, quæ faciunt aliam denominationem. sic materia prima dicitur simpliciter esse ens incompletum, esto sit tunc completa per formam. Nos hîc accipimus *simpliciter* in secundo sensu, & quærimus, an metus causet simpliciter & absolutè voluntarium, an in- 88
voluntarium.

Omnis actio ex metu facta est simpliciter voluntaria, & non est simpliciter involuntaria: observantia enim legis ex metu gehennæ facta est simpliciter voluntaria, utpote meritoria & libera. Ratio est à priori, quia quod ex metu volumus, efficaciter volumus, & tantùm inefficaciter nolumus: ergo magis volumus, 89
quàm nolumus, & talis actus conformatur cum principaliore imperio, & exercitio voluntatis.

Caussat tamen quandoque metus Involuntarium *secundùm quid.* v.g. quando Mercator metu naufragij projicit merces, utique contra inclinationem, quâ mallet non esse in ijs angustijs, ut ad vitandam mortem, sit necesse abijcere merces. Hinc qui ex metu peccant, 90
sunt minore pœnâ digni & veniâ digniores, & econtra, qui ex metu præcisè operantur, minùs laudabiles Et hinc elucet discrimen notabile inter Concupiscentiam & Metum, nempe qui operatur ex Concupiscentiâ, quantumvis cum admixtâ molestiâ (ut sæpe fit)

semper

semper gaudet de potestate operandi, ratus per hujusmodi operationem auctum iri suam felicitatem non obstantibus incommodis simul subeundis, quapropter operatur amore lucri potiùs, quàm timore jacturæ. Qui verò ex metu cum tristitiâ, operatur præcisè ad declinandam majorem felicitatis jacturam per
91 electionem minoris, dolétque se constitutum in necessitate minuendi suam felicitatem.

§. III. *De Involuntario ex Ignorantiâ.*

HVcusque vidimus, quomodo Voluntarium deficere possit ex unâ conditione, nempe in quantum debet esse ab intrinseco:
92 nunc considerandum, quomodo deficiat ex defectu Cognitionis requisitæ ad rationem Voluntarij.

Triplex est Ignorantia, Antecedens, Concomitans, & Consequens. Ignorantia Antecedens est illa, quæ est inevitabilis hîc & nunc, adeóque inculpabilis & causa actionis, eò
93 quòd si ignorantia abesset, actus non sequeretur. Ignorantia concomitans est, quæ nec est causa actionis, nec culpabilis, pertinet tamen ad aliquam circumstantiam actionis; ut si comedas carnes, nesciens esse diem jejunij, quamvis, etiamsi scires, nihilominus comederes. Ignorantia consequens est, quæ alicuius culpabilis voluntatis effectus est: talis autem

voluntas

voluntas duplex esse potest, una directa, quâ ex industriâ impeditur scientia talis circumstantiæ, ne per illam absterreamur ab opere, vel opus ipsum minùs culpabile sit; & ignorantia sic causata vocatur *Ignorantia affectata*; altera esse potest voluntas indirecta, quando non curamus inquirere statum & circumstantiam objecti, licet obligemur, dicitúrque Ignorantia sic causata, *Ignorantia negligens*. 94

Ignorantia Antecedens causat (saltem regulariter & plerumque) simpliciter involuntarium quoad illud, quod ex parte actionis ignoratur. Hoc ipso enim quod antecedenter nollemus fieri talem rem, & si cognosceremus, non faceremus, est contra nostram inclinationem id, quod sic agimus, unde etiam communiter postea dolemus, quando veritatem deprehendimus. 95

Dixi in assertione (*saltem regulariter & plerumque*) nam ingeniosi quidam RR. conantur ostendere casus, in quibus ignorantia antecedens nullo modo causat involuntarium: nempe quando quis ex ignorantiâ invincibili violat præceptum. v.g. jejunij, gaudens de comestione sic innocenter factâ. 96

Ignorantia concomitans ex parte objecti ignorati nec causat Voluntarium, nec Involuntarium, sed *Nonvoluntarium*. Primæ partis ratio est, quia quod ignoratur non potest esse

voluntarium; imò quatenus illud objectum ignoranter causſatum eſt juxta præcedentem inclinationem, ut ſic non cauſſatur ab ignorantiâ, cùm æquè fieret, ſi cognoſceretur. Secundæ partis ratio eſt, quia talis objecti poſitio non eſt contra, ſed potiùs juxta inclinationem: ergo non poteſt eſſe involuntaria. 97 Tertiæ partis ratio eſt, quia ſi non fuiſſet ignorantia objecti vel circumſtantiæ poſitæ, tunc objectum vel circumſtantia fuiſſet voluntaria; ergo, quòd defacto ſit *Nonvoluntaria*, provenit ab ignorantiâ.

Ignorantia conſequens affectata cauſſat ſimpliciter voluntarium. Ratio. Quia qui ex tali ignorantiâ operatur, ipſam ignorantiam 98 eligit ut ſibi gratam, tametſi ſciat ex illâ fortè aliquid proventurum, quod abſente tali ignorantiâ non eſſet facturus; imò ideo quandoque affectat ignorantiam, quia deſiderat ex ignorantiâ tale quid fieri, quod nollet fieri ſcienter.

Regulariter loquendo cauſſat Ignorantia 99 affectata Involuntarium *ſecundùm quid*: quia communiter quæ ſic fiunt, ſunt contra voluntatem generalem, quâ nollemus actionem fieri in illis circumſtantijs, quæ, ſi cognitæ fuiſſent, actio non fuiſſet poſita,

Ignorantia conſequens negligens ſemper cauſſat ſimpliciter voluntarium, Ratio eſt, quia

quia quæ sic fiunt semper imputantur nobis ad culpam, pro qualitate obligationis deponendi illam ignorantiam. Causſat tamen simul involuntarium secundùm quid; nam posteà dolemus de eventu; & ratio est, quia non elegimus ignorantiam propter conducentiam ad effectum, sed ex odio molestæ 100
inquisitionis; v.g. molestum est inquirere, an hoc cibo lædatur sanitas; negligo inquirere, & ex ignorantiâ comedo, ac lædo sanitatem; doleo de hoc eventu, & antecedenter nolui talem eventum sequi.

§. IV. *De Inconsiderantiâ.*

INconsiderantia causſans actum est etiam 101
conjuncta cum quadam Ignorantiâ, & de hac utilissimè disputant Theologi. Differt tamen ex genericâ ratione Inconsiderantia ab Ignorantia in hoc, quòd Ignorantia sit absentia cognitionis veræ de tali objecto, Inconsiderantia verò sit absentia cognitionis inquisitivæ, & magis de objecti honestate vel inhonestate certificantis. Hinc fit aliquando posse me agere cum inconsiderantiâ, 102
sine ignorantia, v.g. si probabiliter judicâs sub dumeto latere cervum omitto culpabiliter majorem inquisitionē, an fortè non sit homo; tunc si jaculor, & revera fuit cervus, ignorans non fui, cùm judicaverim verè fuisse cervum,

fui tamen inconsideratus. In hoc casu non operor ex inconsiderantiâ (quia non est caussa jaculationis, quæ æquè futura esset si considerantia adfuisset) sed cum inconsiderantiâ operor.

103 Vt actus ex inconsideratione procedens sit culpabilis, omnino necesse est, ut actu de præsenti adsit quædam advertentia reflexa de insufficienti consideratione, & de obligatione exactiùs inquirendi. Ratio est, quia sine tali reflexâ advertentiâ inconsiderantia non est voluntaria; ergo nec potest esse culpabilis.

104 *Controvertunt aliqui, an possit dari actus semideliberatus supernaturalis.*

CAPVT IV.

DE LIBERTATE ACTVVM HVMANORVM.

105 LIBERTAS variè sumitur, aliquando prout opponitur obligationi ex præcepto; sic dicimur liberi ab obligatione; aliquando prout opponitur coactioni non necessitanti, ut cùm quis liberè sine metu contrahit matrimonium, aliquando denique, & frequentiùs prout opponitur necessitati antecedenti determinanti ad unum; sic sumitur in hoc loco, & definitur

Potentia

Potentia libera, quæ positis omnibus in actu primo requisitis indifferens adhuc est ad agendum vel omittendum, hoc est, ad utramque partem contradictionis.

Dari Libertatem de fide est, & constat ex innumeris S. Scripturæ locis. Deut. 30. *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non* 106 *supra te est, &c.* Eccles. 15. *Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi.* Eccles. 31. *Qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit, &c.* Eandem veritatem tradidit in suâ Bullâ Pius V. & Gregorius XIII. contra Michaelem Baium. Naturalibus etiam rationibus demonstratur, & quidem maximè ab omnium 107 sensu & experientia. Omnes enim judicamus, rectè institui consultationes; atqui hoc stultissimè fieret, si impossibile est aliter fieri, quàm etiam sine consultatione necessariò futurum est. Præterea omnes judicamus, etiã illos esse præmio dignos, & quidem majore, qui operantur laudabiliter solo virtutis amore, & sine ullâ spe aut affectu præmij; at- 108 qui si necessariò sic operarentur, non esset fundamentum talis majoris præmij.

Vlterior & à priori reddi ratio potest, animadvertendo discrimen inter modum objecta cognoscendi; hominis & bruti. Brutis natura non dedit potentiam cognoscen-

di bonitates objectorum, nisi illas, quarum sunt capaces, sicut nec malitias: unde nec erat opus ad illa consequenda dare potentiam cognoscendi ipsam consequibilitatem & eligibilitatem objecti; sed satis erat dare vim apprehensivam, ut apprehensione positâ,
109 ex impetu naturæ ferrentur ad objectum, vel fugerent ab illo. Homini verò dedit potentiam cognoscendi bonitates & malitias objectorum etiam non consequibilium, & per consequens oportebat quoque dare potentiam cognoscitivam practicam, ostendentem objecta bona, ut voluntariè consequibilia per
110 electionem, sine quâ non movemur ad prosequendum objectum. Insuper dedit natura vim cognoscendi objectum bonum cum adjunctâ cognitione mali admixti, ita ut possimus ponderare, & comparare inter se bonum & malum objecti, cognoscendo, nos non posse bono hoc frui, nisi simul subeundo hoc malum annexum, & econtra non posse
111 vitari hoc malum sine carentiâ huius boni: ergo sicuti brutis dedit appetitum proportionatum apprehensioni non comparativæ, ita debebat hòmini dare potentiam appetitivam proportionatam cognitionicomparativæ, nempe electivam utriuslibet ex oppositis. Certè si non obstante cognitione comparativâ dedisset natura potentiam appetendi do-

di determinatam ad unum ex illis motivis, iniquiùs egisset cum homine, quàm cum brutis: hæc enim nulli subjacent afflictioni in prosecutione objecti simpliciter apprehensi, utpote in quo nullum apprehendunt malum bono apprehenso admixtum: homo verò si necessitaretur ad unum determinatum eligendum cum admixtione mali, & exclusione boni oppositi cognitâ, cognitio hæc comparativa ad nihil utilis esset, quàm ut affligeret hominem, quòd non posset eligere bonum oppositum, quod sæpe mallet: nunquid melius esset cognoscere solùm illud, ad quod necessitatur, ut cum majore impetu ferretur in illud? 112 113

Libertas dividitur in Libertatem Contrarietatis, & Contradictionis. Prior est potestas ad actiones contrarias, ut ad amorem & odium. Posterior est ad contradictoria, scilicet ad volendum vel non volendum. Prior vocatur etiam Libertas quoad specificationem, posterior, libertas quoad exercitium. 114

Dubitatur hîc, utrum voluntas in omnibus actibus liberis determinetur ab aliquo judicio practico; quod vel dicat: *Hoc est faciendum hîc & nunc*; vel quod imperet, quasi dicendo: *Fac hoc*. Aliqui affirmant; sed communiter ab omnibus negatur, nam si tale judicium necessarium esset, planè tolleretur

libertas, cùm illud judicium non penderet à voluntate, & tamen eam infallibiliter ad unum determinaret.

Controversia est prima. In quonam libertas in actu secundo consistat, an in aggregato seu complexo ex actu voluntatis, cognitione indifferente,
115 *& parato DEI concursu ad utrumlibet, an verò sit actui essentialis.*

Controversia secunda. An possit dari pura omissio libera, hoc est, an possit quis liberè aliquid omittere sine ullo actu positivo voluntatis.

CAPVT V.

116 DE MORALITATE ACTVVM HVMANORVM IN GENERE, EORVMQVE REGVLA PROXIMA, CONSCIENTIA.

ACTVS Moralis in genere, & prout est genus ad actum bonum & malum, est actus voluntatis liber, eli-
117 citus cum advertentiâ rationis ad aliquam primam & universalem regulam nostrorum actuum, in ordine ad ultimum nostrum finē, hoc est, ad regulam vel præcipientem, vel cōsulentem, vel permittentem, vel prohibentem. Ab his actibus denominatur homo laudabilis vel vituperabilis. Laudari enim, teste D. Thomâ. q. 21. art. 2. vel vituperari aliud nō est,

est, quàm imputari alicui malitiam vel bonitatem sui actûs, tunc autem actus imputatur agenti, qnâdo est in potestate & dominio illius.

Dari verò actus, propter quos homo est laudabilis, vel vituperabilis, infinitis Scripturæ testimonijs affirmatur. Psal. 62. *Laudabuntur omnes recti corde.* Eccles. 44. *Laudemus viros* 118
glorioſos. & 31. *Quis est hic, & laudabimus eum.* Vtrum moralitas sit essentialis actui nécne, resolvendum est conformiter ad ea, quæ quis circa libertatem tenet, de quâ paulò superiùs dictum est.

Duplex datur regula actuum moralium, ad quas explorare possimus, boníne sint, an- 119
mali; alia est proxima, alia remota. Proxima, quæ vocatur *Conscientia*, est ipsum dictamen rationis practicum, quo judicamus antecedenter ad voluntatis electionem, subvenire egeno esse honestum, mentiri esse inhonestũ. Remota regula vocatur *Moralitas objectiva*, estque sita in ipso objecto ut volibili; nec enim
mendacium ideo est inhonestum, quia ratio 120
dictat; sed econtrario potiùs ideo ratio dictat, quia est inhonestum. Est ergo dictamen rationis quasi applicatio objectivæ moralitatis, ac proinde prima regula omnis moralitatis est in ipso objecto illius dictaminis.

§. I. *De Conscientiâ in genere.*

CONSCIENTIA est dictamen seu judicium practicum, de aliquo licitè vel illicitè volibili, & actus, qui huic dictamini est conformis, dicitur honestus, qui verò est difformis, dicitur inhonestus.

121 Observandum autem est, sæpe simul stare judicium speculativum & practicum circa objectum, quæ videri possent contraria, revera non sunt, v. g. habet quis judicium speculativum probabile, non licere die jejunij comedere pro collatione decem uncias: quo non obstante potest sequi opinionem probabilem contrariam, id licere, formabitque judicium
122 practicum: *licet mihi hîc & nunc comedere decẽ uncias*: hæc, inquam, non sunt contraria, cùm nõ habeant idem adequatè objectum; posterius enim est reflexum fundans se in eo, quod ob opinionum incertitudinem possim me in praxi accommodare judicio probabili aliorum. Et hoc sensu solet dici; aliquid speculativè non licere, practicè tamen licere.

123 *Controversia est, an dictamen practicum proximè dirigens actum debeat esse evidens, evidentiâ metaphysicâ.*

§. II. *De Opinione probabili.*

PROBABILITAS Opinionum alia est intrinseca, alia extrinseca. Intrinseca provenit

ex

ex motivis ipsi objecto annexis, quibus inclinamur ad assensum. Extrinseca probabilitas provenit ab authoritate Doctorum.

Non sufficit ad probabilitatem intrinsecam, quòd mihi non appareat fundamentum in contrarium; sed debet adesse fundamentum positivum: sic non est probabile, animalia esse paria. Ratio est, quia sine motivo non 124
potest esse assensus: ergo nec opinio, Quando verò objectum non apparet prohibitum, hoc ipso non solùm probabile, sed evidens est, licere; possessio enim libertatis probat licere, quod non probatur vetitum.

Porro fundamentum huius probabilitatis debet esse magni momenti etiam comparatum cum motivis contrarijs, hoc est, quod adhuc possit virum pium, doctum & prudentem movere: hinc hæreses non sunt Opiniones probabiles, sed simpliciter improbabiles, quia licet non careant aliquibus fundamentis, ea tamen à contrarijs ita enervantur, ut nullius prudentis assensum mereantur. Regula autem generalis est, illud fundamentum esse 126
imprudens, & improbabile, quod licet quandoque cum veritate connexum sit, plerumque tamen fallit.

Probabilitas opinionis non tollitur, si tibi occurrat ratio in contrarium, quam dissolvere non possis: adhuc enim prudenter cogitabis,

posse

posse fortassis ab alio dissolvi; hoc ipso, quòd illa ratio non videatur tibi evidens, esto non occurrat solutio.

Ex Opinionibus contrarijs probabilibus quandoque una vocatur alterâ tutior & securior, quod cum distinctione accipiendum est. Si enim loquamur de opinione tutâ in pra-
127 xi ad evitandum peccatum formale, tunc omnis opinio probabilis est æquè tuta ac altera, & ineptè dicitur una alterâ tutior, quia evitatio peccati non suscipit magis & minùs. Si sermo sit de majori securitate in evitando aliquo incommodo consequente (etiamsi de præsenti non committatur peccatum) tunc
128 una est alterâ tutior: sic tutior est opinio requirens ad sacramentum pœnitentiæ dolorem ex motivo saltem partiali charitatis, quàm quæ dicit sufficere ex solo motivo pœnæ aut præmij.

Vt opinio sit practicè probabilis, seu licitè practicabilis, non est satis, quòd versetur circa alicuius rei valorem, sed debet esse probabilis
129 circa ipsam licentiam. v.g. probabile est, cereviſiam esse materiam idoneam Baptismi: sed non est hæc opinio extra casum necessitatis & absentiæ certæ materiæ practicabilis: quia ne quidem speculativè est probabilis opinio, licere uti materiâ incertâ, quando potest haberi certa. Et in hoc sensu quidam Doctores

non

non malè dicunt, opinionem ſpeculativè probabilem quandoq; eſſe practicè improbabilē.

Controverſia eſt, an liceat ſequi opinionem probabilem relictâ probabiliore.

§. III. *De Conſcientiâ dubiâ.*

DVBIVM propriè dictum eſt tunc, quando Intellectus non habet ſufficiens fundamentum, prudenter ſeſe in alterutram partem reſolvendi, licet habeat ſuſpicionem de unâ vel alterâ parte: & ideo ſuſpendit judicium, vocatúrque Dubium negativum. 130

Triplex huiuſmodi dubium aſſignatur; Merè ſpeculativum: Practicum Vniverſale: Practicum particulare, hoc eſt, practicè practicum. Dubium purè ſpeculativum correſpondet probabilitati remotæ, cuius paulò ante exemplum attulimus, v.g. ſi dubites, an liber iſte ſit tuus, an cereviſia ſit materia idonea baptiſmi, &c. Dubium practicum vniverſale, eſt, quando dubitas in genere, an hoc vel illud ſit licitum, v.g. an per ſe loquendo liceat ad beneficium eligere minùs dignum. Dubium practicè practicum eſt, cùm dubitas, an hîc & nunc liceat, propter varias circumſtantias, v.g. an excuſeris hodie à jejunio propter laborem ſuſceptum. 131 132

Cum dubio practicè practico non licet operari; quia actio non procederet ex dictamine

mine prudentiæ. Potest tamen quandoque hoc dubium deponi; quando scilicet ex adjacente circumstantiâ formari potest judicium evidens, hîc & nunc, licere: v.g. dubitas in genere, an rem, de cuius dominio dubitatur liceat retinere, (quod est dubium practicum
133 universale) potes te practicè resolvere, & judicare, tibi hîc & nunc licere fundum (de cuius dominio dubitas) possidere, uti, frui, quia jure statutum est, quòd possessoris conditio sit melior.

Ad cognoscendum, an homo sit in possessione suæ libertatis contra legem, vel econ-
134 tra, sequentia servire possunt.

Primò: Si dubium est, an lex sit lata, vel, an se ad casum talem vel talem extendat, nec potest hoc dubium hîc & nunc ullâ inquisitione tolli, non obligaris servare legem. manes enim in possessione libertatis, donec proberis illâ excidisse.

135 Secundò: Si certus es, legem esse latam, quæ tamen ad casum magnæ necessitatis, ex. gr. non se extendit, & dubitas, an hîc & nunc in tali casu verseris, tunc lege obligaris: quia lex est in possessione, à quâ debes exemptionem probare.

Tertiò: Si constitutus in circumstantijs lege non comprehensis, adeóque exemptus pro tunc à lege, incipis dubitare, an redierint circum-

circumstantiæ sub lege comprehensæ, nec potes veritatem indagare, manes in possessione exemptionis: ut, si dubitas, an expleveris annum vigesimum primum, non teneris jejunare. Econtra si dubitas, an sis in casu exemptionis, postquam fecisti aliquid, supra quod per se cadit lex, teneris. ut si edidisti votum, dubitans an habueris sufficientem ætatem; teneris, quia contra votum factum nunquam fuisti in possessione libertatis. 136

Quartò, si certus es de lege latâ, sed dubius de tuâ satisfactione, teneris. quia obligationi certæ non satisfit solutione dubiâ.

§. IV. *De Conscientiâ erroneâ.*

QVÆ de Conscientiâ erroneâ dici possunt, facilè colliguntur ex illis, quæ supra dicta sunt de Ignorantiâ. Breviter 137

Conscientia erronea non minus inducit obligationem, vel deobligationem, (si sit invincibilis) quàm si esset vera. v.g. judicas per errorem, esse diem veneris, non minùs teneris jejunare, quàm si revera esset dies veneris. 138

Ratio est, quia bonitas vel malitia actuum moralium non desumitur ab objecto prout à parte rei est, sed ut est in mente propositum voluntati.

CAPVT

CAPVT VI.

DE REGVLA REMOTA, SEV MORALITATE OBIECTIVA ACTVVM HVMANORVM.

DIximvs regulam proximam actuum humanorum esse Conscientiæ dictamen, & præter hanc admittendam
139 esse aliam remotam, fundamentalem & primam; non enim ideo bona est eleemosyna, quia ego judico, sed ideo judico, quia bona est, & præsupponitur objecti bonitas ad cognitionem, sicut existentia Petri in foro ad eiusdem affirmationem.

140 Vniversalis autem huiusmodi regula proculdubio est voluntas DEI, quâ illi placet vel displicet huius vel illius objecti electio. Ratio est evidens; quia, ut diximus, actus morales dicuntur boni vel mali; in quantum vel perducunt ad ultimum finem, vel abducunt ab eodem: DEVS autem æternùm possidendus est ultimus hominis finis: & ad DEI possessio-
141 nem adducunt actus conformes beneplacito divino, difformes verò abducunt: ergo actus dicuntur boni, in quantum conformantur beneplacito divino, mali verò, in quantum eidem sunt difformes: ergo prima & fundamentalis regula, quam in omnibus operibus suis homo debet præ oculis habere, est voluntas

tas DEI; adeò ut nihil interſit, quale ſit objectum in ſe, qualecunque enim illud ſit, ſi judicetur placere vel diſplicere DEO, hinc potiùs, quàm ex objecti naturâ bonitas, vel pravitas operis erit metienda.

Huiuſmodi divina voluntas eſt duplex, alia libera, alia neceſſaria: libera eſt, quâ DEVS pro libitu ſuo præcipit, vel conſulit, vel pro- 142
hibet aliquod objectum, cùm æquè poſſet oppoſitum præſtare: ſic Judæis in lege Moſaicâ erat prohibita ſuillæ comeſtio, in novâ lege non eſt: econtra in illâ lege licita fuit polygamia, & repudium, modò non ſunt. Neceſſaria voluntas in ordine ad noſtros actus regulandos eſt, quæ approbat objecta, vel improbat ita, ut aliter non poſſit ob infinitam DEI perfectionem: v. g. placet DEO neceſſariò amor illius, adoratio, &c. & neceſſariò diſpli- 143
cet odium eiuſdem, adoratio Idolorum, &c. ſecùs enim ſi eſſet, DEVS eſſet aliquando licitè contemptibilis, quod repugnat Enti infinitè perfecto. Item ſi DEO poſſet placere ſui contemptus & odium, poſſet homo motus hâc DEI complacentiâ DEVM odiſſe, ſicque 144
ſimul amare & odiſſe.

Inter objecta prioris generis eſt iterum notabile diſcrimen; aliqua enim dicuntur eſſe ex ſe indifferentia, hoc eſt, intrinſecè nec bona, nec mala, ut comedere carnes die veneris.

Alia verò dicuntur esse intrinsecè bona, vel intrinsecè mala. Quæ sunt ex se indifferentia, si nulla de illis exstet revelatio, vel præceptum humanum, hoc ipso possunt licitè eligi, vel omitti ex eo capite, quia Deo non displicet eligi, vel omitti; quodsi prohibeantur, jam fiunt extrinsecè mala, & dicuntur non ideo
145 prohiberi, quia mala sunt, sed ideo esse mala, quia prohibita. Quod verò attinet ad objecta, quæ dicuntur intrinsecè bona, vel intrinsecè mala, hæc ideo dicuntur talia, quia humana natura exigit objecta talia placere vel displicere Deo, quidquid sit, utrum Deus possit, vel non possit in talia exigentiâ dispensare, sicut
146 in antiquâ lege dispensavit (propriè an impropriè nihil interest) in polygamiâ & repudio. Quando ergo de nullâ huiusmodi dispensatione constat, semper supponendum est, Deo placere illud, quod natura humana exigit placere, & illud displicere, quod exigit displicere, & ideo dicuntur esse jure naturæ
147 prohibita. huiusmodi sunt mendacium, perjurium, homicidium, pollutio, fornicatio, adulterium, &c. Hæc igitur objecta, quatenus habent disconvenientiam cum naturâ humanâ, dicuntur continere malitiam philosophicam, quatenus verò subsunt displicentiæ divinæ conformanti se hîc & nunc ipsi naturæ humanæ, dicuntur continere malitiam Theologicam. Hinc verò *Contro-*

Controversia non levis est prima, quænam sit Regula generalis ad omnia objecta intrinsecè mala, quam attenderit ipsa natura in illis prohibendis, seu, quod idem est, in quâ fundetur ipsum lumen naturæ dictans mendacium, furtum, detractionem, &c. esse inconvenientia naturæ humanæ, eámque dedecentia.

Vt autem paucis aliquid pro praxi dica- 148
mus; si mentem Theologorum, inspiciamus, quam ipsi regulam præ oculis habeant in quæstionibus particularibus, quando investigant, an hoc vel illud sit jure naturæ illicitum; v.g. procuratio abortûs, pollutio pro sanitatis conservatione, vel ejectione seminis jam decisi, & varia symptomata causantis, vin-
dicta facta privatâ authoritate, occulta com- 149
pensatio cum solâ juris probabilitate, in his inquam & alijs huiusmodi sexcentis deprehendere possumus, plerumque Theologos se fundare in illâ regulâ, quam in Manuscriptis tradidit Lugo, & alij postmodum excoluerunt; nimirum si obiectum ejus est naturæ, ut licentia illius esset generi humano potiùs nociva, quàm proficua ad illius felicem con- 150
servationem, dicendum est, esse intrinsecè malum: v.g. tametsi hîc & nunc furtum unius aurei factum regi à rustico plus boni afferat rustico, quàm damnum regi, quoad utriusque æstimationem, si tamen huiusmodi

furtum liceret, ex plurium propensione tanta fieret illius multiplicatio, & frequentatio, ut damnum inde Reipublicæ imminens ob varias consequentias, quas quis facilè perspicere potest, longè præponderaret bono, quod ex tali licentiâ in fures redundaret; & ideo tale furtum est intrinsecè malum: & sic de alijs.

151 Porro, quia in aliquibus objectis hæc præponderantia evidens est, ideo etiam evidens est, illa objecta esse intrinsecè mala: in alijs verò cùm sit obscura & dubia, hinc fit, ut varient opiniones, alijs asserentibus, alijs negantibus esse intrinsecè mala.

Consentaneè huic regulæ procedunt, vel
152 certè procedere debent Legislatores humani in legibus suis prohibitorijs, quas pro variatione circumstantiarum condunt; exemplificemus in matrimonio clandestino, quod etiam ante Tridentinum illicitum erat, & post Tridentinum omnino est invalidum in partibus, ubi quoad decreta Reformationis est receptum. Ratio, inquam prohibendi erant gra-
153 vissima inconvenientia, & incommoda tum Reipublicæ, tum privatorum, quæ ex licentiâ huiusmodi clandestinorum matrimoniorum emergebant, repudiatis sæpe legitimis conjugibus ex probationis defectu, & superinductis sacrilegis connubijs: quæ incommoda visa sunt Ecclesiastico Magistratui præponderare commo-

commodis, quæ ex licentiâ huiusmodi matrimoniorum & valore sperari possent.

Quodsi contingat, Magistratum in huiusmodi lege ferendâ decipi (quod fieri potest, & ex eventu colligitur quandoque legem non fuisse expedientem) nihilominus, si error non sit evidens, lex obligat: melius enim est, etiam 154
stante huiusmodi errore obligare, quàm non obligare; si enim non obligaret, sed subditorum judicio relinqueretur judicare, an lex expediat, nécne, quis non videt, quæ ex hac interpretandi licentiâ confusio nasceretur, longè præponderans illi malo, quod ex obligatione huiusmodi legis timeri potest? 155

Controvertitur ulteriùs secundò, utrum dari possit actus moralis indifferens, qui nec honestus sit, nec inhonestus.

Controvertitur tertiò. An voluntas prohibens, consulens, præcipiens, permittens differant ex parte objecti directi, an solùm in modo tendendi.

CAPUT VII. 156

DE MODO VOLENDI OBIECTUM ET CIRCUMSTANTIAS ILLIUS, AD PARTICIPANDAM INDE HONESTATEM ET INHONESTATEM.

DUPLICITER possumus velle objectum tam bonum, quàm malum, ciúsve circumstantiam addentem

bonitatem vel malitiam objectivam, materialiter scilicet,& formaliter,materialiter solùm volumus, quando quidem advertimus; illud placere vel displicere Deo,sed non ideo volumus, quia placet,vel displicet,sed ex aliâ causâ; formaliter verò, quando ratio volendi est ipsa complacentia vel displicentia Dei.

157 Objectum vel circumstantia bona formaliter volita utique refundit honestatem in actum: neque enim est perfectior modus contrahendi laudabilitatem,quàm ideo velle aliquid,quia bonum est. econtra etiam velle malum, quia malum est, utique refundit in actum malitiam. Verùm quando bonum & malum volumus

158 solummodo materialiter, est maximum discrimen.

Ad contrahendam enim ex objecto vel circumstantijs bonitatem & laudabilitatem non sufficit,velle illud materialiter tātùm, sed requiritur,ut habeat rationem motivi formalis: ad contrahendam verò malitiam sufficit, ut objectum vel circumstantia mala terminet

159 actum,sitque solùm materialiter volita. Ratio prioris partis est hæc.

Qui vult, v.g. sublevare miseriam pauperis puellæ,nō quia placet Deo hęc sublevatio, sed ut possit cum illâ fornicari, vel ex alio fine temporali, talis negligit beneplacitum Dei: negligere autem beneplacitum Dei,seu,quod

idem

idem est, honestatem objecti, non meretur laudem, ut ex terminis est manifestum. ergo requiritur, ut habeat rationem motivi.

Ratio posterioris partis est hæc: velle, v. g. furari, ut possis ludere, etiamsi non velis furari ideo, quia furtum displicet DEO, modò tamen videas displicere, jam contemnis displicentiam DEI; si enim illàm non contemneres, ab illâ absterrereris; atqui omnis contemptus displicentiæ divinæ meretur vituperium, ut vel terminis apprehensis liquet: ergo ad inde contrahendam inhonestatem sufficit objectum malum esse volitum materialiter cum præcognitione illius, nec requiritur, ut habeat rationem motivi formalis, & sic habetur discriminis assignati ratio. 160 161

Ex hucusque dictis manifestè consequitur, non posse unum eundémque actum esse simul bonum & malum, bonum secundùm unam formalitatem & malum secundùm aliam formalitatem, prout aliqui sibi sunt imaginati in huiusmodi actibus: *Volo furari, ut demeleemosynam: volo dare eleemosynam, ut possim fornicari.* Hìc sanè vel maximè locum habet vulgare illud ex S. Dionysio desumptum: *Bonum ex integrâ causâ, malum ex quovis defectu.* Ratio est manifesta: nam dare eleemosynam placet quidem DEO, sed non placet, nisi in quantum à voluntate illâ excluditur 162

omne objectum turpe: quocunq; enim huiusmodi admixto fit, ut actus sit absolutè prohibitus, & absolutè displiceat Deo. Unde etiamsi finis bonus sit secundùm se, non est tamen ullo modo bonum, sed absolutè malum, eligere malum ad faciendum bonum. Si verò eligatur bonum ad faciendum malum, huiusmodi electio solùm materialiter vult bonum, non ut motivum, quod requiritur ad actum bonum, ut dictum est. 163

Caput VIII.

DE MORALITATE EXTRINSECA, SEU ACTU EXTERNO ET IMPERATO. 164

Certum est, laudabilitatem & vituperabilitatem immediatè & præcipuè residere in actu voluntatis libero. Quia verò his actibus imperantur alij actus, ideo actus imperati, etiam cùm carent propriâ formali libertate, denominantur extrinsecè laudabiles & vituperabiles, ab actu scilicet imperante. 165

Porro actus imperati vel sunt actus aliarum potentiarum distinctarum à voluntate, ut sunt potentia intellectiva, & potentia locomotiva, vel sunt actus ipsius voluntatis reflexè voliti. Negari non potest, quin actus internus

ternus efficaciter imperativus actûs externi plerumque, & fortè semper plus laudabilitatis vel vituperabilitatis formalis afferat, quàm quando vel non est ex se efficax, vel aliunde ab executione impeditur.

Ratio est, quia volitio occupata in actuali executione, in quâ residet victoriæ difficultas, 166
hoc ipso & est ferventior, & durat diutiùs, quàm duraret, aut ferveret, si vel adverteret operans, se ab executione impediri, vel ipsam actûs externi difficultatem non experiretur: quo sensu dici solet, aliud esse, speculativè, aliud, practicè ad Indos proficisci.

Quodsi contingat, ut actus voluntatis re- 167
flexè volitus habeat simul formalem libertatem (prout fieri posse, & defacto contingere non ignobiles Theologi docuerunt) huiusmodi actus habebit non solùm laudabilitatem extrinsecam ab actu imperante, sed etiam propriam & intrinsecam. & hoc sensu posset huiusmodi actus esse extrinsecè malus, hoc est
ab actu malo imperatus, & intrinsecè bonus, 168
v.g. si ex motivo vanæ gloriæ imperarem actum doloris requisitum ad confessionem. Non tamen econtrario posset actus intrinsecè & ex objecto malus extrinsecè & ab actu imperante bonus esse: nam actus imperans actũ malum hoc ipso & ipse est malus, ut ex dictis cap. præcedente liquet.

Controversia est, an actus imperatus & externus etiam non habens formalem & propriam libertatem, augeat tamen rationem meriti vel demeriti præcisè ratione sui.

TITVLVS II.

DE PECCATIS.

169 PECCATVM Theologicum in genere definiri posset Forma denominans Naturam intellectualem DEO displicentem, inducénsque reatum alicuius pœnæ. Dividitur in Actuale & Habituale, & hoc iterum in Personale & Originale, de quibus deinceps agendum.

CAPVT I.

DE PECCATO ACTVALI, EIUSQUE EFFECTIBUS.

§. I. *Peccati Actualis definitio, & divisiones.*

171 PECCATVM Actuale definiunt Theologi cum S. Augustino: *Dictum, factum, vel concupitum contra legem DEI æternam.* Alij cum S. Ambrosio: Peccatum est prævaricatio legis divinæ, & cælestiū inobedientia mandatorum. Quas definitiones ad rigorem Logicum revocare ad scholas pertinet. Dividi-

Dividitur primò in Peccatum Mortale & Veniale. Differunt hæc imprimis quoad effectum, nam Mortale privat gratiâ sanctificante, (unde dicitur esse aversio à DEO, & conversio ad creaturam) & reddit dignum æternâ pœnâ, non item Veniale quantumvis multiplicatum. Dari autem huiusmodi venialia 172
peccata est de Fide. Prov. 14. *Septies in die cadit justus.* Jac. 3. *In multis offendimus omnes.* Horum triplex genus est. Primum, aliqua sunt venialia ex genere suo, hoc est, totum genus est veniale, & nunquam fit mortale, nisi vel ex conscientiâ erroneâ, vel accedente alia specie peccati; huiusmodi communiter dicitur 173
esse mendacium, garrulitas &c. Econtra aliqua sunt peccata ex genere suo mortalia, hoc est, quæ semper sunt mortalia, nisi vel parvitas materiæ, vel inconsiderantia excuset. Aliquæ tamen sunt species, quæ parvitatem materiæ non admittunt, ut blasphemia, perjurjum, peccatum carnis. Quænam autem 174
mortalia sint, colligendum vel ex S. Scripturâ, vel ex sensu communi DD. & Ecclesiæ, vel ex gravitate materiæ præceptæ simul cum intentione legislatoris, & modo præcipiendi vel prohibendi, vel ex gravi oppositione cum charitate erga DEVM, aut proximum, aut seipsum. Secundum genus venialium provenit ex inadvertentiâ & insufficienti deliberatione. Ter-

rium

tium ex parvitate materiæ, nec enim cogitandum, DEVM in levi materiâ voluisse graviter obligare, nisi id exprimat, prout expressit in pacto cum Adamo de non comedendo ex arbore scientiæ boni & mali. Potest autem contingere, ut materia secundùm se parva,
175 ratione finis & circumstantiarum sit magna, & inde etiam lege humanâ graviter prohibeatur, ut fit in Bello, & Religionibus.

Dividitur Peccatum actuale secundò in Peccatum commissionis, & omissionis. Commissionis est, quod fit contra præceptum negativum seu prohibitorium. Omissionis, quod fit
176 contra præceptum affirmativum. Omitto alias divisiones parùm utiles, & ex se faciles, ut in Peccatum cordis, oris, operis, carnale, spirituale, contra DEVM, seipsum, proximum, peccans per excessum, vel per defectum: constabunt etiam sufficienter ex alibi dicendis.

Actus positivus ex se non malus, prout tamen hîc & nunc connexus cum omissione rei
177 præceptæ, v.g. ludus cum omissione sacri, non est peccatum commissionis, sed omissionis, qui enim in talibus circumstantijs vult talem actum, jam vult aliquo modo complexum ex tali actu & omissione: ergo vult ipsam omissionem, & ut sic est peccatum omissionis, nam actus caussativus omissionis non nisi indirectè, & propter omissionem connexam prohibetur:

& sic

& sic salvatur, quomodo in tali casu non duplex, sed unicum peccatum committatur.

Controversia est, in quonam malitia peccati formaliter consistat, an in ipsâ entitate positivâ actûs, an in aliquo negativo.

§. II. *De Differentiâ specificâ & numericâ Peccatorum.* 178

DVplex est ratio præcipua, unde desumenda sit differentia specifica peccatorum: prima desumitur ab objecto habente notabilem diversitatem ad mores & æstimationem moralem pertinente. Secunda ratio est diversitas specifica virtutum, vel perfe- 179
ctionum ad eandem virtutem pertinentium: v.g. Furtum differt specie à Fornicatione, quia honestas, quæ est in non lædendis alterius bonis habet difficultatem, æstimationem & considerationem notabiliter valde diversam in ordine ad mores hominum, quàm habeat honestas Castitatis; unde fieri potest, ut quis bene penetret honestatem & præpon- 180
derantiam Justitiæ præ injustitiâ, & tamen nesciat æstimare præponderantiam Castitatis præ luxuriâ.

Imò ipsa justitia continet plures perfectiones specie diversas, sicut & Castitas, &c. unde fit, ut Detractio, Furtum, Homicidium, vulneratio specie differant, ratione specialis difficul-

difficultatis actuum oppositorum, & diversitatis bonorum, fortunæ, famæ, vitæ, corporis, quibus privant, & quorum incolumitas valde diverso modo æstimatur.

Quoad multiplicationem numericam peccatorum difficilius est regulam universalem
181 tradere. Communis sententia & regula est, non sufficere quamcunque interruptionem physicam, alioquin præceptum confitendi numerum peccatorum esset moraliter inobservabile, & occasio plurium perplexitatum; sed requiri tantam interruptionem, quæ excedat communem interrumpendi modum
182 in huiusmodi actionibus, Sic videmus pro diversitate materiæ diversam quoque interruptionem, modò majorem, modò minorem requiri ad actuum multiplicationem moralem: v g. Missæ operatio non interrumpitur moraliter per horam concionis, comestio tamen per horam abstinentiæ interrumperetur, &c.

183 Retractatione communiter quidem, non tamen infallibiliter & semper multiplicantur peccata externa: aliquando enim tam brevis est, ut actiones externæ adhuc censeantur moraliter connexæ; & tunc etiam voluntas censetur moraliter continuari: v. g. si quem colaphis & pugnis cæderes, & post plures percussiones cessares nonnihil animo

non

non amplius pulsandi ; sed ille alter calumnioſum verbum refunderet, & tu ſtatim iterum ad pulſandum redires, non committeres moraliter novum peccatum, ſed ratione circumſtantiarum cenſereris prius peccatum continuâſſe.

Actus merè interni ex duplici capite multiplicantur: primò ſi interrumpantur per voluntatem contrariam non ſolùm formalem ſed etiam virtualem, hoc eſt, per talem diſpoſitionem animi, vi cuius, ſi talis actús meminiſſet, eum potiùs retractaret, quàm proſequeretur. Secundò per interruptionem non quamcunque, ſed talem, ut ſequens actus fiat independenter à priore; ſi enim fiat dependenter, non multiplicat peccatum, ſaltem ubi non intercedit extraordinaria temporis intercapedo. 184 185

§. III. *Cur DEVS non ſit Cauſſa & Author Peccati actualis.*

DE fide eſt, DEVM non eſſe Authorem peccati. Hier. 19. *Ædificaverunt excelſa Balaam, quæ nec præcepi, nec locutus ſum, nec aſcenderunt in cor meum.* Pſal. 5. *Quia non DEVS volens iniquitatem, tu es.* Jac. 1. *Nemo cùm tentatur, dicat, quoniam à DEO tentatur, &c.* Quando autem Scriptura videtur aliter loqui, de permiſſione peccati intelligenda eſt. 186

Diffi-

Difficultas est in reddendâ ratione, cur DEVS non sit caussa peccati. Durandus docuit, DEVM non influere immediatè in effectus creaturarnm: sed hæc sententia refellitur à Philosophis pluribus argumētis. Communis & melior ratio est, illum solum esse
187 propriè Authorem alicuius effectûs, qui vel determinat contingentiam illius effectûs ad unam partem, vel ponit media, ex quibus sequitur ista determinatio eam intendendo; *Author* enim, & *Caussa propriè* dicitur *Caussa per se*, Caussa autem per se est illa, quæ caussat ex intentione; unde caussa particularis est caussa monstri per accidens, & potentia progressiva claudicationis provenientis ex
188 curvitate tibiæ. Itaque licet DEVS sit caussa per se actûs boni, quia eum intendit; peccati tamen non est, quia offert suum concursum indifferentem voluntati creatæ, ad peccandum, vel non peccandum, & ita offert, ut intendat non peccatum, sed actum bonum oppositum.

189 **§. IV.** *De Peccato Habituali, aliisque Effectibus Peccati Actualis.*

PRimus effectus Peccati actualis, in genere est macula quædam intrinseca animæ, manens tamdiu, quamdiu peccatum non remittitur, vel condignè pro eo satisfit, vocatúrque

túrque Peccatum Habituale. Psal. 14. *Qui ingreditur sine macula.* Psal. 118. *Beati immaculati in via.* Matth. 15. *De corde exeunt cogitationes malæ, Homicidia, Adulteria, &c. hæc sunt, quæ coinquinant hominem.* Apoc. 21. *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum.* Huc faciunt omnia loca, quibus dicimur in sacra 190
Scriptura, mundari à peccatis, non tantùm mortalibus, sed etiam venialibus; quamvis venialia non reddant immundum simpliciter & absolutè, sed tantùm secundùm quid, ut colligitur ex Joan. 13. *Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus, & vos mundi estis, sed non omnes.*

Controversia est, in quonam physicè & realiter loquendo consistat peccatum Habituale, an in privatione Gratiæ sanctificantis, alteriúsve doni incompossibilis cum actuali peccato, prout immediatè dependente à peccato actuali præterito, an in peccato ipso præterito cum negatione condignæ satisfactionis aut gratuitæ remissionis. 191

Secundus effectus peccati actualis est reatus pœnæ; non solùm enim tribuit Deo jus 192
ad indignationem, sed etiam ad pœnam infligendam. Hæc pœna alia est huius vitæ, alia futuræ, & hæc iterum duplex, alia damni, alia sensûs, (quarum diversitatem jam declaravimus tr. de Angelis) & quidem utraque vel æterna, in inferno, vel temporalis in-

purgatorio. Reatum æternæ pœnæ tam damni, qnàm sensûs parit peccatum mortale. Esa. 66. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur*: Et repetitur Marc. 9. Matth. 3. *Paleas autem comburet igni inextinguibili.* & c. 25. *Discedite à me in ignem æternum.* & alibi passim. Pœna damni, nempe carentia visionis DEI respondet aversioni à DEO, & pœna sensûs conversioni ad creaturas. 193

Dubium est, unde proveniat, quòd peccato mortali respondeat pœna æterna. Aliqui volunt provenire ex irrecuperabilitate gratiæ, & irremissibilitate culpæ. Alij verò ex intrinsecâ malitiâ peccati; quod alij ulteriùs explicant, & dicunt, pœnam delicto proportionatam debere esse tantam, ut consideratâ dignitate personæ offensæ, aliisque circumstantijs sufficienter, quantùm fieri potest, absterreat à tali culpâ: nulla autem pœna finita sufficienter absterreret homines à peccatis mortalibus; sed sola æterna. Alij aliter explicant. 194 195

Pœna damni essentialis & secundùm se spectata erit omnibus æqualis, cùm non suscipiat magis & minùs: pœna tamen sensûs erit inæqualis. Apoc. 18. *Quantum glorificavit se, & in delitijs fuit, tantum date illi tormentum & luctum.*

Contro-

Controversia est, an, & ex quo fundamento Peccatum Veniale in damnatis puniatur pœnâ æternâ saltem per accidens; & an pœna temporalis, quæ illis in hâc vitâ remansit post culpam dimissam fiat æterna.

CAPVT II. 196

DE PECCATO ORIGINALI.

§. I. *Existentia & Essentia Peccati Originalis.*

DVPLICITER Peccatum Originale accipi potest, Primò causaliter, & 197
quasi activè pro ipso actuali peccato primi parentis, quod commisit in esu fructûs vetiti, quódque causa & origo est peccati à posteris contrahendi. Secundò accipitur quasi passivè pro peccato per originem seu naturalem generationem causato ex peccato primi parentis, quod hoc modo in suo effectu dicitur in posteris propagari. Hoc
secundo sensu accipitur in præsenti. 198

Dari peccatum Originale, reddens hominem DEO exosum, & nisi eluatur, à beatitudine æternùm excludens est de fide. Rom. 5. *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum introivit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes*

peccaverunt. Et infrà. *Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, &c.* Ad Cor. 5. *Si unus pro omnibus mortuus est: ergo omnes mortui sunt.* Ad Ephes. 2. *Eramus naturâ filij iræ, sicut & cæteri.* Idipsũ in veteri testamento sæpius expressum est. Psal. 50. *Ecce! enim in iniquitatibus conceptus*
199 *sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Oseæ 6. *Ipsi autem sicut Adam transgressi sunt pactũ; ibi* (id est, in Paradiso) *prævaricati sunt in me.*

Peccatum Originale est peccatum propriè dictum; esto comparatum cum actuali, in quo tanquam principali se fundat, analogicè sit peccatum. Colligitur tum ex Scripturâ
200 absolutè sic appellante, tum ex Concil. Trid. sess. 5. in decreto de peccato orig. ubi dicitur anathema asserenti, per Baptismum non remitti reatum peccati originalis, aut *non tolli totum id, quod veram & propriam peccati rationem habet.*

Vnde sequitur, contra hæreticos, Peccatum Originale non esse ipsam naturalem
201 inordinatam Concupiscentiam; hæc enim non tollitur per Baptismum: & licet à S. Paulo vocetur peccatum, id impropriè intelligendum esse ex alijs locis, sicut Deut. 9. vitulus aureus etiam vocatur peccatum; vocatur ergo peccatum, quia & effectus est peccati, & inclinat ad illud.

Controver-

Controversia est celebris inter Catholicos, in quonam consistat realiter Peccatum Originale, an in privatione Gratiæ dependente à peccato Adami præterito, an in aliquâ denominatione extrinsecâ à peccato præterito, & negatione condonationis, quam aliqui putant fieri posse sine infusione Gratiæ. 202

§. II *Modus propagandi in posteros Peccatum Originale.*

CVM de fide sit post Concil. Lateranense, Animam Rationalem à DEO creari, error est explicare cum quibusdam antiquis Peccati Originalis derivationem per hoc, quòd anima à parentibus inquinatis inquinata producatur, & sic per Traducem, ut loquuntur, peccatum in posteros derivetur: præterquam quòd hâc ratione apud Christianos vix aliquis peccatum originale contraheret, à quo parentes, cùm generarent, jam liberi erant. 203

Vera Sententia est. Peccatum derivari in posteros, qui per seminalem generationem ab Adamo descendunt, virtute illius Pacti seu Decreti, quo DEVS Adamum constituit caput posterorum, hâc lege, ut si servaret præceptum de non comedendo fructu vetito, omnes eius posteri nascerentur cum originali justitiâ, eámque tamdiu retinerent, do- 204

tium ex parvitate materiæ, nec enim cogitandum, DEVM in levi materiâ voluisse graviter obligare, nisi id exprimat, prout expressit in pacto cum Adamo de non comedendo ex arbore scientiæ boni & mali. Potest autem contingere, ut materia secundùm se parva,
175 ratione finis & circumstantiarum sit magna, & inde etiam lege humanâ graviter prohibeatur, ut fit in Bello, & Religionibus.

Dividitur Peccatum actuale secundò in Peccatum commissionis, & omissionis. Commissionis est, quod fit contra præceptum negativum seu prohibitorium. Omissionis, quod fit
176 contra præceptum affirmativum. Omitto alias divisiones parùm utiles, & ex se faciles, ut in Peccatum cordis, oris, operis, carnale, spirituale, contra DEVM, seipsum proximum, peccans per excessum, vel per defectum: constabunt etiam sufficienter ex alibi dicendis.

Actus positivus ex se non malus, prout tamen hîc & nunc connexus cum omissione rei
177 præceptæ, v.g. ludus cum omissione sacri, non est peccatum commissionis, sed omissionis, qui enim in talibus circumstantijs vult talem actum, jam vult aliquo modo complexum ex tali actu & omissione: ergo vult ipsam omissionem, & ut sic est peccatum omissionis, nam actus caussativus omissionis non nisi indirectè, & propter omissionem connexam prohibetur:

& sic

& sic salvatur, quomodo in tali casu non duplex, sed unicum peccatum committatur.

Controversia est, in quonam malitia peccati formaliter consistat, an in ipsâ entitate positivâ actûs, an in aliquo negativo.

§. 11. *De Differentiâ specificâ & numericâ Peccatorum.* 178

DVplex est ratio præcipua, unde desumenda sit differentia specifica peccatorum: prima desumitur ab objecto habente notabilem diversitatem ad mores & æstimationem moralem pertinente. Secunda ratio est diversitas specifica virtutum, vel perfe- 179
ctionum ad eandem virtutem pertinentium: v.g. Furtum differt specie à Fornicatione, quia honestas, quæ est in non lædendis alterius bonis habet difficultatem, æstimationem & considerationem notabiliter valde diversam in ordine ad mores hominum, quàm habeat honestas Castitatis; unde fieri potest, ut
quis bene penetret honestatem & præpon- 180
derantiam Justitiæ præ injustitiâ, & tamen nesciat æstimare præponderantiam Castitatis præ luxuriâ.

Imò ipsa justitia continet plures perfectiones specie diversas, sicut & Castitas, &c. unde fit, ut Detractio, Furtum, Homicidium, vulneratio specie differant, ratione specialis difficul-

difficultatis actuum oppositorum, & diversitatis bonorum, fortunæ, famæ, vitæ, corporis, quibus privant, & quorum incolumitas valde diverso modo æstimatur.

Quoad multiplicationem numericam peccatorum difficilius est regulam universalem
181 tradere. Communis sententia & regula est, non sufficere quamcunque interruptionem physicam, alioquin præceptum confitendi numerum peccatorum esset moraliter inobservabile, & occasio plurium perplexitatum; sed requiri tantam interruptionem, quæ excedat communem interrumpendi modum
182 in huiusmodi actionibus, Sic videmus pro diversitate materiæ diversam quoque interruptionem, modò majorem, modò minorem requiri ad actuum multiplicationem moralem: v g. Missæ operatio non interrumpitur moraliter per horam concionis, comestio tamen per horam abstinentiæ interrumperetur, &c.

183 Retractatione communiter quidem, non tamen infallibiliter & semper multiplicantur peccata externa: aliquando enim tam brevis est, ut actiones externæ adhuc censeantur moraliter connexæ; & tunc etiam voluntas censetur moraliter continuari: v. g. si quem colaphis & pugnis cæderes, & post plures percussiones cessares nonnihil animo

non

non amplius pulsandi ; sed ille alter calumnioſum verbum refunderet, & tu ſtatim iterum ad pulſandum redires, non committeres moraliter novum peccatum, ſed ratione circumſtantiarum cenſereris prius peccatum continuâſſe.

Actus merè interni ex duplici capite multiplicantur : primò ſi interrumpantur per voluntatem contrariam non ſolùm formalem ſed etiam virtualem, hoc eſt, per talem diſpoſitionem animi, vi cuius, ſi talis actûs meminiſſet, eum potiùs retractaret, quàm proſequeretur. Secundò per interruptionem non quamcunque, ſed talem, ut ſequens actus fiat independenter à priore; ſi enim fiat dependenter, non multiplicat peccatum, ſaltem ubi non intercedit extraordinaria temporis intercapedo. 184 186

§. III. *Cur DEVS non ſit Cauſſa & Author Peccati actualis.*

DE fide eſt, DEVM non eſſe Authorem peccati. Hier. 19. *Ædificaverunt excelſa Balaam, quæ nec præcepi, nec locutus ſum, nec aſcenderunt in cor meum.* Pſal. 5. *Quia non DEVS volens iniquitatem, tu es.* Jac. 1. *Nemo cùm tentatur, dicat, quoniam à DEO tentatur, &c.* Quando autem Scriptura videtur aliter loqui, de permiſſione peccati intelligenda eſt. 186 3

Diffi-

Difficultas est in reddendâ ratione, cur Deus non sit causſa peccati. Durandus docuit, Deum non influere immediatè in effectus creaturarnm: sed hæc sententia refellitur à Philosophis pluribus argumētis. Communis & melior ratio est, illum solum esse,
187 propriè Authorem alicuius effectûs, qui vel determinat contingentiam illius effectûs ad unam partem, vel ponit media, ex quibus sequitur ista determinatio eam intendendo; *Author* enim, & *Causſa propriè* dicitur *Causſa per se*, Causſa autem per se est illa, quæ causſat ex intentione; unde causſa particularis est causſa monstri per accidens, & potentia progressiva claudicationis provenientis ex
188 curvitate tibiæ. Itaque licet Deus sit causſa per se actûs boni, quia eum intendit; peccati tamen non est, quia offert suum concursum indifferentem voluntati creatæ, ad peccandum, vel non peccandum, & ita offert, ut intendat non peccatum, sed actum bonum, oppositum.

189 **§. IV.** *De Peccato Habituali, aliisque Effectibus Peccati Actualis.*

PRimus effectus Peccati actualis, in genere est macula quædam intrinseca animæ, manens tamdiu, quamdiu peccatum non remittitur, vel condignè pro eo satisfit, vocatúrque

túrque Peccatum Habituale. Psal. 14. *Qui ingreditur sine macula.* Psal. 118. *Beati immaculati in via.* Matth. 15. *De corde exeunt cogitationes malæ, Homicidia, Adulteria, &c. hæc sunt, quæ coinquinant hominem.* Apoc. 21. *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum.* Huc faciunt omnia loca, quibus dicimur in sacra 190
Scriptura, mundari à peccatis, non tantùm mortalibus, sed etiam venialibus; quamvis venialia non reddant immundum simpliciter & absolutè, sed tantùm secundùm quid, ut colligitur ex Joan. 13. *Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus, & vos mundi estis, sed non omnes.*

Controversia est, in quonam physicè & realiter loquendo consistat peccatum Habituale, an in privatione Gratiæ sanctificantis, alteriúsve doni incompossibilis cum actuali peccato, prout immediatè dependente à peccato actuali præterito, an in peccato ipso præterito cum negatione condignæ satisfactionis aut gratuitæ remissionis. 191

Secundus effectus peccati actualis est rea- 192
tus pœnæ; non solùm enim tribuit Deo jus ad indignationem, sed etiam ad pœnam infligendam. Hæc pœna alia est huius vitæ, alia futuræ, & hæc iterum duplex, alia damni, alia sensûs, (quarum diversitatem jam declaravimus tr. de Angelis) & quidem utraque vel æterna, in inferno, vel temporalis in

purgatorio. Reatum æternæ pœnæ tam damni, qnàm sensûs parit peccatum mortale. Esa. 66. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur*: Et repetitur Marc. 9. Matth. 3. *Paleas autem comburet igni inextinguibili.* & c. 25. *Discedite à me in ignem æternum.* & alibi passim. Pœna damni, nempe
193 carentia visionis DEI respondet aversioni à DEO, & pœna sensûs conversioni ad creaturas.

Dubium est, unde proveniat, quòd peccato mortali respondeat pœna æterna. Aliqui volunt provenire ex irrecuperabilitate gratiæ, & irremissibilitate culpæ. Alij verò ex in-
194 trinsecâ malitiâ peccati; quod alij ulteriùs explicant, & dicunt, pœnam delicto proportionatam debere esse tantam, ut consideratâ dignitate personæ offensæ, aliisque circumstantijs sufficienter, quantùm fieri potest, absterreat à tali culpâ: nulla autem pœna finita sufficienter absterreret homines à peccatis mortalibus; sed sola æterna. Alij aliter
195 explicant.

Pœna damni essentialis & secundùm se spectata erit omnibus æqualis, cùm non suscipiat magis & minùs: pœna tamen sensûs erit inæqualis. Apoc. 18. *Quantum glorificavit se, & in delitijs fuit, tantum date illi tormentum & luctum.*

Contro-

Controversia est, an, & ex quo fundamento Peccatum Veniale in damnatis puniatur pœnâ æternâ saltem per accidens; & an pœna temporalis, quæ illis in hâc vitâ remansit post culpam dimissam fiat æterna.

CAPVT II. 196

DE PECCATO ORIGINALI.

§. I. *Existentia & Essentia Peccati Originalis.*

DVPLICITER Peccatum Originale accipi potest, Primò caussaliter, & 197
quasi activè pro ipso actuali peccato primi parentis, quod commisit in esu fructûs vetiti, quódque caussa & origo est peccati à posteris contrahendi. Secundò accipitur quasi passivè pro peccato per originem seu naturalem generationem caussato ex peccato primi parentis, quod hoc modo in suo effectu dicitur in posteris propagari. Hoc
secundo sensu accipitur in præsenti. 198

Dari peccatum Originale, reddens hominem DEO exosum, & nisi eluatur, à beatitudine æternùm excludens est de fide. Rom. 5. *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum introivit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes*

Controversia est celebris inter Catholicos, in quonam consistat realiter Peccatum Originale, an in privatione Gratiæ dependente à peccato Adami præterito, an in aliquâ denominatione extrinsecâ à peccato præterito, & negatione condonationis, quam aliqui putant fieri posse sine infusione Gratiæ. 202

§. II *Modus propagandi in posteros Peccatum Originale.*

CVM de fide sit post Concil. Lateranense, Animam Rationalem à DEO creari, error est explicare cum quibusdam antiquis Peccati Originalis derivationem per hoc, quòd anima à parentibus inquinatis inquinata producatur, & sic per Traducem, ut loquuntur, peccatum in posteros derivetur: præterquam quòd hâc ratione apud Christianos vix aliquis peccatum originale contraheret, à quo parentes, cùm generarent, jam liberi erant. 203

Vera Sententia est. Peccatum derivari in posteros, qui per seminalem generationem ab Adamo descendunt, virtute illius Pacti seu Decreti, quo DEVS Adamum constituit caput posterorum, hâc lege, ut si servaret præceptum de non comedendo fructu vetito, omnes eius posteri nascerentur cum originali justitiâ, eámque tamdiu retinerent, do- 204

nec propriâ culpâ perderent: econtra si illud præceptum transgrederetur, omnes eius posteri pariter transgressores haberentur, utpote quorum voluntates voluntati ipsius alligati essent; & quorum nomine peccaret, ac consequenter in pœnam peccati & ipse &
205 posteri privarentur Justitiâ Originali. Hoc decretum agnoverunt SS. PP. & meritò, nec enim aliud fundamentum transmissionis peccati excogitari potest.

Quia verò hoc pactum ex parte Adami non fuit arbitrarium, sed necessarium, & sic à rigore Pacti deficiat, ideo simpliciter non fuisset necessaria illius divini Decreti mani-
206 festatio, quamvis defacto manifestatum fuisse non dubitetur, ut inde Adamus speciale motivum servandi illud præceptum haberet.

Neque hæc transfusio voluntatum posterorum in voluntatem Adami, antecedenter ad casum eventualem potuisset nõ esse optabilis, & expediens generi humano: Adamus enim immediatè à DEO accepit optimam
207 corporis animique dispositionem, unde probabilissima reddebatur observantia legis: econtra posteri erant relinquendi communi providentiæ, & causarum secundarum variabili occurrentiæ, adeóque sæpe defectuosæ, unde non potuisset ea probabilitas atque spes legis observandæ affulgere, quæ affulsit

ex

ex alligatione suarum voluntatum arbitrio & electioni Adami.

Ab originali culpâ eximit cõmunis fidelium sensus (paucis exceptis) Beatissimã Dei Genitricem, utpote cuius Conceptionem festivam esse vult sancta Mater Ecclesia; unde meritò sentimus, non fuisse peccato inquinatam, ut 208
innumera alia taceam, quæ magnis voluminibus in huius sententiæ confirmationem sunt comprehensa. Quapropter laudabilissimum utiq; est Universitatis nostræ aliarúmq; statutum, quo non solùm Professores omnes juramento singulis annis publicè instaurando astringimur ad Immaculatam Deiparæ Con- 209
ceptionem juxta Pontificum Pauli V. & Gregorij XV. Constitutiones tamdiu piè asserendam, donec à Sede Apostolicâ aliter definitum fuerit, verùm etiam nemo Studiosorum ad ullum cuiuscunque Facultatis gradum admittitur, qui non post solennem Fidei Profes- 210
sionem eodem se voto ac juramento obstrinxerit.

Quin imò Recentiores eò procedunt, ut Beatissimam Virginem etiam à debito proximo contrahendi peccatum originale absolvant, quod idem est, ac dicere, eam non fuisse Pacto cum Adamo inito comprehensam: idque facilè deduci potest ex discursu paulò ante facto. Cùm enim Deus Matrem suam

futuram ſtatuiſſet. præ quàm ullum alium hominem, etiam ipſum Adamum, abundantiâ gratiarum ab ipſo conceptionis inſtanti prævenire, conſequens eſt, non fuiſſe expediens aut optabile B. Virgini, ſuam voluntatem quoad originalis juſtitiæ conſecutionem vo-
211 luntati Adami alligari.

§. III. *De effectu magis proprio Peccati Originalis, qui eſt, Corruptio Naturæ.*

NAturam hominis per peccatum primi Parentis aliquo modo corruptam, vitiatam, infirmatam, ac debilitatam fuiſſe
212 definitum eſt in Concil. Arauſicano, & in Tridentino ſeſſ. 6. cap. 1. ubi dicitur, *Liberum arbitrium minimè extinctum, tamen viribus attenuatum & inclinatum fuiſſe.* Colligitur ex ſacra Scriptura ad Rom. 5. *Et ita in omnes homines mors pertranſijt.* cap. 8. *Ipſa creatura liberabitur à ſervitute corruptionis in libertatem*
213 *gloriæ filiorum DEI.* Vnde etiam exſtat axioma Theologorum: *Hominem per peccatum ſpoliatum eſſe gratuitis, vulneratum in naturalibus,* cuius ſenſus ex ſequentibus intelligetur.

Hæc autem Naturæ corruptio non conſiſtit in ſpoliatione, vel ablatione ullius intrinſecæ perfectionis naturæ debitæ, ſed in ablatione

tione donorum supernaturalium, & gratuitorum, quæ solùm eatenus naturalia dici possunt, quatenus à nativitate hominibus ex intentione DEI inesse debebant. Sed consistit in dissolutione illius ordinis seu harmoniæ, quam justitia originalis tanquam donum divinum & naturæ indebitum, adeóque supernaturalis ordinis in homine efficiebat, ut 214
nempe corpus animæ, sine morbis ac moriendi necessitate, sensualitas rationi sine rebellione concupiscentiæ, voluntas DEO, sine morali necessitate venialiter saltem aliquando peccandi plenè subijceretur; quæ per extrinsecam DEI gubernationem naturæ concessa, fuissent ultra dona supernaturalia infusa, si 215
homo lapsus non esset. Hanc autem harmoniam fuisse indebitam, colligitur ex sacra Scriptura Eccles. 17. *Secundùm se vestivit illum virtute.* Ad Ephes. 4. *Induite novum hominem, qui secundùm DEVM creatus est in justitiâ & sanctitate veritatis.*

Sicut ergo vulneratio corporalis consistit in partium divisione, ita hæc vulneratio in 216
naturalibus radicaliter aliud non est, quàm illorum donorum ablatio, & inde consequens illius harmoniæ dissolutio, inferiorum potentiarum contra rationem & voluntatis ad bonum propensionem rebellio.

Porro, quia voluntas ex negatione talis

rebellionis sine difficultate ferebatur in bonum, per illam rebellionem redditur difficilis boni prosecutio, & sic liberi arbitrij attenuatio atque inclinatio consequitur.

Titvlvs III.

DE LEGIBVS.

217 TRactatio accurata de Legibus pauca habet Theologiæ speculativæ propria (solétque ideo in scholis prætermitti) plurima & utilissima, imò necessaria, & tanquam prima principia ac fundamenta Theologiæ Moralis, ac Jurisprudentiæ. Nos conformiter instituto, ea, quæ cæterorum fundamenta sunt, quantum satis est, afferemus, & quod in scholis omittitur, plurium dubiorum resolutione supplebimus.

218

Caput I.

DE LEGE IN GENERE.

219 DEfinitvr Lex: *Rationis ordinatio ad bonum commune, ab eo, qui curam communitatis habet, promulgata.* Ex quâ definitione colliguntur sequentes conditiones ad legem requisitæ. Prima, ut judicetur, & revera sit utilis futura communitati saltem probabiliter;

ter; esto fieri possit, ut in eventu appareat, utilem non esse, & ideo iterum abrogetur: hoc enim non obstat, quo minùs illa lex obligaverit, quamdiu probabiliter judicata fuit utilis futura; nisi enim hoc sufficeret, & plurimarum legum vis in dubium vocaretur, & potestas legislatoris humani valde diminuta redderetur, cùm sæpe non possit haberi evidentia. 220

Secunda conditio: ut condatur authoritate publicâ; à privato enim ferri non potest, cùm par in parem non habeat potestatem. Tertia conditio, ut subditis sufficienter moraliter intimetur, quomodo autem, aut quanta debeat esse promulgatio, ad Juristas spectat. 221

Controversia est, an Lex sit Actus Intellectûs, an Voluntatis. Multi volunt esse actum intellectûs, quo Legislator judicat reflexè, se habere voluntatem, ut hoc vel illud à subditis fiat. Fundamentum est, tum quia Lex naturalis est judicium intellectûs; tum quia Lex est imperium & præceptum; atqui imperium est actus intellectûs. Alij volunt, esse actum voluntatis, nam actus voluntatis est ille, per quem superior formaliter obligat inferiorem, & passim lex vocatur voluntas & placitum superioris. 222

Dividitur Lex in Naturalem & Positivam. Natura-

Naturalis est, quæ rationali naturæ insita est ab Authore naturæ,& quâ discernit ipso naturæ lumine honestum ab inhonesto secundùm primam Regulam Moralitatis objectivæ. Residet autem hæc lex propriè in ipso Authore naturæ, in nobis verò existit eius promulgatio.

223 Lex Positiva est, quæ à superiore contingenter ponitur, hoc est, non ex quadam necessitate & exigentiâ objecti perpetuâ; adeóque lex purè positiva illa jubet, quæ alioquin à lege naturali non jubentur.

Subdividitur Lex positiva in Divinam & Humanam. Divina est, quæ immediatè fertur
224 à Deo ad gubernandum homines, prout corpus aliquod politicum constituunt,cuiusmodi erant in veteri lege præcepta de ritu Sacrificiorum,circumcisione, ordine judiciali,&c. in lege Evangelicâ verò præcepta Sacramentorum. Humana lex est, quæ immediatè ab homine fertur: quæ subdividitur in Ecclesiasticam & Civilem: de quâ divisione sicut &
225 de alijs, ut de Lege favorabilj & odiosa, irritante, pœnali &c. viderint Juristæ

Lex divina,non tantùm naturalis,sed etiam positiva dicitur æterna, & est immutabilis; nam actus divini Intellectûs & Volũtatis mutari non potest. Neque obstat,quòd Deus præcepta antiquæ legis in novâ antiquaverit: etenim

etenim hanc ipsam antiquationem decrevit ab æterno, ut nimirum ad tale tempus hæc observarentur, deinde contrarium fieret juxta exigentiam temporum & conditionum. Quare DEVS idem voluit semper, sed non semper idem voluit observari. Dividitur denique in Legem scriptam, & non scriptam, quæ divisio ex dicendis de Consuetudine intelligetur. 226

CAPVT II.

DE LEGE NATVRALI.

LEx Naturalis est velut fundamentum Legum humanarum, quæ ex illâ aliquo modo descendunt, & illam applicant ad certam materiam, vel circumstantias, quod dupliciter fit, primò determinando quod Lex naturalis in genere præcepit, v. g. Lex naturalis præcipit cultum DEI, subjectionem filiorum erga parentes, provisionem parentum circa filios, subordinationem inter membra Reipublicæ &c. Legislator determinat has Leges, ad talem cultum determinatum, v.g, per dies festos, oblationem Sacrificij, jejunium, &c. per patriam potestatem Patris in filium familias, per constitutionem officiorum diversorum, &c. Altero modo fit per deductionem conclusionis pro certis circumstantijs, v.g. Lex naturalis præcipit Magistrati- 227 228

gistratibus, ut caveant annonæ caritatem; deinde Magistratus advertit, quòd si hoc tempore liceat evehere frumentum ex Provincia, sit secutura frumenti penuria: inde facit Legem, ne liceat efferre. Item Lex naturalis præcipit tranquillitatem & concordiam ac dominio-
229 rum certitudinem, quantum fieri potest. Magistratus advertit, ad hoc valde conducere, si res bonâ fide possessæ possint certo tempore usucapi, & inde facit Legem approbantem Præscriptiones, & sic de cæteris.

Hinc declarari potest, quomodo Lex humana prohibens ea, quæ Lege naturali per-
230 missa sunt, & ideo dicuntur esse juris naturalis, vel naturaliter licita, non sit contraria Legi naturali. Nam quando Lex naturalis permittit, v.g. & approbat donationem ultra quingentos solidos etiam sine insinuatione, item matrimonium clandestinum, libertatem omnibus hominibus, &c. huiusmodi inquam
231 Lex habet adjunctam conditionem: quamdiu pro bono Reipublicæ aliud non statuetur à potestate humanâ, cui Lex naturalis jubet obedientiam præstare, & dat potestatem irritandi contractus, &c.

Multò minùs concedendum est, posse Legem humanam prohibere id, quod præcipit Lex naturæ: nam in ijs casibus, quibus hoc fieri videtur, revera non prohibetur id, quod

Lex

Lex naturæ præcipit, neque in proprio & rigoroſo ſenſu verum eſt, tunc Legem naturalem deficere, & non eſſe veram, v.g. Lex naturæ præcipit reſtituere depoſitum, Lex humana in aliquo caſu prohibet reſtitutionem depoſiti; ſed revera non prohibet id, quod Lex naturæ præcipit; nam Lex naturæ non præcipit, ſemper, & in omnibus circumſtantijs eſſe depoſitum reſtituendum, alioquin ſibiipſi contraria eſt, nam Lex charitatis prohibet reſtituere gladium furioſo. ergo præcipit ſolùm reſtitutionem depoſiti ſub hâc conditione: niſi aliunde talis reſtitutio vitioſa ſit. Item Lex naturalis jubet ſtare promiſſis, & ſervare juramentum, econtra Lex humana irritat contractus impuberum, adeò, ut ne quidem juramento firmari poſſint; & Lex Eccleſiaſtica quandoque ipſa juramenta irrita reddit, & contractus metu initos, alioquin jure naturæ validos aut valituros reſcindit, aut irritos reddit: quæ omnia non ſunt, niſi apparenter contraria Legi naturæ, ſed modò ſuprà dicto intelligenda ſunt. 232 233 234

Idem dicendum eſt de Relaxatione Votorum & Juramentorum; nam Lex naturæ obligat quidem ad ſervanda vota & juramenta non relaxata, non tamen prohibet relaxationem ex juſtâ cauſsâ; nam hæc extraordinaria poteſtas erat neceſſaria, ſicut lumine naturæ conſetur

setur fuisse necessaria potestas reddendi voluntates subditorum impotentes ad se obligandum; sicut ergo non est contra jus naturale aut divinum, posse à principio impedire vim voti aut juramenti, ita non est, votum emissum aut juramentum abolere perinde acsi
235 nunquam editum fuisset. Vt ergo vota & juramenta non possent tolli, deberet hoc DEVS positivè prohibere, & vota omnino insolubilia reddere, sicut reddidit defacto insolubile matrimonium consumatum inter fideles, negando etiam extraordinariam potestatem illud dissolvendi, & meritò, nam talis potestas esset occasio plurimorum malorum, multi enim
236 ad hanc dissolutionem obtinendam sæpe causas darent, & innumera alia scandala sequerentur, prolisque incommoda, quæ non sequuntur ex potestate extraordinaria dissolvendi matrimonium ratum non consumatum per professionem, imò & consumatum inter fidelem & infidelem.

237 *Controversia est fortè magis de nomine, quàm de re, an DEVS per absolutam potentiam dispensare possit in Lege naturæ aliquid præcipiente vel prohibente.* Prima sententia universaliter id affirmat, quia DEVS est Author & Dominus naturæ, ergo sicut posset totam naturam perdere, ita posset licentiam dare ad illos actus, quorum licentia defacto ideo à naturâ prohibetur.

betur, quia si liciti essent, plus mali afferrent, quàm boni. Alij admittunt dispensationem in præceptis secundæ tabulæ tantùm; alij aliter limitant, sed sine sufficienti fundamento.

Secunda ergo plurimorum sententia est, DEVM dispensare posse in quibusdam naturæ Legibus impropriè, variando nempe aliquam circumstantiam, à quâ legis obligatio pendet, non tamen propriè; v.g. quando DEVS dedit Hebræis licentiam auferēdi res Ægyptiorum, suâ authoritate mutavit circumstantiam illam, quæ ad furtum requiritur, ut nempe res auferatur invito Domino. Eodem modo, si DEVS daret licentiam alium occidendi, occisio fieret authoritate publicâ, non privatâ, à quâ solâ vitiatur occisio. 238 239

Tertia sententia quorundam est, DEVM posse dispensare in omnibus naturæ Legibus, illis exceptis, quarum dispensabilitas argueret in DEO defectum primariæ alicuius perfectionis. Huiusmodi indispensabilem legem aiunt esse, quæ prohibet odium DEI, Perjurium, Mendacium. Nam si DEVS dispensare posset in odio sui, posset DEVS licitè tunc odio haberi; ergo non esset Ens perfectissimum cogitabile, nam perfectius Ens est, quod nunquam licitè odio haberi potest. Item si posset dispensare in perjurio vel mendacio, quod quis committeret loquens nomine DEI, redde- 240

retur inefficax authoritas Dei ad obligandum, ut illi summam fidem adhibeamus. Deinde fatentur isti Doctores, in homicidio, & ablatione rei alienæ non fore propriè dictam dispensationem, ut præcedens sententia rectè declaravit.

241 In alijs tamen vult hæc sententia, posse propriè dispensari, & defacto sic dispensatum esse in polygamiâ, in fornicatione, in repudio. Si enim in his casibus accommodata Dei authoritas faceret quo minus esset propriè dicta dispensatio, sequitur nullam dari propriè dictam dispensationem, cùm semper accedat Authoritas Legislatoris.

242 Advertunt etiam isti DD. magnum discrimen inter Licētiam, & Dispensationem. Nam Licentia sæpe est mera conditio, & non dispensatio, ut v.g. quando lex prohibet ingressum in Monasteria Monialium sine licentiâ; tunc enim actus non prohibetur simpliciter, nec à Legislatore desideratur omissio actûs simpliciter, nec dicitur finis legis vulnerari per talem actum, si accedat licentia; ut constat ex licentiâ requisitâ ad audiendas confessiones. At verò, quando lex actum ita prohibet, ut finis à lege intentus aliquo modo vulneretur etiam concessâ licentiâ, tunc talis licentia est vera & proprijssimè dicta dispensatio;

fatio: & huiusmodi fuisse videtur licentia concubinarum, polygamiæ, repudij.

Caput II.

DE LEGE DIVINA.

§. I. *De Lege Mosaicâ.*

144 LEx Mosaica (sic dicta, non quasi Moysen authorem habuerit, sed quia illi primitus dictata, & per ipsum promulgata fuit) etsi quidem in suo genere, pro conditione illius status & Ecclesiæ tunc existentis fuerit bona, absolutè tamen non habuit perfectam rationem bonitatis, 145 quatenus scilicet fuit mera figura & umbra veritatis in novâ Lege futuræ, adeóque ex vi suæ naturæ aliquando defectura; & quatenus per se, & sine respectu ad Christum novæ Legis conditorem non erat sufficiens ad æternam beatitudinem homini conciliandam; unde & sanctitas illius Legis propria erat sanctitas imperfecta, & merè legalis. Col- 146 ligitur ex sacra Scriptura. Ad Hebr. 7. *Reprobatio quidem fit precedentis mandati propter infirmitatem eius & inutilitatem, nihil enim ad perfectum adduxit Lex.* & c. 10. *Vmbram enim habens Lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum.* 1. Cor. 10. *Omnia in figurâ contingebant illis.*

Lex Mosaica media fuit inter legem naturæ, quæ usque ad Moysen sola vigebat, & Legem gratiæ. Eius Leges fuêre triplices, Morales, Ceremoniales, & Judiciales, Deut. 6. *Hæc sunt præcepta, & ceremoniæ, atque judicia, &c.* Præcepta eius Moralia omnia reducuntur ad
247 decem Præcepta Decalogi, quamvis tertium Decalogi Præceptum sit etiam secundùm quid ceremoniale, nempe quoad determinationem temporis pro cultu DEI.

Lex Mosaica desijt obligare in articulo mortis Christi, quod significavit imprimis scissura veli templi Matth. 27. & colligitur ex Hebr. 7.
248 *Translato Sacerdotio necesse est, ut Legis translatio fiat.* & c. 8. *Dando novum veteravit prius.* Atqui in morte Christi translatum est Sacerdotium, quando Christus Sacerdos seipsum obtulit. ergo. Neque obstat, quòd adhuc obligent Præcepta Decalogi; nam obligant adhuc quatenus sunt juris naturalis, & simul quatenus à Christo sunt de novo præcepta.

249 Vtrum autem Lex Mosaica statim post mortem Christi ante sufficientem Evangelij prædicationem fuerit mortifera, ita ut in ratione cultùs divini non potuerit amplius observari saltem adæquatè spectata, fuit olim gravis contentio inter S. Hieronymum, & S. Augustinum, & jam obtinuit Sententia S. Augustini, fuisse quidem statim post mortem Christi

Christi illam Legem quoad ceremonialia mortuam, sed necdum mortiferam. Fundamentum est, tum quia ipsi Apostoli adhuc observârunt; nam Paulus circumcidit Timotheum Act. 16. Petrus se Judæis conformavit. Ad Galat. 2. Paulus se purificavit. Act. 21. & Cenchris caput more Nazareorum totondit. Act. 18. 250

Est autem de fide, Legem Mosaicam aliquando cœpisse esse mortiferam quoad ceremonialia quà talia; idque potissimùm colligitur ex illo ad Hebr. 7. *Reprobatio fit præcedentis mandati, propter eius inutilitatem, & infirmitatem.* Non conveniunt tamen DD. in quanto rigore sit illa Lex reprobata, an solùm adæquatè spectata, an verò etiam quoad singulas partes, in eadem specie sumptas, ita ut nulla omnino immutata possit hodie assumi ex voluntate Ecclesiæ ad cultum divinum. Aliqui hoc negant, plerique videntur affirmare, de quâ Controversia copiosè disserit Salas disp. 23. s. 8. 251

Est etiam Controversia, quandonam inceperit esse mortifera? & communior est Theologorum sententia, cœpisse esse mortiferam anno quadragesimo à Passione Domini, quando Hierusalem & Templum destructa fuerunt; quia deinceps nulla fuit occasio servandi Legalia in honorem Legis; & tunc censetur 252

mâ, immediatè à Deo, seu Lege naturali obligetur ad hanc potestatem suo tempore exercendam tam præcipiendo, quàm puniendo; quæ omnia declarat S. Paulus ad Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas, nisi à DEO: quæ*
259 *autem sunt à DEO, ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, DEI ordinationi resistit.* & infrà. *Si autem malum feceris, time; non enim sine causâ gladium portat. DEI enim minister est, vindex in iram ei, qui malum agit.*

Potestas politica tametsi aliquo modo sit immediatè à Deo, simpliciter tamen & absolutè prout defacto residet in Regibus, Prin-
260 cipibus aut Rebuspublicis, rectè dicitur esse à Deo mediatè; secus est de Potestate Ecclesiasticâ. Declaratur breviter hoc discursu. Ex ipso naturæ lumine & instinctu ducitur homo, ut in aliquâ communitate vel familiâ vivat; in quem finem natura dedit hominibus mutuam indigentiam, quâ bestiæ carent:
261 non potest enim quodvis individuum sibi omnia necessaria moraliter loquendo procurare. In quem etiam finem probabiliter dici posset, à naturâ negatam esse singulis individuis potestatem, injurias illatas propriâ & privatâ authoritate vindicandi, hanc enim potestatem non solùm homini in communitate viventi, sed etiam seorsim viventi commu-

communissima Theologorum doctrina omnino negare videtur, ut supponit etiam Molina disp. 22. de Jure & Just.

Posito autem, quòd homo ex naturæ ductu communitatem instituat, jam etiam naturæ lumen dictat, in illâ communitate esse debere potestatem præcipiendi, puniendi, hostes arcendi, jus vindicandi injurias, &c. 262
& quia hoc dictamen est ipsum jus naturale à DEO inditum, ut sic DEVS est immediatus Author huius potestatis quoad suam primã originem, & subjectum quasi primigenium, quod est vel quævis familia, vel plurium familiarum communitas: nam graves DD. docent, quòd si homines vellent secundùm familias singulas seorsim vivere, singulæ haberent caput politicum, & jus gladij & belli adversus aliam. 263

Quia verò communitas varijs formis institui potest, nempe vel Monarchiæ, vel Aristocratiæ, vel Democratiæ, DEVS ut Author naturæ reliquit hominibus liberum eligere formam, quam vellent; quando ergo Communitas eligit certam formam, v. g. Monarchiam, transfert suam potestatem, quam à naturâ tanquam primum subjectum immediatè habet, in Principem, & sic Princeps dicitur suam potestatem immediatè habere à populo, & mediatè à DEO. 264

setur fuisse necessaria potestas reddendi voluntates subditorum impotentes ad se obligandum; sicut ergo non est contra jus naturale aut divinum, posse à principio impedire vim voti aut juramenti, ita non est, votum emissum aut juramentum abolere perinde ac si
235 nunquam editum fuisset. Vt ergo vota & juramenta non possent tolli, deberet hoc DEVS positivè prohibere, & vota omnino insolubilia reddere, sicut reddidit de facto insolubile matrimonium consumatum inter fideles, negando etiam extraordinariam potestatem illud dissolvendi, & meritò, nam talis potestas esset occasio plurimorum malorum, multi enim
236 ad hanc dissolutionem obtinendam sæpe causas darent, & innumera alia scandala sequerentur, prolisque incommoda, quæ non sequuntur ex potestate extraordinaria dissolvendi matrimonium ratum non consumatum per professionem, imò & consumatum inter fidelem & infidelem.

237 *Controversia est fortè magis de nomine, quàm de re, an DEVS per absolutam potentiam dispensare possit in Lege naturæ aliquid præcipiente vel prohibente.* Prima sententia universaliter id affirmat, quia DEVS est Author & Dominus naturæ, ergo sicut posset totam naturam perdere, ita posset licentiam dare ad illos actus, quorum licentia de facto ideo à naturâ prohibetur.

betur, quia si liciti essent, plus mali afferrent, quàm boni. Alij admittunt dispensationem in præceptis secundæ tabulæ tantùm; alij aliter limitant; sed sine sufficienti fundamento.

Secunda ergo plurimorum sententia est, DEVM dispensare posse in quibusdam naturæ Legibus impropriè, variando nempe aliquam circumstantiam, à quâ legis obligatio pendet, non tamen propriè; v.g. quando DEVS dedit Hebræis licentiam auferēdi res Ægyptiorum, suâ authoritate mutavit circumstantiam illam, quæ ad furtum requiritur, ut nempe res auferatur invito Domino. Eodem modo, si DEVS daret licentiam alium occidendi, occisio fieret authoritate publicâ, non privatâ, à quâ solâ vitiatur occisio. 238 239

Tertia sententia quorundam est, DEVM posse dispensare in omnibus naturæ Legibus, illis exceptis, quarum dispensabilitas argueret in DEO defectum primariæ alicuius perfectionis. Huiusmodi indispensabilem legem aiunt esse, quæ prohibet odium DEI, Perjurium, Mendacium. Nam si DEVS dispensare posset in odio sui, posset DEVS licitè tunc odio haberi; ergo non esset Ens perfectissimum cogitabile, nam perfectius Ens est, quod nunquam licitè odio haberi potest. Item si posset dispensare in perjurio vel mendacio, quod quis committeret loquens nomine DEI, redde- 240

retur inefficax authoritas Dei ad obligandum, ut illi ſummam fidem adhibeamus. Deinde fatentur iſti Doctores, in homicidio, & ablatione rei alienæ non fore propriè dictam diſpenſationem, ut præcedens ſententia rectè declaravit.

241 In alijs tamen vult hæc ſententia, poſſe propriè diſpenſari, & de facto ſic diſpenſatum eſſe in polygamiâ, in fornicatione, in repudio. Si enim in his caſibus accommodata Dei authoritas faceret quo minus eſſet propriè dicta diſpenſatio, ſequitur nullam dari propriè dictam diſpenſationem, cùm ſemper accedat Authoritas Legiſlatoris.

242 Advertunt etiam iſti DD. magnum diſcrimen inter Licẽtiam, & Diſpenſationem. Nam Licentia ſæpe eſt mera conditio, & non diſpenſatio, ut v.g. quando lex prohibet ingreſſum in Monaſteria Monialium ſine licentiâ; tunc enim actus non prohibetur ſimpliciter, nec à Legiſlatore deſideratur omiſſio actûs ſimpliciter, nec dicitur finis legis vulnerari per talem actum, ſi accedat licentia; ut conſtat ex licentiâ requiſitâ ad audiendas confeſſiones. At verò, quando lex actum ita prohibet, ut finis à lege inventus aliquo modo vulneretur etiam conceſsâ licentiâ, tunc talis licentia eſt vera & proprijſſimè dicta diſpenſatio;

fatio: & huiusmodi fuisse videtur licentia concubinarum, polygamiæ, repudij.

CAPVT II.

DE LEGE DIVINA.

§. I. *De Lege Mosaicâ.*

144 LEx Mosaica (sic dicta, non quasi Moysen authorem habuerit, sed quia illi primitus dictata, & per ipsum promulgata fuit) etsi quidem in suo genere, pro conditione illius status & Ecclesiæ tunc existentis fuerit bona, absolutè tamen non habuit perfectam rationem bonitatis, 145 quatenus scilicet fuit mera figura & umbra veritatis in novâ Lege futuræ, adeóque ex vi suæ naturæ aliquando defectura; & quatenus per se, & sine respectu ad Christum novæ Legis conditorem non erat sufficiens ad æternam beatitudinem homini conciliandam; unde & sanctitas illius Legis propria erat sanctitas imperfecta, & merè legalis. Col- 146 ligitur ex sacra Scriptura. Ad Hebr. 7. *Reprobatio quidem fit præcedentis mandati propter infirmitatem eius & inutilitatem, nihil enim ad perfectum adduxit Lex.* & c. 10. *Vmbram enim habens Lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum.* 1. Cor. 10. *Omnia in figurâ contingebant illis.*

Lex Mosaica media fuit inter legem naturæ, quæ usque ad Moysen sola vigebat, & Legem gratiæ. Eius Leges fuêre triplices, Morales, Ceremoniales, & Judiciales, Deut. 6. *Hæc sunt præcepta, & ceremoniæ, atque judicia, &c.* Præcepta eius Moralia omnia reducuntur ad
247 decem Præcepta Decalogi, quamvis tertium Decalogi Præceptum sit etiam secundùm quid ceremoniale, nempe quoad determinationem temporis pro cultu DEI.

Lex Mosaica desijt obligare in articulo mortis Christi, quod significavit imprimis scissura veli templi Matth. 27. & colligitur ex Hebr. 7.
248 *Translato Sacerdotio necesse est, ut Legis translatio fiat.* & c. 8. *Dando novum veteravit prius.* Atqui in morte Christi translatum est Sacerdotium, quando Christus Sacerdos seipsum obtulit. ergo. Neque obstat, quòd adhuc obligent Præcepta Decalogi; nam obligant adhuc quatenus sunt juris naturalis, & simul quatenus à Christo sunt de novo præcepta.

249 Vtrum autem Lex Mosaica statim post mortem Christi ante sufficientem Evangelij prædicationem fuerit mortifera, ita ut in ratione cultùs divini non potuerit amplius observari saltem adæquatè spectata, fuit olim gravis contentio inter S. Hieronymum, & S. Augustinum, & jam obtinuit Sententia S. Augustini, fuisse quidem statim post mortem Christi

Christi illam Legem quoad ceremonialia mortuam, sed necdum mortiferam. Fundamentum est, tum quia ipsi Apostoli adhuc observârunt; nam Paulus circumcidit Timotheum Act. 16. Petrus se Judæis conformavit. Ad Galat. 2. Paulus se purificavit. Act. 21. & Cenchris caput more Nazareorum totondit. Act. 18. 250

Est autem de fide, Legem Mosaicam aliquando cœpisse esse mortiferam quoad ceremonialia quà talia; idque potissimùm colligitur ex illo ad Hebr. 7. *Reprobatio fit præcedentis mandati, propter eius inutilitatem, & infirmitatem.* Non conveniunt tamen DD. in quanto rigore sit illa Lex reprobata, an solùm adæquatè spectata, an verò etiam quoad singulas partes, in eadem specie sumptas, ita ut nulla omnino immutata possit hodie assumi ex voluntate Ecclesiæ ad cultum divinum. Aliqui hoc negant, plerique videntur affirmare, de quâ Controversia copiosè disserit Salas disp. 23. s. 8. 251

Est etiam Controversia, quandonam inceperit esse mortifera? & communior est Theologorum sententia, cœpisse esse mortiferam anno quadragesimo à Passione Domini, quando Hierusalem & Templum destructa fuerunt; quia deinceps nulla fuit occasio servandi Legalia in honorem Legis; & tunc censetur 252

tur Lex Evangelica satis promulgata fuisse, cùm jam omnes Apostoli obijssent.

§. II. *De Lege Evangelica, seu Gratiæ.*

LEGIS Evangelicæ maximè propria materia est Sacramentorum administratio
253 & usus. Obligat autem hæc Lex omnes omnino Fideles, vel in ratione præcepti, ut adultos, vel saltem in ratione medij omnino necessarij, ut parvulos. Et hinc vocatur Universalis seu Catholica; nam Lex Mosaica particularis erat, ad quam non obligabantur, etsi poterant, accedere gentiles. De Fide est, hanc Legem usque ad finem mundi nunquam ab-
254 rogatum iri per aliam Legem succedentem, neque alio modo cessaturam; ita prædixit David. Psal. 109. *Tu es Sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech*, & habetur Matth. 24. *Prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet consumatio*, & c. 28.
255 *Ecce! ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consumationem sæculi.*

Quandonam autem cœperit Lex Christi quoad necessitatem Baptismi obligare, duplex est, imò triplex valde probabilis sententia; Prima, statim à puncto mortis saltem illos fuisse obligatos, qui cognoverunt ex prædicatione

tione Christi, Baptismum saltem paulò pòst omnibus futurum necessarium. Alioquin fuisset tẽpus, in quo nec vetus, nec nova Lex obligâsset. Secunda Sententia est, cœpisse post promulgationem factam in die Pentecostes; quousque Lex Mosaica quoad Sacramentorum usum nondum omnino mortua fuit, sed Circumcisio adhuc suum effectum habere potuit. Colligitur ex eo, quòd Christus Matth. & Marci ult. denuo exponens præceptum Baptismi, prohibet illud ab Apostolis promulgari, *priusquam induantur virtute ex alto.* 256

Tertia Sententia est, cœpisse primùm obligare novam Legem tempore excidij Hierosolymitani, quando Lex vetus cœpit esse mortifera, de quo jam antè dictum est. 257

CAPVT III.

DE LEGE HVMANA

§. I. *De authoritate humanâ ferendi Leges.* 258

DATVR Authoritas humana ferendi Leges, non Ecclesiastica solùm, sed etiam Politica & Civilis, quæ aliquo modo est à DEO, seu immediatè, seu mediatè (de quo postea) & ita quidem, ut Magistratus acceptâ semel potestate legiti-

mâ, immediatè à DEO, seu Lege naturali obligetur ad hanc potestatem suo tempore exercendam tam præcipiendo, quàm puniendo; quæ omnia declarat S. Paulus ad Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas, nisi à DEO: quæ*
259 *autem sunt à DEO, ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, DEI ordinationi resistit.* & infrà. *Si autem malum feceris, time; non enim sine causâ gladium portat. DEI enim minister est, vindex in iram ei, qui malum agit.*

Potestas politica tametsi aliquo modo sit immediatè à DEO, simpliciter tamen & absolutè prout defacto residet in Regibus, Prin-
260 cipibus aut Rebuspublicis, rectè dicitur esse à DEO mediatè; secus est de Potestate Ecclesiasticâ. Declaratur breviter hoc discursu. Ex ipso naturæ lumine & instinctu ducitur homo, ut in aliquâ communitate vel familiâ vivat; in quem finem natura dedit hominibus mutuam indigentiam, quâ bestiæ carent:
261 non potest enim quodvis individuum sibi omnia necessaria moraliter loquendo procurare. In quem etiam finem probabiliter dici posset, à naturâ negatam esse singulis individuis potestatem, injurias illatas propriâ & privatâ authoritate vindicandi, hanc enim potestatem non solùm homini in communitate viventi, sed etiam seorsim viventi commu-

communissima Theologorum doctrina omnino negare videtur, ut supponit etiam Molina disp. 22. de Jure & Just.

Posito autem, quòd homo ex naturæ ductu communitatem instituat, jam etiam naturæ lumen dictat, in illâ communitate esse debere potestatem præcipiendi, puniendi, hostes arcendi, jus vindicandi injurias, &c. 262
& quia hoc dictamen est ipsum jus naturale à DEO inditum, ut sic DEVS est immediatus Author huius potestatis quoad suam primã originem, & subjectum quasi primigenium, quod est vel quævis familia, vel plurium familiarum communitas: nam graves DD. docent, quòd si homines vellent secundùm familias singulas seorsim vivere, singulæ haberent caput politicum, & jus gladij & belli adversus aliam. 263

Quia verò communitas varijs formis institui potest, nempe vel Monarchiæ, vel Aristocratiæ, vel Democratiæ, DEVS ut Author naturæ reliquit hominibus liberum eligere formam, quam vellent; quando ergo Communitas eligit certam formam, v. g. Monarchiam, transfert suam potestatem, quam à naturâ tanquam primum subjectum immediatè habet, in Principem, & sic Princeps dicitur suam potestatem immediatè habere à populo, & mediatè à DEO. 264

At verò Potestas Ecclesiastica immediatè est à Deo; nam imprimis cùm finis, ad cuius consecutionem est instituta, sit supernaturalis, non potest lumen naturæ dictare, huiusmodi potestatem residere primitus penes familiam vel communitatem antecedenter ad certam formam Reipublicæ: unde consequens est, non transferri hanc potestatem ab uno subjecto in aliud per liberam determinationem formæ. Neque obstat, quòd quandoque requiratur Electio, nempe ipsius Pontificis; hæc enim non est translatio potestatis in eligentibus residentis, sed mera conditio, quam Deus liberè instituit, & quâ posità ipse immediatè confert potestatem.

265

266

§. II. *Quomodo Lex humana præcipere possit actum internum.*

COntroversia est, an, aut quomodo Lex humana præcipere possit actum internum. Affirmant aliqui, actum etiam merè internum, nec prodeuntem in actum externum posse præcipi à Lege humanâ; tale enim præceptum, esto non haberet utilitatem in ordine ad externum judicium, haberet tamen utilitatem in ordine ad obligandum in conscientia, sic enim à timoratis conscientijs finem intentum consequeretur. Alij simpliciter negant, ullo modo posse actum internum

267

præcipi

præcipi. Sed communiùs cæteri DD. distinguunt, & asserunt, actum merè internum præcipi non posse Lege humanâ, quia judicari & puniri transgressor non potest: at verò quatenus actus internus non solùm est necessarius tanquam imperium actûs externi præcepti, sed etiam quatenus dat valorem & 268
bonitatem intentam actui externo, prout dat intentio vel attentio orationi vocali, dolor confessioni sacramentali, ut sic, inquam, præcipi posse quasi indirectè; sic enim ex omissione actûs externi colligitur defectus interni, & puniri potest. Excipiuntur tamen Superiores Regularium, qui virtute voti obe- 269
dientiæ possunt etiam actus internos directè & per se præcipere, ut orationem mentalem, intentionem determinatam, &c.

§. III. *De Obligatione Legis humanæ.*

QVÆRITVR, an Lex possit obligare in Conscientiâ, & sub peccato mortali. Negârunt præter Hæreticos etiam Gerson 270
& Almainus; sed cæteri DD. omnes affirmant, adeò ut aliqui putent esse de fide. De Lege Ecclesiasticâ habetur fundamentũ Matth. 16. *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis.* & sensus omnium Fidelium est, se ad jejunia in cõscientiâ teneri. Quoad civilem Magistratum probatur ex c. 13. ad Rom.

Ideo

Ideo necessitate subditi estote non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam. Ratio est, quia ad cavendas innumeras fraudulentas, trãsgressiones in materiâ valde necessariâ, sed difficili, hæc potestas omnino necessaria est. Neque deest Authoritas DEI, nam, vt vidimus, etiam Politica potestas est originaliter à
271 DEO. Quapropter DEVS se accommodat intentioni justæ Magistratûs, quo volente obligare, DEVS elicit actum displicētiæ & improbationis actûs oppositi, sicque ipsum actum oppositum reddit illicitum in conscientiâ.

Illud paulò difficilius est, an ex gravitate pœnæ per Legem transgressoribus latæ possit
272 universaliter colligi, quòd Lex velit obligare graviter in conscientiâ. Pœna autem gravis est non solùm ultimum supplicium, sed etiam mutilatio, dura incarceratio, gravis infamia, flagellatio, triremis, exilium perpetuum, amissio magnæ partis bonorum. Communior sententia affirmat; aliqui tamen id omnino
273 negant. Fundamentum est, quia ad impositionem pœnæ etiam gravis videtur sufficere sola culpa politica & civilis; v. g. quando custodibus mœnium imponitur Lex vigilandi sub pœna capitis; qui tamen non obligantur in conscientiâ pro omni casu: item secundùm communiorem sententiam non peccat is, qui carcerem effringit ad fugiendum,

dum, si cum periculo supplicij gravioris est incarceratus, & tamen in tales statuuntur graviſſimæ pœnæ. Ob hæc fundamenta posset fortè communis sententia non nihil temperari, si dicamus, ex circumstantiâ personarum, quibus talis Lex pœnalis fertur, pẽdere, utrum expediat obligare solùm ad pœnam, vel simul etiam in conscientiâ, & pro diver- 274
sitate personarum diversimodè esse de Legislatoris intentione præsumendum. Porro

Declarari hoc potest in triplici genere Personarum, nempe communium civium, militum, & incarceratorum. Quoad Leges civibus latas, dicendum videtur, tales Leges etiam in conscientiâ obligare, quoad Leges 275
verò latas specialiter militibus, aut incarceratis, esse purè pœnales; quia sic expedit regulariter ferri. Nam cives communiter nec sunt peſſimæ, nec optimæ conscientiæ, sed alij boni, alij mali: ergo ita expedit Legem ferri, ut & bonos & malos aliquâ ratione ad obſervationem compellat, & à transgreſſio- 276
ne absterreat: boni autem magis absterrentur timore culpæ, quàm timore pœnæ; nam pœnam frequenter evitare possent transgreſſione occultâ; e contra mali non absterrerentur timore culpæ: ergo sunt absterrendi timore pœnæ, qui saltem impedit, ne frequens sit transgreſſio legis: cùm ergo sine gravi

offensâ

offensâ non posset fieri civium discretio & divisio in bonos & malos, ideo expedit in omnes æqualiter ferri Legem obligantem & in conscientia & ad pœnam.

Econtra pro militibus expedit communiter non ferri, nisi Legem pœnalem, & quidem gravissimam etiam pro delictis alioquin le-
277 vissimis: quia imprimis in militari disciplinâ sæpe minimi defectus quoad apparentiam, essent gravissimi & periculosissimi, si impunè fieri possent: debent ergo gravi pœnâ coërceri; alioquin non satis absterrerentur. Non tamen expedit obligare in conscientiâ, quia maxima militum pars huiusmodi peccatorum flocci habet, & non absterretur, ergo frustra
278 illis injiceretur laqueus conscientiæ, sufficitque pœnis absterreri.

Simili modo quoad incarceratos discurrere cum proportione possumus; nam naturalis amor propriæ vitæ tantus est, ut nimis grave esset, & impar humanæ conditioni, si Lege humanâ posset in conscientiâ obligari ad non tentandam fugam. At verò, quia efa-
279 fractio carceris est gravis culpa politica, debebat saltem sub gravi pœnâ posse impediri; quia talis pœna non est certa, sed dubia, nempe si fugitivus iterum comprehendatur, quod periculum debet reus subire; & si comparetur cum spe elabendi, non est nimium.

Dubita-

Dubitatur, an Ignorantia aliquando excuſet â pœnâ delicto per Legem impoſitâ. De Cenſuris Eccleſiaſticis eſt communis ſententia, eas non incurri, niſi ſciantur delicto eſſe impoſitæ; eſt enim talis notitia neceſſaria loco monitionis, alioquin non eſſet reus contumax: & præterea Cenſura debet eſſe medicinalis, 280
qualis non eſſet, ſi ab ignorante incurreretur. Jam verò quoad alias pœnas videtur dicendum, primò. Si ignoras invincibiliter, illâ Lege, quæ pœnam imponit, actum prohiberi, eſto ſcias aliâ Lege, v. g. naturali vel divinâ prohiberi, non incurris pœnam illius Legis, quia tunc in illam Legem non peccâſti: ergo non debes eſſe reus eiuſdem pœnæ, cuius alius eſſet 281
reus, qui ſciens in talem Legem peccaret, iſte enim graviùs peccaret: ergo & graviùs puniendus.

Dicendum ſecundò, ſi ſcias, v.g. Lege Eccleſiaſticâ vel civili actum prohiberi, neſcis autem invincibiliter pœnam illâ Lege latam, tunc loquendo de pœnis non medicinalibus diſtinguendum eſt inter pœnam proportionatam tali delicto ſecundùm ſuam naturam, 282
ſpectato, præſcindendo à circumſtantijs aggravantibus, ſeu exigentibus, ut in hâc republicâ graviùs & ſpecialiùs prohibeatur, quàm in ullâ aliâ, & inter pœnam extraordinariam, hoc eſt, quæ imponitur delicto, in quantum ob

prædi-

prædictas circumstantias in hâc Republicâ graviùs prohibendum est. In primo sensu nemo excusatur à pœnâ, etiamsi eam ignoret. Quia qui contra Legem scienter delinquit, tacitè consentit in omnem pœnam illi proportionatam, omne enim delictum scimus
283 mereri pœnam. In secundo verò sensu excusabitur à pœnâ, quia ille excessus pœnæ respondet delicto non quomodocunque sumpto, sed ut ex circumstantijs graviori, quod delinquens ponitur ignorâsse; & pœnæ illius exorbitantis finis est, magis absterrere à tali delicto, quem finem consequi non potest, quando ignoratur. Non esset autem necesse, scire,
284 explicitè qualitatem pœnæ exorbitantis, sed satis esset scire, delictum esse graviùs prohibitum ob circumstantias aggravantes. Inter huiusmodi pœnas extraordinarias numerant docti R.R. executionem ab ipso reo faciendam ante Judicis sententiam, item irritationem actûs merè pœnalem, hoc est, non fun-
285 datam in defectu solennitatis, sed in solâ voluntate superioris in pœnam delicti.

§. III. *De Legum Interpretatione.*

INterpretatio Legum ut legitimè fiat, eò semper collimare debet, ut mens Legislatoris deprehendatur vel ex ipsis verbis Legis, vel ex alijs circumstantijs: nam Intentio est ani-

ma

ma Legis,& eadem intentio potest verbis valde diversis & æquivocis significari, & econtra eadem verba possunt ab intentionibus valde diversis procedere; unde commune axioma est, verba menti, non mentem verbis aptari debere. Ad hoc traduntur hæ Regulæ.

Prima Regula. Proprietas verborum est maximè attendenda, hoc est, Mens & Intentio Legislatoris talis fuisse præsumenda est, qualem significant verba Legis accepta in significatione naturali, seu usuali, hoc est, in eo sensu, quo communiter usurpantur, nisi vel ex alijs circumstantijs alia mens clarè colligatur, vel ex tali interpretatione aliqua Legis iniquitas sequeretur, aut inutilis esset; tunc enim sensus verborum improprius admittendus esset. Quòd si lex favorabilis sit, tunc verba præter sensum proprium possunt etiam ad improprium extendi, si iste in jure sit usitatus: sic vocabulum *Mors, Filius*, non solùm de morte aut filio naturali, sed etiam de morte civili, scilicet Professione, exilio, & de filio adoptivo quandoque intelliguntur. Quænam autem Lex censenda sit favorabilis, quæ odiosa, tradit Sanchez *lib. 1. de Matrim. d. 1. n. 4.* & approbat Aug. Barbosa. *Axiom. Iuris verbo:* Odium. 286 287 288

Secunda. Legis initium diligenter inspiciendum est: nam ibi frequenter finis & ratio

Legis exprimitur. Unde si verba sunt ambigua, eorum significatio determinabitur ex ratione in Lege positâ.

Tertia. Lex nunquam censeri debet per aliam Legem abrogata, nisi posterior sit priori verè contraria, & non possint ullâ distinctione commodâ conciliari. nam correctio Legis est
289 vitanda. Unde, si Lex prior sit specialis pro certo casu, & posterior contraria generalis, non corrigit priorem, sed patitur illius casûs exceptionem; cùm generi per speciem possit derogari. Et hæc de interpretatione declaratoria.

Restat dicere de Interpretatione Extensivâ,
290 & Restrictivâ, seu Excusatoriâ.

Controvertitur ergo primò: an Lex quoad vinculum obligationis in conscientia vel ad pœnam, extendi debeat propter solam similitudinem sive paritatem, aut saltem propter identitatem rationis ad casum omissum, & nullo modo comprehensum sub significatio-
291 ne verborum Legis. Pro quo

Notandum primò, discrimen esse inter similitudinem, seu paritatem, & inter identitatem rationis. Similitudo seu paritas rationis dicitur esse, quando in alio casu non quidem eadem ratio, sed alia illi æquivalens, & in æstimatione morali æquè gravis militat, & movere posset Legislatorem, ad Legem de

altero

altero quoque casu statuendam. talis paritas esse videtur inter amicitiam,& gratitudinem. Identitas rationis est, quando in alio casu est eadem ratio, v.g. Amicitiæ.

Notandum secundò. Supponi ut certum à DD. Interpretationem purè Extensivam, per quam extendatur dispositio Legis ad casum in mente Legislatoris nullo modo comprehensum, non licere; quia formalis ratio constitutiva Legis est mens Legislatoris; ergo quod in mente eius non fuit, non comprehenditur Lege. Quæstio ergo præsens est de Interpretatione, quam vocant *Comprehensivam*, an nempe possit cogitari, quòd Legislator in ferendâ tali Lege voluerit etiam comprehendere alium casum ob paritatem vel identitatem rationis, esto verbis hanc mentem non declaraverit. 292 293

Notandum tertiò: non esse hîc sermonem de illo usu Legum, qui à Jureconsultis rectè adhibetur in ordine ad externa judicia, ferendámque sententiam. Nam ut habet Menoch *lib. 1. de Præsumpt. q. 5. n. 8.* cùm casus omnes Lege comprehendi non potuerint, procedendum est à similibus ad similia, hoc est, in casu non expresso ob similitudinem judicari posse ad normam expressi, quò facit etiam *Lex. 13. ff. de Legibus.* His positis 294

Ex mente Doctorum dicendum videtur

primò. Similitudo rationis non sufficit ad faciendam extensionem. Fundamentum est. Quia Ratio Legis non est Lex, sed tantummodo motivum ferendi Legem, & quidem est motivum liberum: ergo sicut stante illo motivo poterat Lex omnino non ferri, ita poterat ex illo motivo ferri pro uno casu, nolendo tamen per
295 eam obligare in alio casu, non obstante similitudine rationis: nam esto, sit similis ratio in utroque casu, potest tamen aliunde esse ratio non extendendi Legem ad utrumque casum, eò quòd sæpe non expediat Legum amplitudo, vel quia cum illâ similitudine est conjuncta disparitas, quam etsi alij non advertant,
296 fortè Legislator advertit, vel saltem suspicatus est: ergo à primo ad ultimum, si verba legis illum alium casum nullo modo significant, non habemus externum signum sufficienter indicativum mentis Legislatoris, quòd voluerit etiam illum alium casum comprehendere. Confirmatur ex eo, quòd omnes DD. supponant, similitudinem rationis non
297 sufficere, ut extendatur Lex quoad vim coactivam, seu quoad pœnæ constitutionem; ergo jam fatentur, paritatē rationis non esse sufficiens indicium mentis Legislatoris ad omnes illos casus extēsæ, in quibus est paritas rationis.

Dicendum videtur secundò. Propter Identitatem rationis tunc solùm licet extendere per

per interpretationem comprehensivam, quando alioquin ex Lege sequeretur aliqua iniquitas aut inconvenientia, hoc est, quando ratio Legis adæquata est adeò intrinseca & universalis ad alios casus non expressos, ut in illâ habeant connexionem necessariam in ordine ad justitiam & prudentiam Legis, ita ut futurum esset contra prudentiam, noluisse omnes casus in eâdem ratione connexos, & æqualiter participantes comprehendere. Nam quando est talis connexio, tunc ne Legislator arguatur iniquitatis aut imprudentiæ, potiùs Lex est extendenda, & præsumendum, quòd saltem virtualiter & indirectè alterum etiam casum comprehendere voluerit, tunc enim defectus verborum quoad claritatem est supplendus, *arg. leg. cùm mulier. ff. soluto matrimoniô.* 298 299

Illustratur assertio applicando ad certas materias, & primò in correlativis: sic dicitur: *dispositum in uno correlativo censetur etiam dispositum in alio*; v.g. exemptio mariti à reddendo debito ob adulterium uxoris extenditur ad uxorem: facultas concessa sponsæ ad resiliendum ob absentiam sponsi extenditur ad sponsum: successio data marito in bonis uxoris extenditur ad uxorem: nisi enim hæ extensiones fierent, Lex esset iniqua. 300

Illustratur secundò in ijs, quæ in Jure sunt

æquiparata, ut Legatum, Fideicommissum, quoad vim & effectum sive usum, quatenus à testatore facta extra jus, consistunt, ut explicat Julius Pacius *Instit. de legatis* §. *sed non usque.* item in Jure æquiparantur Falcidia & Trebellianica portio, item Electio, Postulatio,
301 Provisio, Præsentatio, & in his dispositum in uno censetur dispositum in alio, nisi aliud obstet.

Illustratur tertiò in ijs, quæ sive de jure, sive de consuetudine sunt connexa, ut si conceditur domino audire sacrum tempore Interdicti, etiam famulis conceditur.

Illustratur quartò in Continente & Con-
302 tento. ut, quod statuitur de Vicario Episcopi, statutum censetur de Vicario Capituli sede vacante. & quod de gradibus Consanguinitatis, etiam de publicâ Honestate, & Affinitate; & quod de Diaconatu, etiam de Subdiaconatu, &c. semper subintelligendo, *si sit eadem ratio, & nisi Lex extenderetur, iniquitas, vel*
303 *imprudentia foret*, ut dictum est.

Illustratur quintò in ijs, quæ se habent, ut Mensura & Mensuratum. v.g. Tutela legitima, & successio ab intestato. unde cui successio præ alijs conceditur, etiam tutela convenire censebitur, alioquin Lex iniqua foret. Et hæc de Legis Interpretatione Extensivâ.

Interpretatio Restrictiva est, quâ mentem Legisla-

Legislatoris ad pauciores casus interpretamur se extendisse, quàm verba vel ratio Legis præseferre videantur. De hâc Interpretatione

Dicendum primò. Dispositio Legis indistinctè loquentis ita est restringenda, ut non cadat in præjudicium innocentis, alioquin Lex injustitiam involueret, nisi nocumentum 304
esset necessarium ad publicum bonum. Colligitur ex *l. 2. C. de Noval. & ex cap. super eo. de off. deleg.* ubi dicitur: *Non est tamen nostræ intentionis, diœcesano præjudicium generare.*

Dicendum secundò. Quando ratio Legis non est adæquata verbis Legis, restringenda est Lex ad terminos suæ rationis proximæ, & quasi constitutivæ objecti Legis. Casus habe- 305
tur in Lege prohibente Matrimonium Clandestinum. Docent enim Theologi, quòd illâ Lege non comprehendanturMatrimonia illa, quæ contrahuntur clam ab ijs, qui bonâ fide coram facie Ecclesiæ contraxerant priùs invalidè cum impedimento dirimente occulto: nam in istis planè cessat ratio Legis; nempe quòd Matrimonia clandestina non possint 306
probari: revera enim probari possunt, utpote in facie Ecclesiæ saltem apparenter & bonâ fide priùs contracta.

Alius casus est in *l. adigere. ff. de Iure patronatûs.* ubi prohibetur patronus exigere juramentum à liberto non ducendi uxorem,

quæ Lex non extenditur ad libertos Eunuchos, qui liberos procreare non possunt, nam favore liberorum illa Lex lata est.

Hîc tamen magnopere cavenda est errandi occasio. Sæpe enim videtur ratio Legis in aliquo casu cessare, ubi revera non cessat; quia sæpe videtur ratio Legis esse præcisè evi-
307 tatio alicuius incommodi ex actu prohibito immediatè secuturi, neque tamen est illa ratio adæquata, sed longè alia extendens se etiam ad illum actum, ex quo licet secundùm se spectato non sequeretur incommodum quod Lex cavere nititur, sequeretur tamen periculum illius incommodi, si talis actus licitus esset, ob
308 quod periculum omnis huiusmodi actus prohibendus erat. Id, quod optimè declaratur in Matrimonij clandestini prohibitione. Ratio enim huius Legis erat, ut caverentur fraudes plurimorum, qui primis uxoribus clàm ductis, & ex odio repudiatis alias ducerent, eò quòd non posset primum matrimonium legitimè probari. Hâc occasione posset quis graviter
309 errare, judicando, respectu sui suæque sponsæ Legis rationem cessare, eò quòd ipse nunquam cogitet suâ sponsam deserere, adeóq; se clàm validè contrahere posse. Erraret iste, non advertens, quòd Legis ratio etiam ipsius matrimonium comprehendat. Ratio enim Legis est, ut caveantur huiusmodi fraudes, quæ eventuræ

turæ essent etiam tunc, si liceret Matrimonium clandestinum illis, qui certò sibi persuaderent, & firmissimè proponerent, se suas conjuges non deserturos: nam si his liceret clàm contrahere, plurimi tempore contractûs essent bonæ voluntatis, postea ex odio inopinato mutarent propositum. Simile exemplum habetur in Lege *prospexit 12. ff Qui & à quib. manumissi lib. non fiant.* ubi mulier de adulterio accusata prohibetur vēdere servos etiam in agro & extra domum existentes, *ne quæstioni ullus servus subducatur*: quæ ratio non videtur extendi ad servos extra domum, & tamen hi prohibentur vendi, nempe quia si liceret hos vendere, facilè caperetur occasio servos criminis conscios quæstioni subducendi, extra domum mittendo. Plurima similia exempla afferri possent in Lege naturali, ut observat *Suarez. lib. 6. c. 7. n. 5. Lugo de Fide disp. 21. s. 2. à n. 64.* v. g. in prohibitione fornicationis, pollutionis, mendacij. 310 311

Restrictio Legis etiam locum habet, quando in aliquâ particulari materiâ aut personâ sunt speciales circumstantiæ, aut prærogativæ, ob quas censentur Lege generaliter loquente non comprehendi, juxta reg. Juris: *In generali concessione* (vel constitutione) *non veniunt ea, quæ quis in specie non fuisset verisimiliter concessurus, vel constituturus.* Porrò hæc Restrictio, 312

seu Excusatio potiùs vel Emendatio Legis dicitur fieri per Epiikiam, cuius usurpandæ triplex est fundamentum. Primum, si in tali casu observatio Legis esset mala & peccaminosa, v. g. si Lex jubens reddere depositum observaretur cum gravi detrimento innocentis. Se-
313 cundum. Si iniquum esset Legem cum tantâ difficultate & acerbitate obligare, sine Legis non exigente tantum rigorem; v. g. præceptum confessionis integræ quandoque non obligat, quando non potest servari sine jacturâ famæ apud alios incurrendâ, &c. Tertium. Quando eqquidem potuisset Legislator obligare cum tantâ difficultate, sed tamen ex con-
314 suetâ benignitate & modo in ferendis Legibus colligitur, non fuisse mentem ipsius in omni illo rigore obligare.

h. IV. *De Legis cessatione & abrogatione totali.*

315 CEssante fine Legis adæquatè, cessat ipsa Legis obligatio. Ratio est, quia respectu finis redditur inutilis: ergo sicut absente tali fine ferri non poterat, ita nec potest continuari. quodsi ad alium finem utilis est, non tamen ex illius intentione est lata, requiretur nova Legislatoris intentio & promulgatio.

Abrogatio Legis est Legis omnimoda & constans ablatio quoad certam materiam.

L. abro-

L. abrogatur. ff. de verb. signif. fieríque potest tripliciter. Primò statuendo Legem contrariam. Secundò ferendo Legem prohibentem actus prioris Legis. Tertiò præcisè tollendo obligationem prioris Legis.

Ut autem posterior Lex priorem abrogare censeatur, necesse est, salvâ proprietate ver- 316
borum non posse cum illâ conciliari, & abrogationem prioris Legis fieri posse sine peccato: secus enim potiùs præsumeretur Legislator immemor prioris Legis, quàm velle peccare. Quòdsi prior Lex fuit specialis, posterior verò generalis, nō abrogabitur illa prior, sed posterior potiùs censebitur per priorem limitata: quia generi per speciem derogatur: 317
& generalis Lex intelligenda erit cum exceptione latâ: sicque non erit priori contraria. Inferior non potest abrogare Legem superioris, nisi expressam acceperit potestatem, & hoc saltem de Legibus Ecclesiasticis statutum est *c. quòd super his de Majoratu & Obed.* quidquid de Civilibus aliqui negent. 318

Leges Civiles bonis moribus adversantes, vel quarum materia ad ordinem spiritualem evecta est, abrogare potest, atque defacto sæpius abrogavit Summus Pontifex, v.g. irritando matrimonium infra quartum gradum consanguinitatis, corrigendo Leges pœnientes secundas nuptias, damnando Leges prohibentes

tes dari alimenta filijs ex damnato coitu natis, negando præscriptionem cum malâ fide, &c. nempe quia ad Pontificem spectat de ijs disponere, quæ saluti suarum ovium possent præjudicium afferre.

§. V. *De Legis dispensatione.*

319 DIspensatio definiri solet Relaxatio Juris communis cum causæ cognitione facta ab eo, qui potestatem habet relaxandi. Breviùs & meliùs: *Exemptio alicuius à Lege.* Differt ex genere suo à *Privilegio*, quia dispensatio semper est ad actum contra jus, & vulnerat jus, non item semper Privilegium: dispensatio
320 etiam sæpe est pro unico actu, non ita Privilegiũ. Quânam ratione DEVS aliquo modo in lege naturali, & Summus Pontifex quoad vota & juramenta possit dispensare, jam superiùs insinuatum est.

In Legibus humanis à Superiore latis non potest inferior dispensare nisi in casibus saltem
321 tacitè concessis. Ratio est, quia de conceptu Inferioris est, non posse impedire vim potestatis Superioris. Unde potestas dispensandi non est ex illis, quæ conveniunt hoc ipso, quòd non prohibeantur, sed ex illis, quæ, nisi concedantur, prohibita censentur. *c. dilectus de tempor. Ordin.* Tunc autem censetur tacitè concedi potestas dispensandi, quando, si non conce-

deretur,

deretur, ſuave Eccleſiæ regimen evaderet, durum & moleſtum, ut, ſi cauſſæ diſpenſandi ſunt admodum frequentes. Nullâ ſubſiſtente cauſsâ non ſolùm illicitè, ſed nec validè diſpenſat inferior: cùm in hunc caſum ſuperior non conſentiat.

322

Caput IV.

DE CONSVETVDINE.

Consvetvdo definitur *Ius moribus receptũ, quod pro Lege ſuſcipitur, cùm deficit Lex.* Quare conſuetudo, quæ vim Legis non obtinet, Conſuetudo facti, non juris eſt. Quodſi Lex ſcripta per contrariam conſuetudinem legitimè præſcriptam abrogatur, non tam *Conſuetudo*, quàm *Deſuetudo* vel *Conſuetudo contra Legem* vocanda eſt, cùm obligationem tollat, nullam inducat. 323

Ut Conſuetudo vim Legis obtineat, requiritur imprimis Intentio obligationis inducendæ, abſque hâc enim, obligatio non inducitur, multa enim in conſuetudine ſunt, quæ tamen obligationem non habent. Requiritur inſuper ea actuum frequentia, quæ huiuſmodi intentionem ſufficienter manifeſtet. Denique requiritur longum tempus, hoc eſt, decem anni. *L. 1. & ult. C. quæ ſit longa conſuetudo. L. de quibus. L. ſed ea quæ. ff. de Leg.* 324

Conſue-

Consuetudo universalis abrogari potest Lege contrariâ universali, etiam nullâ factâ consuetudinis mentione. Ratio est, quia consuetudinem universalem præsumitur Legislator non ignorare. Consuetudini tamen particulari alicuius loci non derogat Lex universalis, nisi clausula derogatoria saltem in genere apponatur: *non obstante consuetudine contrariâ quacunque.* c. 1. *de Consuetudin. in 6.* ubi ratio redditur, quia cùm eiusmodi consuetudines in facto consistant, possunt à Legislatore probabiliter ignorari: & juris correctio est vitanda. *L. præcipimus. C. de appell.* & Legislator in statuendâ Lege censetur moribus subditorum non velle resistere, nisi exprimat. Clausula tamen derogatoria consuetudinis particularis non se extendit ad Consuetudinem immemorialem (nisi exprimatur) hæc enim habet vim privilegij à Principe concessi, quod non abrogatur clausulâ generali.

325

326

327

CAPVT V.

DE PRIVILEGIIS.

PRIVILEGIVM definitur: *Lex privata aliquid speciale concedens.* Dicitur Lex, non respectu privilegiati, nemo enim tenetur uti privilegio suo, nec privilegium datur invito, sed respectu aliorum, qui obligan-

obligantur privilegiatum ab usu privilegij non impedire.

Dividitur primò in Reale, & Personale. Reale est, quod Rei, ut fundo, conceditur, quo etiam revocantur privilegia concessa Personę fictæ, & perpetuabili, ut est Universitas, Religio, *L. forma. §. quanquam. ff. de Censib.* item 328
privilegia certo hominum generi concessa, ut Senatus Consultum Macedonianum, filijsfam: Velleianum, fœminis, privilegium restitutionis in integrum minorennibus, &c. Personale est, quod immediatè inhæret personæ individuæ determinatæ, cum quâ extinguitur.

Dividitur secundò in Perpetuum & Temporale. Perpetuum est, quod vi concessionis 329
& rei, cui conceditur, durare perpetuò potest. Temporale, quod moraliter & naturaliter loquendo intra certum tempus extingui debet.

Dividitur tertiò in Commune, & Singulare. Commune est, quod immediatè bonum communitatis, cui conceditur, respicit, & tantùm per redundantiam respicit bonum singu- 330
lorum. Singulare est, quod immediatè singulorum utilitatem respicit: & ideo potest quilibet huiusmodi privilegio renuntiare, nisi etiam alterius interfit, aut nisi tale sit, quod etiam invito conceditur.

Dividitur quartò in privilegium concessum

ad

ad instantiam partis, & concessum motu proprio, hoc est, non præcisè ex motivo petitionis præcedentis. Differunt primò, quòd concessum motu proprio procedat ex plenâ liberalitate, & ideo ampliandum, quantum verborum proprietas patitur. Secundò, quòd tollat, vel potiùs caveat vitium subreptionis, in
331 quantum ex taciturnitate veracitatis provenire potest.

Privilegiatus privilegio speciali, v.g. non solvendi decimas, uti potest suo privilegio contra alium habentem privilegium generale, v.g. exigendi decimas ab omnibus existentibus in tali districtu. Generi enim per speciem derogatur, ut habet Regula 34. de
332 Reg. Jur. nisi privilegium generale haberet clausulam derogatoriam privilegij specialis. Quodsi utrumque privilegium sit æqualiter generale, vel æqualiter speciale, & opponantur, prævalet illud, quod est antiquius, vel à superiore concessum: & hoc sensu intelligendum est, *privilegiatum non gaudere privilegio*
333 *contra pariter privilegiatum*, id est, contra fortiùs privilegiatum.

Privilegium, quod nec est contra jus commune, nec cedit in præjudicium tertij quoad jus illi jam quæsitum, est ampliffimè explicandum, quantum verborum proprietas patitur, continet enim merum favorem. *L. beneficium. ff. de*

ff. de constit. 'princip. L. hoc modo. ff. de condit. & demonstr. & ex reg. Iuris: Odia restringi, favores convenit ampliari, quæ omnia approbantur jure Pontificio *c. olim de verbor signif:* Idem dicendum de privilegijs in favorem causſæ piæ, Religionis, & militum concessis contra jus commune: cuius ratio est, quia favor his personis concessus allicit plures ad huiusmodi arduas functiones, & sic compensatur læsio juris communis. Idem de privilegio Corpori Juris inserto, vel his æquiparato dicendum: sic enim non est amplius contra jus commune, sed pars illius. 334

Non licet unquam privilegium extendere ad casus aut personas nec formaliter, nec æquivalenter expressas, quantacunque sit paritas rationis. Si enim hoc liceret, nihil esset firmum, sed summus abusus privilegiorum, plurimis suâ persuasione eandem dignitatem prætendentibus. Deinde sicut qui primus privilegium accepit, prius quàm acciperet dignus fuit, nec tamen privilegium habuit, ita de cæteris, ad quos se Privilegiantis intentio non extendit, dicendum est, accedit, quòd possit esse ratio concedendi uni, non item omnibus æquè dignis, quia non expedit pluribus concedi: ergo sola par dignitas non est sufficiens. 335 336

CAPVT VI.

DE CENSVRIS ECCLESIASTICIS.

TAMETSI Censurarum tractatio ad Canonistas in rigore spectet, earum tamen specificas differentias Theo-
337 logum ignorare non decet, quas proinde breviter exhibere nihil erit à scopo nostro alienum.

§. I. *De Censuris in genere.*

CEnsura Ecclesiastica est Pœna medicinalis baptizato ob crimen inflicta, bo-
338 nique spiritualis usu directè ac principaliter privans. quibus verbis, quâ ratione differat ab Irregularitate, Depositione, Degradatione (quæ ex fine suo non sunt medicinales) item à Cessatione à divinis (quæ non nisi indirectè privat bono spirituali) constabit ex dicendis.

Prima divisio est in Censuras à Jure, hoc
339 est, Statuto vel Lege, & ab homine, hoc est, per hominis sententiam latas. Priores sunt ex se perpetuæ, feruntúrque pro delictis futuris, posteriores extinguuntur cum potestate ferentis, & feruntur etiam pro delictis præteritis.

Secunda divisio est in Censuram latæ & ferendæ sententiæ. Prior est, quæ ita fertur, ut commisso delicto ipso facto & jure sine alio

Judicis

Judicis officio incurratur. Posterior est, quam Lex ipsa non fert, sed præcipit vel minatur, ferendam à Judice.

Existere in Ecclesiâ potestatem ferendi Censuras, est de Fide, sumitúrque ex verbis Christi Matth. 16. & 18. & ex factis Apostolorum. 1. ad Cor. 5. & alibi, ostenditque perpetua Ecclesiæ praxis. Ratio est, quia ad rectam gubernationem opus est posse subditos privare bonis communibus ob eorum delicta; bona autem, quibus privant Censuræ, non sunt simpliciter necessaria ad salutem. 340

Ignorantia Censuræ latæ non supina aut affectata excusat à Censurâ incurrenda: purgat enim contumaciam, argumento capituli *ut animarum. 2. de Constit. in 6.* ubi ratio assignatur, ut periculum animarum evitetur. 341

Ad Censuram tollendam necessaria est Absolutio: pertinet enim ad Petri potestatem non minùs quàm ligatio. unde non cessat satisfactione positâ aut emendatione, nisi sub hâc conditione, & quasi in diem lata esset: *c. cùm desideres: de sent. c. quâ fronte de appell: c. ex litteris. de Constit.* 342

Modus absolvendi aliquando est *ad cautelam*, aliquando *ad reincidentiam*. Ad cautelam est, quando quis absolvitur à Censurâ dubiâ, ad majorem animi tranquillitatem. Absolutio ad reincidentiam fit, quando quis absolvitur

verè à Censurâ, sed hâc Lege, ut si opus injunctum non præstiterit, reincidat in eandem Censuram. *c: quod de his de sent. excomm. & c: eos qui. eod. in 6.*

Quando quis solùm pro foro conscientiæ absolvitur, tunc nisi Judex eam absolutionem admittat, debet se reus exteriùs gerere, acsi nō
343 esset absolutus: secus, poterit à Judice tanquam Censuræ transgressor puniri. Quodsi publicè constet, eum pro foro conscientiæ esse absolutum, potest etiam publicè se gerere, ut absolutum, salvo tamen jure cognoscendi de delicto in foro externo, & pro illo pœnam imponendi.

344 Forma absolvendi à Censurâ nulla certa est præscripta, sicut in Sacramentis. Præscribitur tamen in Pontificali Romano, pro absolutione in foro externo hic ritus. Super nudatos humeros (si fœmina non sit) leviter cędi debet virgâ, fune aut flagello, dum recitatur Psalmus *Miserere*, aut alius Pœnitentialis, deinde adjunctis alijs precibus profertur hæc
345 forma. *Authoritate quâ fungor, Absolvo te à vinculo excommunicationis, v.g. quòd incurristi ob hanc vel illam causſam, restituo te Sacramentis Ecclesiæ, & communioni Fidelium, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen.*

Censuram non reservatam relaxare & absolvere potest quivis habens jurisdictionem in foro

foro externo in Censuratum. Quin imò & Parochus, & quivis Sacerdos potens absolvere à mortalibus, potest etiam absolvere ab huiusmodi Censuris non solùm in foro interno, sed etiam pro foro externo, positis ex parte rei conditionibus requisitis. nam licet hoc illi non competat ratione officij Pastoralis, & Jurisdictionis Sacramentalis præcisè, competit tamen ex Juris dispositione *c. nuper de sent. excommunic.* Pro articulo mortis concedit Tridentinum Concil. sess. 14. c. 7. facultatem absolvendi ab omnibus Censuris, sive à jure, sive ab homine latis, præstito priùs juramento, si æger potest, quod quamprimùm poterit, se præsentabit ei, à quo de jure absolvendus erat. 346 347

§. II. *De Excommunicatione.*

TRes Censurarum species sunt: Excommunicatio, Suspensio, & Interdictum. De singularum differentijs breviter.

Excommunicatio est Censura separans à communione Fidelium quoad illa bona spiritualia, quæ dispositioni Pontificis & Ecclesiæ subduntur, cuiusmodi sunt, participatio activa & passiva Sacramentorum, Orationes, quæ nomine Ecclesiæ fiunt (nam privato & proprio nomine licet pro Excommunicatis orare) convictus externus, usus Jurisdictionis, &c. 348

& quidem his bonis privat in quantum Fideles in illis communicant, ſub quâ formalitate non privant Suſpenſio & Interdictum. Et quia hæc pœna eſt omnium grāviſſima, ideo Trid. Concil. ſeſſ. 25. c. 3. monet, ne hâc Cenſurâ Eccleſiaſtici Judices utantur, niſi quando jam
349 nullum aliud ſupereſt remedium: & ob eandem rationem nunquam fertur in communitatem, ut talis eſt, ne contingat innocentem aliquem ligari. *c. Romana de ſent. excommunic. in 6.*

Duplex eſt Excommunicatio, Major, quæ privat omni communione, quâ privare ſolet
350 & poteſt Eccleſia: Alia minor, quæ privat ſolâ receptione Sacramentorum: quando verò abſolutè profertur, ſignificat Excommunicationem majorem. *c. penult. de ſent. excomm.*

Olim omnes omnino excōmunicati erant vitandi, hodie Concilium Conſtantienſe obſervatur, ſtatuens ne quis impoſterum in perceptione vel adminiſtratione Sacramētorum, aut in divinis officijs, aut etiam extra ea te-
351 neatur cenſuratos vitare, niſi Cenſura ſit nominatim contra eos à Judice publicata, vel denuntiata, exceptis Clericorum percuſſoribus ita notorijs, ut factum nullâ tergiverſatione poſſit celari, quorum Excommunicatio habetur in can. ſi quis ſuadente. 17. q. 4. & vocatur antonomaſticè *Excommunicatio Canonis*,

monis, quia nulla alia reſervata habetur in Decreto Gratiani. Itaque ſoli publicè denuntiati, & notorij percuſſores ſunt vitandi, & non tolerati.

Ab hâc vitandi obligatione excuſat imprimis Lex Matrimonij ad petendum reddendúmque debitum, ad convictum, gubernationem domûs, colloquia, aliáque domeſtica obſequia: & univerſim excuſantur, qui priùs ſingulari obſequio tenebantur familiariter adhærere: *c. inter alia de ſent. excom. c. ſi verè 34. eod.* exceptâ tamen adminiſtratione & receptione Sacramentorum. Excuſat etiam neceſſitas gravis, & utilitas ſpiritualis. 352

Excommunicationis minoris (quæ hodie non incurritur, niſi ob communicationem cum Excommunicato) effectus directus eſt privare ſuſceptione Sacramentorum. *c. fin. de Cleric. excommun. miniſt.* 353

§. III. *De Suſpenſione.*

SVſpenſio eſt Cenſura, quâ Miniſter Eccleſiæ formaliter impeditur, ne functiones Eccleſiaſticas exerceat, aliáque poteſtate utatur. Suſpenſio totalis involuit Suſpenſionem ab Officio & Beneficio, etiam à fructuum perceptione: ex probabili tamen ſententiâ ſuſpenſus habet vocem in Capitulo ad eligendum; 354

gendum: cùm non sit actus Ordinis, nec Jurisdictionis Ecclesiasticæ, utpote etiam fœminis competens. Violans Suspensionem ab Officio Ordinis sacri per actum proprium talis Ordinis incurrit irregularitatem. *c. 1. de sent. & re jud. in 6. c: Medicinalis de sent. excommun. in 6.*

355 Ad Suspensionem reducitur ob similitudinem (quamvis non sit Censura) Degradatio, quæ si sit tantùm verbalis, *Depositio* vocatur, si Realis *Degradatio.*

Depositio est pœna Ecclesiastica, quâ Clericus in perpetuum privatur omni Officio & Beneficio Clericali, retento solo privilegio Canonis & Fori.

356 Degradatio realis est, quâ Clericus primò verbaliter degradatus, certâ Solennitate spoliatur omnibus vestibus ac signis Clericalibus, omnique privilegio Clericali. *c. 2. de pœnis in 6.*

§. IV. *De Interdicto.*

357 INterdictum est Censura, quâ prohibentur divina Officia, Sacramentorum administratio (quibusdam exceptis) & Ecclesiastica sepultura. Aliud est locale, aliud personale, aliud mixtum. Locale est, quod immediatè & directè locum afficit, indirectè verò personas, ne videlicet in illo loco divina accipiant,

cipiant. Personale est, quod directè personas afficit, adeò ut nullibi possint divina accipere, Mixtum est ex utroque compositum.

Subdividitur utrumque in Generale, & Speciale. Generale Personale est, quo Communitas aliqua interdicitur, & tunc tam nocentes, quàm innocentes interdicti sunt, cum 358
hoc tamen discrimine, quòd nocentes etiam desinentes esse membrum illius communitatis maneant interdicti: hi enim etiam in locali interdicto specialiter interdicuntur. Personale speciale est, quod afficit personas determinatas particulares, saltem confuso nomine.

Locale generale est, quo interdicitur locus à communitate prout tali occupatus, ut 359
Regnum, Provincia, Civitas, Parochia. Vnde facilè intelligitur, quid sit locale speciale.

Tempore Interdicti potest administrari Baptismus, item Confirmatio & Pœnitentia, & morituris Evchariſtia. In festivitatibus Natalis Domini, Paschæ. Pentecostes, Assum- 360
ptionis B. V. M. ac Corporis Christi per totam Octavam conceditur omnibus non specialiter Interdictis, sacra Communio sub Missæ Sacrificio, arg. *cap. Alma Mater. de sent. excomm. in 6.* ubi etiam conceditur, ut omnes Clerici non interdicti, tempore interdicti localis generalis possint quotidie

in Eccleſijs & Monaſterijs celebrare Miſſas, & alia divina Officia, ſed januis clauſis ſine pulſu, voce ſubmiſsâ, & excommunicatis ac interdictis excluſis. In loco ſpecialiter interdicto ſemel in hebdomade celebrari poteſt ad renovandam Evchariſtiam pro infirmis. *c: permittimus. de ſent. excomm.*

361

Pœnæ violantium interdictum ſunt variæ pro varietate circumſtantiarum & perſonarum, aliquando irregularitas, aliquando excommunicatio, quę videri poſſunt apud AA.

362

Interdicto annectitur Ceſſatio à divinis; ob ſimilitudinem. Eſt Prohibitio celebrandi divina in aliquo loco, & aliqua Sacramenta adminiſtrandi: nunquam afficit immediatè perſonas, ſed locum. Sanis, in loco illo, cui ceſſatio indicta eſt, Sacramentum Pœnitentiæ non adminiſtratur. *c. non eſt vobis. de Sponſal.*

363

Cenſuris ſolet annecti Tractatio de Irregularitate, quæ tamen magis ad Sacramentum Ordinis pertinet, cuius eſt impedimentum.

TITVLVS IV.

DE GRATIA.

POST Tractatum de Legibus, quę sunt principia directiva nostrorum actuum, agitur de Gratiâ, quæ est principium vel adjuvans, vel dignificans actus nostros. 364

CAPVT I.

DE GRATIA ACTUALI.

§. I. *Definitio Gratiæ, & diversi status humanæ Naturæ.*

GRATIA propriè sumpta est Beneficium indebitum ex mero benevolentiæ affectu profectum. Quo sensu dixit Apostolus ad Rom. 2. *Si autem Gratia, jam non ex operibus.* unde consequens est, augmentum sanctitatis, quod per merita consequimur, non habere formaliter rationem gratiæ actualis, sed tantùm in radice. 365

Strictiùs sumitur Gratia à Theologis pro Dono non merè naturali, & vi creationis debito, sed aliquo modo supernaturali (saltem quoad modum) ad finem supernaturalem conducente. Imò strictissimè sumitur pro dono intrinseco, & transeunte, sicut transit opûs bonum, & occasio bene operandi; 366

di; atque in hoc sensu communiter usurpatum est vocabulum Gratiæ à Patribus & Concilijs contra Pelagium, aliósq; pro Gratiæ necessitate decertantibus.

Huiusmodi Gratiam defacto hominibus dari de Fide est contra Pelagianos. Ephes. 2. *Gratiâ estis salvati per Fidem, & hoc non ex*
367 *vobis, DEI enim donum est.* Rom. 5. *Gratia autem in multis delictis in justificationem.* 2. Petri. 1. *Per quem maxima & pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ.*

Vt autem cognosci possit, quid in quovis naturæ statu rationem Gratiæ habeat, consi-
368 derant Theologi potissimùm quatuor status; nempe. 1. Statum naturæ puræ (quem defacto nunquam habuit homo, sed habuisset, si non fuisset elevatus ad finem supernaturalem.) 2. Statum Naturæ integræ sic dictum, propter subjectionem appetitûs rationi & huius Deo, quam superaddit statui puræ naturæ, & denominat Naturam integram, non quòd
369 connaturaliter debeatur, sed quia naturam reddit expeditam ad integram observantiam totius Legis naturalis; hunc statum habuit Adam ante lapsum, qui tamen status, ut monet S. Thomas, considerari debet seclusâ & præcisâ Gratiâ sanctificante, & de hoc statu diximus aliquid suprà agentes de peccato

Origi-

Originali. 3. Statum Naturæ lapsæ per peccatum personale vel originale quod includit unà-cum cæteris malis inde consequentibus, & suprà enarratis. 4. Statum Naturæ reparatæ per Christum, qui simpliciter vocatur status Gratiæ, & quidquid in eo positivè juvat ad consequendam vitam æternam, vocatur Gratia per Christum. 270

Controversia est, an, & quid minùs habeat modo quoad vires naturales status Naturæ lapsæ in ordine ad servandam totam legem, quàm habuisset status Naturæ Puræ, hoc est, non elevatæ ad beatitudinem supernaturalem, expertem tamen peccati. Hunc autem statum fuisse in aliquo sensu possibilem definitum est à Pio V. & Gregorio XIII. contra Michaëlem Baium, Doctorem Lovanienſem, quidquid sit, an fuerit impossibilis in alio sensu, quem disputant Moderni quidam, nempe supponentes, omne illud esse impossibile simpliciter, cuius oppositum est moraliter necessarium: statum autem elevationis volunt esse moraliter necessarium, eo modo, quo aliqui volunt, Incarnationem fuisse DEO moraliter necessariam. 271 372

§. II. *Divisiones Gratiæ faciliores.*

DIviditur primò in Gratiam Naturalem & Supernaturalem. An ipsa Creatio possit

possit dici Gratia naturalis est quæstio de nomine, ab aliquibus ita vocatur, ab aliis negatur, quia non supponit naturam existentem. Theologi de facto solam Gratiam supernaturalem communiter vocant Gratiam propter modum loquendi Scripturæ: ad Rom. 3. *Omnes peccaverunt & egent gloriâ* 373 (id est, gratiâ) *DEI.* Subdividitur autem Gratia supernaturalis in supernaturalem quoad substantiam, & supernaturalem quoad modum; quam divisionem communiter sic explicant, quòd supernaturalis quoad substantiam sit, quæ nunquam viribus naturæ potest existere; supernaturalis verò quoad 374 modum sit, quæ solùm in talibus circumstantijs non potest viribus naturæ existere.

Dividitur secundò in Gratiam Habitualem (de quâ infrà, est enim qualitas permanens) & actualem seu transeuntem, cuiusmodi sunt illuminationes, inspirationes.

Dividitur tertiò in Gratiam creatam & increatam, quæ est dilectio, & voluntas Dei conferendi aliquod bonum; & etiam Verbum respectu Humanitatis, & Spiritûs sancti 375 donati aliquo inferiore modo hominibus.

Dividitur quartò in Gratiam ordinatam ad sanctificationem accipientis, & in Gratiam ordinatam primariò ad utilitatem aliorum, quæ specialiter vocatur *Gratia gratis data:*

data: ut sunt donum Prophetiæ, virtus miraculorum, donum Sanitatis, linguarum, interpretationis, &c. 2. ad Cor. 12. ubi novem enumerantur.

Dividitur quintò in Internam, & Externam, qualis est gratuita protectio.

Dividitur 6. in Excitantem & Adjuvantem. Prior significat præcipuè quosdam motus intellectûs & voluntatis, quibus DEVS impellit nos ad bene operandum: Posterior continet, quidquid DEVS dat conducens in actu secundo ad bene operandum: quare excitans gratia non differt ab adjuvante, nisi per respectum extrinsecum, nam si sequatur operatio, fit adjuvans: non tamen econtra omnis gratia adjuvans est, vel potuit esse excitans, nam habitus adjuvant, non excitant, &c. 376 377

Dividitur septimò in Gratiam operantem, & cooperantem, item in Prævenientem & Comitantem, quę divisiones coincidunt cum priore, & ab illâ solis vocibus differunt; nisi quòd nomine Gratiæ Prævenientis non solùm veniant illustrationes & inspirationes indeliberatæ, sed etiam primus actus meritorius, ut quidam Moderni volunt: alij tamen hunc actum *Gratiam subsequentem* vocant. 378

§. III.

§. III. *Gratiæ Sufficientis & Efficacis differentia.*

CEleberrima divisio est in Gratiam Sufficientem & Efficacem. Gratia sufficiens non accipitur hîc prout est genus conveniens etiam ipsi gratiæ efficaci, nempe pro Gratiâ,
379 cum quâ quis potest bene operari, præscindendo, quid futurum sit, sed accipitur pro gratiâ, cum quâ quidem quis posset operari, sed defacto non operabitur; ex quo constat Gratiam efficacem esse, cum qua ipsa cooperatio connectitur infallibiliter, & de quâ dixit Christus, quòd nemo venit ad ipsum, nisi
380 Pater traxerit illum.

Colligitur hæc divisio ex sacra Scriptura, & quidem Gratia sufficiens ex Isa. c. 5. *Quid est, quod debui ultra facere vineæ meæ & non feci!* Jerem. 7. *Locutus sum ad vos, &c. & non audijstis, & vocavi vos & non respondistis.* Gratia efficax verò Ezech. 36. *Spiritum meum*
381 *ponam in medio vestri, & faciam, ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea custodiatis & operemini.* Ioann: 6. *Omnis, qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me.* Rom. 8. *Quos prædestinavit, hos & vocavit, &c.* Gratiam sufficientem negavit Pelagius, asserens naturam ipsam sibi sufficere: negavit eandem Calvinus dum negavit libertatem, unde conse-

quens

quens erat, solam gratiam efficacem esse gratiam.

Circa gratiam efficacem tria docent Catholici, ex quibus nascitur magna controversia. Primò docent, nunquam contingere, quòd homo bene operetur sine auxilio efficaci, quia per hoc DEVS non solùm dat posse, sed etiam ipsum operari; unde S. August. lib. de Prædest. Sanctor. c. 8. ait. *Hæc gratia à nullo duro corde respuitur.* Docent secundò, auxilium efficax esse speciale donum DEI, procedens ex eius misericordiâ. *DEVS enim, cuius vult, miseretur, & quem vult, indurat,* ad Rom. 9. *& non est volentis, neque currentis, sed miserentis DEI.* Docent tertiò. Cum efficaciâ gratiæ consistere libertatem; & hoc jam alibi probavimus, estque de Fide certum ac definitum in Concil. Trident. Huius autem veritatis defensio difficilis & controversa est: Si enim gratia efficax prævenit nostram voluntatem, & simul habet infallibilem connexionem cum cooperatione nostrâ: ergo sequi videtur, impossibile esse conjungi cum tali gratiâ dissensum: ergo cum omnibus in actu primo requisitis non stat indifferentia ad utrumque; ergo nec libertas. 382 383 384

Controversia itaque est, in quonam realiter & physicè consistat Efficacia Gratiæ, ut non præjudicet libertati.

CAPVT II.

DE NECESSITATE GRATIÆ.

§. I. *Error Pelagij, Semipelagianorum, & aliorum.*

385 ACERRIMVS Gratiæ divinæ hostis Pelagius natione Britannus, Monachus Orientis, in gravissimos errores circa Gratiæ necessitatem lapsus est, hoc ferè discursu. Natura humana secundùm se est capax Legis & Præceptorum; atqui DEVS non præcipit impossibilia: ergo habet homo
386 ex naturâ suâ vires ad illas Leges servandas: ergo non est illi ad illas servandas necessaria Gratia, saltem distincta à dono creationis, promissionis vitæ æternæ, & Legis ac doctrinæ, quæ oculos cordis aperiat & illuminet, ostendens bonum & malum. Addidit, Adamum fuisse ab initio mortalem sicut
387 nos, nec suo peccato nocuisse posteris, adeóq; defacto omnes nasci eodem statu, quo nascituri fuissent, si Adam non peccâsset: uno verbo, ad vires naturæ omnia reducere conatus est, negans omnes actus supernaturales, & probabiliter etiam Gratiam Habitualem.

Ab hoc errore multùm quidem, non tamen

men omnino receſſerunt Maſſilienſes quidam Catholici, fatentes quidem neceſſitatem Gratiæ ad ſalutem, aſſerentes tamen, hominem à ſeipſo incipere negotium ſalutis aliquo actu naturali, ſine gratiâ, & huic humano initio adjungi gratiam DEI, quaſi pediſſequam noſtræ induſtriæ, juxta illud Luc. 11. qui petit, accipit, qui quærit, invenit, & pul- 388
ſanti aperietur. Fundamentum erat, ut ſalvari poſſet, DEVM non eſſe acceptorem Perſonarum. Hi errores in ſequentibus reijcientur.

Alij in errorem extremè oppoſitum lapſi ſunt, aſſerentes, nec bona opera liberi arbitrij quidquam prodeſſe, nec mala obeſſe, ſed Gratiam Prædeſtinationis ſolam ſalvare, 389
Reprobationem damnare, quidquid agant homines: & ſic ſuſtulerunt liberum arbitrij uſum, & induxerunt ſub ſpecie Gratiæ fatalem neceſſitatem; vocatique ſunt *Prædeſtinati.*

Hunc errorem cum auctario amplexi ſunt hæretici noſtri temporis, aſſerentes inſuper, 390
per peccatum originale liberum arbitrium eſſe omnino deſtructum, vel ſaltem (ut molles Lutherani loquuntur) quoad opera bona.

Contra hos omnes pronuntiavit S. Auguſtinus Epiſt. 46. *Tolle liberum arbitrium, & non erit, quod ſalvetur; tolle gratiam, & non*

erit, unde salvetur. Ratio suprà jam reddita est in tr. de actibus humanis, eorúmque libertate.

§. 11. *De necessitate Gratiæ ad Bonum morale naturale.*

391 CErtum est primò de facto, saltem cum gratiâ Dei posse hominem elicere aliquos actus honestos, & undique bonos. Est de Fide contra hæreticos nostri temporis. Job. 1. *In omnibus vijs non peccavit Iob.* Ps. 118. *Beati immaculati in viâ.*

Certum est secundò, non requiri statum Gratiæ ad hoc, ut fiat aliquod opus bonum & honestum. est etiam de Fide, definitum in
392 Trident. Concil. & constat ex sacrâ Scripturâ, quæ passim peccatores hortatur ad eleemosynas, orationes &c.

Certum est tertiò, non requiri ad quodlibet opus bonum Gratiam Fidei. Damnata est enim propositio 26. Michaëlis Baij in Bullâ Pij V. *Omnia opera Infidelium sunt pec-*
393 *cata: & virtutes Philosophorum sunt vitia.* quæ propositio utiq; non est damnata, quatenus negat actus indifferentes: ergo est damnata, quatenus negat actus honestos. Baio accessit Cornelius Jansenius. Ratio autem assertionis est, quia nullum est fundamentum, unde colligatur Infidelium tanta obsti-

natio

natio in malo, ſicut eſt voluntas damnati. Accedit authoritas ſacræ Scripturæ; nam Exodi. 1. Laudantur & præmiantur obſtetrices Infideles pro opere bono Iſraelitis præſtito. Ezech. 29. Nabuchodonoſor accipit mercedem boni operis. Daniel. c. 4 dat conſilium Regi infideli faciendi eleemoſynas ad avertendam iram DEI. 394

Videntur etiam convenire DD. loquendo de Potentiâ antecedente (hoc eſt, præſcindendo, an effectus ſit ſecuturus de facto, néc-ne) poſſe hominem etiam in naturâ lapſâ elicere actum bonum non ſolùm phyſicè, ſed etiam moraliter ſine gratiâ diſtinctâ à dono creationis. Si enim natura humana (quæ per peccatum non eſt ſpoliata naturaliter debi- 395 tis) non poſſet moraliter ullum bonum opus facere, quorum aliqua ſunt adeò facilia, nimis malè conſtituta eſſet natura.

Imò etiam communiter ſupponunt, collectioni hominum eſſe naturaliter debitum, ut ſaltem aliqua auxilia congrua illi conferantur, adeóque ut etiam poſſit bene operari 396 potentiâ conſequente, hoc eſt potentiâ, quæ reipsâ de facto ſit habitura effectum.

Controverſia eſt prima. An de facto detur aliquod auxilium congruum ad opus bonum naturale ſine ullâ gratiâ contradiſtinctâ à dono creationis, & an in omni ſtatu quodcunque auxilium

congruum esset gratia, saltem respectu illius, cui daretur. item, an aliquod auxilium congruum sit debitum ex naturâ rei saltem vagè & indeterminatè alicui vel aliquibus ex totâ hominum multitudine.

Controversia secunda. Virum in statu naturæ lapsæ possint elici actus boni absq; auxilio intrin-
397 *secè supernaturali.*

Controversia tertia. Virum natura lapsa possit longo tempore servare totam legem naturalem absque eiusmodi auxilio per Christum.

§. III. *De Necessitate Gratiæ ad actus meritorios, & supernaturales.*

398 AD huiusmodi actus requiri Gratiam, Theologicè sumptam de Fide est, definitum in Trident. Concil. sess. 6. can. 3. *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritûs sancti inspiratione, atque eius adjutorio hominem credere posse, sicut oportet, anathema sit.* Et constat ex 1. ad Cor. 12. *Nemo potest dicere: Dominus*
399 *IESVS, nisi in Spiritu sancto.* 2. ad Cor. 3. *Non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis.* Ratio est clara, nam ut supponimus, vita æterna est omnino supernaturalis, ergo etiam est supra vires hominis posse illam mereri per actus proportionatos, hoc est, supernaturales, & consequenter auxilium ad hos actus est omnino indebitũ.

Hæc

Hæc autem Gratia est entitativè supernaturalis, ut colligitur ex verbis Tridentini; si enim est illuminatio Spiritûs sancti,& quidem ex naturâ suâ: ergo nunquam potest haberi viribus naturæ creatæ. Ratio ulterior redditur, quia actus intellectûs movens voluntatem debet esse eiusdem ordinis cum actu voluntatis, ad quem movet. Et hoc multò magis dicendum est, in sententia eorum, qui volunt actus supernaturales differre ex objecto formali à naturalibus 400

Præter Illuminationem intellectûs requiritur etiam, & datur ante omnem actum supernaturalem meritorium gratia quædam præveniens in Voluntate, & hæc est Motio quædam quam S. August. lib. 2. de peccat. mer. & remiss. c. 18. vocat *Victricem delectationem.* 401
Deinde eius necessitatem affirmat lib. 2. contra duas Epist. Pelag. c. 9. dicens, *Benedictio dilectionis est gratia DEI, quæ fit in nobis, ut nos delectet & capiamus, hoc est, amemus, quod præcipit nobis, in quo, si nos non prævenit DEVS, non solùm non perficitur, sed neque inchoatur in nobis.* 402

Consistit autem hæc gratia in motibus primò primis, qui sunt amores quidam speculativi, & inefficaces bonitatis objecti secundùm se consideratæ, & præscindunt ab omni malitiâ objecti, adeóque non sunt li-

beri, sed necessarij; & ideo præcedunt etiam ex naturâ rei ipsum actum deliberatum, imò ipsam deliberationem.

Controvertitur, utrum omnia auxilia conducentia ad finem supernaturalem, sint intrinsecè supernaturalia.

403 **§. IV.** *Quomodo omnes homines habeant sufficientem Gratiam ad consequendam salutem.*

NON accipimus hîc Gratiam *sufficientem* prout opponitur Efficaci, sed prout abstrahit ab efficaci & inefficaci seu purè sufficienti: in quo sensu iterum dupliciter sumi
404 potest: alia enim est ita sufficiens, ut præcisè præbeat potentiam physicam perveniendi ad vitam æternam; alia verò est sufficiens non tantùm physicè, sed moraliter etiam, hoc est, præbens moralem potentiam, seu reddens moraliter possibilem vitam æternam. Differt ergo Potentia physica à Potentiâ morali in hoc, quòd Potentia physica præcisè ex suo
405 conceptu plus non dicat, quàm illas vires, sine quibus repugnat effectum poni; at verò Potentia moralis superaddat vires, sine quibus etsi non repugnet, haberi effectum, est tamen tam difficile haberi, ut ob illam difficultatem nunquam reipsâ sequeretur effectus. His positis

Certum

Certum est, non omnes homines defacto accipere gratiam proximam sufficientem ad Justificationem. In parvulis est hoc manifestum, quibus proxima potestas consequendi Baptismum sæpe deest. In adultis etiam ostenditur; nam multi non justificantur ex defectu Fidei atqui sine Fide (quæ est initium justificationis, ut alibi dicemus) non potest haberi gratia proxima requisita ad justificationem adulti, ut etiam ex dicendis constabit: ergo. 406

Cùm ergo non omnes habeant gratiam proximam *datam*, videndum est, an, & quomodo saltem habeant illam *oblatam*. hoc est, an, & quomodo omnibus præparetur gratia remota, 407 virtute cuius possent pertingere ad Gratiam proximam, & quidem sermo est non de potentiâ merè physicâ, sed de morali.

Dicendum omnino est, DEVM Generi humano, quantum est ex parte DEI, prospexisse de medijs moraliter sufficientibus ad salutem. Esa: c: 5. *Quid est, quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci!* Ratio est, quia DEVS, 408 præter universalem omnium Redemptionem & Prædicationem Verbi divini, instituit Sacramenta, & ita disposuit, ut nisi alicubi causæ secundæ & liberæ obstaculum ponerent (quod utique moraliter posset non fieri) omnibus possent applicari. Id, quod nunc breviter per certa hominum genera ostendemus,

nempe de Infantibus, Adultis, Infidelibus, Peccatoribus, Fidelibus, Justis.

Infantibus ergo, qui sine Baptismo decedunt, hoc accidit non ex defectu generalium mediorum, quantum est ex parte Dei, sed per accidens, ex negligentiâ, vel infidelitate parentum, vel ex eorum intemperantiâ, malâ complexione, ex incuriâ aut penuriâ prædicatorum, vel ex alijs fortuitis impedimentis, quæ moraliter potuissent evitari, esto defacto inculpabiliter ponantur. Imò si res attentiùs consideretur, videtur de singulis infantibus dicendum, quòd, præcisis casibus fortuitis, qui moraliter potuissent à cáussis secundis evitari, vel variari saltem remotè, potuissent potentiâ morali ad adultam ætatem pervenire, & sic ad salutem pertingere eo modo, quo nunc de adultis dicemus. Neque verò Deus tenebatur singulis proximum remedium providere, nam ex reatu peccati originalis illo indigni sumus. Neque infantes ex eo capite conqueri possunt, quòd hanc indignitatem sine propriâ culpâ incurrant; nam, ut advertunt nobiles Theologi, infantes propter peccatum Originale non patiuntur, nisi pœnam damni, hoc est, carentiam Visionis beatæ (quæ humanæ naturæ secundùm se non debetur) & fortè aliquem levem dolorem de eius carentiâ: nihilominus tamē status, in quo semper erunt,

409 410 411

est

est longè optabilior, quàm sit, *omnino non esse*, adeò, ut quidam graves Theologi (esto contra communem) putent, huiusmodi infantes fruituros beatitudine naturali.

Quoad Infideles adultos conclusio sic declaratur. Imprimis supponendum est ex mente PP. & DD. majorem Providentiam à Deo 412
adhiberi circa adultos, quàm circa infantes, tantam nempe, ut nemo adultorum excludatur à cælo, nisi ex propriâ culpâ. Ratio est, nam ex communi DD. sensu Devs, hoc ipso, quòd non constituit tertium locum perpetuæ mansionis, decrevit, ut omnis adultus vel veniat ad beatitudinem, vel ad pœnam æternam 413
non solùm damni, sed etiam sensûs. atqui æternam pœnam sensus nemo incurrit, nisi ex propriâ culpâ, & quidem tali, ad quam non necessitabatur moraliter: ergo omnis adultus ex decreto Dei habet potestatem moralem evitandi pœnam damni & sensûs: ergo etiam, liberandi se à peccato originali, & consequendi æternam beatitudinem, ita ut si illam non consequatur, sibi, & non alijs casibus fortuitis, imputare debeat. 414

Ponamus ergo hominem gentilem invincibiliter ignorantem Mysteria Fidei, & necessitatem Baptismi, &c. talis homo non potest diu vivere moraliter, & Deo ita disponente, quin illi occurrat multiplex occasio exercendi

honesta-

honestatem naturalem, quam si diligenter exercet (non sine gratiâ, cùm omnis cognitio congrua sit aliqua gratia, ut suprà diximus) disponetur denique (modo statim explicando) ad accipiendum à DEO gratiam supernaturalem, & perveniendi ad actum Fidei, ut sensit S. Thomas q. 14. de Veritate. a. 11. di-
415 cens. *Si aliquis in sylvis nutritus ductum rationis naturalis sequeretur in appetitu boni, & fugâ mali, certissimè est credendum, quòd* DEVS *ei vel per internam inspirationem revelaret Mysteria, vel ad eum prædicatorem dirigeret.*

Huc facit celeberrimum illud Effatum Theologicum: *Facienti quod in se est, DEVS*
416 *non denegat gratiam.* cuius sensus ex plurium T. T. sententiâ est; si homo cum gratiâ ordinis naturalis facit quod in se est, DEVS deniq; illi dabit gratiam supernaturalem. *Verùm, hinc nascitur gravis controversia, quonam modo sit intelligenda illa naturalis dispositio conducere ad gratiam supernaturalem.*

417. Quoad fideles in peccato mortali existentes dicendum est, gratiam moraliter sufficientem dari omnibus ad resurgendum, non quidem singulis momentis, sæpe enim ita homo dispositus est, ut non possit cogitare de salute & pœnitentiâ; vnde fit, ut quis possit carere auxilio tali per aliquod tempus ante mortem, non solùm propter amentiam aut somnum, sed etiam

propter

propter naturalem oblivionem, distractionem, &c. datur ergo tale auxilium tempore opportuno, hoc est, quando proponitur objectum proportionatum, vel excitantur species, quod frequenter fit, & ideo moraliter ac humano modo dicitur peccator semper posse resurgere. Psal. 9. *Adjutor in opportunitatibus.* 2. Petr. 3. *patienter agit DEVS propter vos, nolens aliquem perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti.* 418

Denique Justi semper habent vires sufficientes ad perseverandum in gratiâ. 1. ad Cor. 10. *Fidelis DEVS, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.* Huc spectat illud axioma ex Trid. Concil. sess. 6. c. 11. desumptum: *DEVS suâ gratiâ semel justificatos non deserit, nisi priùs deseratur ab ipsis.* Ratio est, quia ad debitum veri & sinceri amici spectat, non constituere amicum in necessitate morali recedendi ab amicitia. 419

§. VI. *De Necessitate Gratiæ ad vincendas tentationes, & vitanda peccata.*

TEntatio alia est gravis, alia levis. Gravis tentatio nulla, secundùm communiorem Theolog. sentent. superari potest sine auxilio gratiæ. Sap. 8. *Nemo potest esse continens, nisi DEVS dederit.* Accedit gravis PP. Authoritas. Imò quidam Recentiores notant, quod 420

quòd quando Theologi asserunt, neminem posse resistere *tentationi gravi* sine speciali gratiâ Dei, hæc ipsa ab eis vocetur tentatio gravis, quæ scilicet huiusmodi est, ut sine speciali Dei confortatione non possemus moraliter illi resistere. Hanc autem tentationem
421 esse possibilem probatur ex 1. ad Cor. 10. *Fidelis est DEVS, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis.*

Hinc ulterius & à fortiori inferunt Theologi, hominem lapsum sine auxilio gratiæ non posse longo tempore observare præcepta etiam naturalia: non enim sine speciali auxilio diu carere possent gravi tentatione.

422 Controversum est, an tentatio levis superari possit sine auxilio gratiæ per Christum. Multi affirmant, nam potest esse talis tentatio impertinens ad salutem. Alij tamen hoc negant, quia omnis tentationis inclinatio est ad peccatum, ergo dum ei resistitur, vitatur peccatum, & hæc vitatio conducit ad salutem.

Peccata venialia omnia collectivè sumptâ
423 ne quidem cum ordinarijs auxilijs gratiæ evitari possunt, sed opus est speciali privilegio Dei. Ita Trident. Concil. & habetur in sacrâ Scripturâ. Jac. 3. *In multis offendimus omnes.* Eccles. 7. *Non est homo justus in terra, qui non peccet.* Psal. 142. *Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* 1. Joan. 1. *Si dixerimus, quia peccatum*

peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.

Controversum est, an, commisso uno peccato mortali, possit homo per ordinaria DEI auxilia diu vitare secundum, vel, an ad hoc sit necessaria Gratia Habitualis. Priorem partem affirmant aliqui; alioquin enim homo non haberet 424
auxilium sufficiens moraliter ad salutem. Posteriorem partem tenet communior sententia, loquendo saltem de necessitate consequente. Nam si peccator aliquandiu servat totam Legem, DEVS vocabit illum ad dilectionem suam, vel ad pœnitentiam, antequam prætereat illud longum tempus; & quia in illis circumstantijs talis pœnitentia proponetur ut moraliter necessaria ad vitandum peccatum, si vocationi respondeat peccator, justificabitur, sin minùs, peccabit. 425

Posse autem absolutè loquendo omnia peccata mortalia à justo vitari cum auxilijs divinæ gratiæ est definitum in Trid. Concil. sess. 6. c. 11. & can. 18. Constat ex sacrâ Scriptura Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Joann. 14. *Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est, qui diligit me.* 426

Controversia item est, utrum natura lapsa sufficiat ad dilectionem DEI naturalem super omnia absque auxilio intrinsecè supernaturali, saltem in absentiâ gravis tentationis.

CAPVT

CAPVT III.

DE GRATIA HABITVALI. ET JVSTIFICATIONE.

PRÆTER gratiam actualem datur Gratia Habitualis, hoc est, quæ nos habitualiter & permanenter coram
427 DEO justos formaliter reddit, & illi gratos constituit, éstque illa forma, per quam *Filij DEI* adoptivi *nominamur, & sumus,* facítque nos *divinæ consortes naturæ.*

Non justificatur homo formaliter per solam imputationem extrinsecâ Justitiæ Christi, aut per solam peccatorum remissionem,
428 sed per veram realem & intrinsecam formam sanctificantem. ita definit Trident. Concil. sess. 6. c. 7. & can. 11. Et desumitur ex 1. ad Cor. 13. *Templum DEI estis; & Spiritus DEI habitat in vobis.* Ratio est, quia DEVS hominem justum non amat mero amore benevolentiæ, sed amicitiæ; hic autem amor supponit in
429 amato aliquod bonum; ratione cuius tali amore est prudenter amabilis.

Hæc Gratia rectè vocatur Participatio Naturæ divinæ. Amicitia enim fundatur in communicatione in naturâ, & capacitate communicationis arcanorum: Gratia autem dat Intellectualitatem divinam, seu est radix visionis DEI, quod prædicatum est soli DEO ex naturâ

naturâ suâ conveniens. Unde sequitur, implicare creaturam, cui gratia sanctificans sit connaturalis; alioquin in nobis non foret participatio divinæ naturæ, sed alicuius prædicati communis Deo & creaturæ illi possibili.

Controversia prima est, an Gratia sanctificans realiter distinguatur ab Habitu Charitatis. Ab habitu Fidei & Spei distingui certum est, cùm illi maneant in peccatore sine gratiâ, ut alibi dicetur. 430

Controversia secunda. Utrùm Gratia sanctificans ex suâ specificâ differentiâ sit participatio naturæ divinæ & forma justificans.

Controversia tertia. Virum de potentia absoluta possit Gratia sanctificans consistere cum peccato mortali. 431

Controversia quarta. An possit homo justificari per condonationem extrinsecam, sine infusione gratiæ absolutâ, vel conditionatâ: vel alio aliquo dono.

Controversia quinta. Virum actus perfectæ charitatis formaliter justificet, vel tantùm dispositivè. item, an saltem indispensabiliter sit ex essentiâ suâ connexus cum Gratiâ justificante. 432

CAPVT IV.

DE MERITO.

§. I. *Divisio Meriti in Condignum & Congruum.*

433 MERITVM, prout hîc sumitur, est actus cui respondet præmium. Estque duplex, Meritum de condigno, & meritum de congruo. Hanc divisionem Theologi variè explicant. Tyronibus apta satis est hæc. Meritum de condigno est, quando ob dignitatem operis præmium ita est proportionatum, ut in eius collatione non exerceatur
434 propria liberalitas aut gratia. Meritum de Congruo est, quando quidem opus de se non est dignum tanto præmio, cùm posset sufficienter inferiore modo præmiari, est tamen tale, ut posset prudenter movere retributorem ad tale præmium. v. g. famulus curam habens canis ne quidem de congruo meretur adoptari in filium Regis; esset enim imprudens talis
435 præmiatio. Si verò privatus aliquis miles facinus Duce dignum præstaret, tunc esto minus præmium sufficiens esset, posset tamen prudenter Rex decernere illi præmium Duce dignum, & hoc de congruo meritus esset privatus miles tali facinore, Dux verò meritus esset de condigno, quia respectu huius omne aliud præmium esset inæquale.

§. II.

§. II. *Existentia Meriti.*

DAtur in homine Meritum propriè dictum apud DEVM. definit Trid. Concil. sess. 6. c. 16. Et habetur in sacrâ Scripturâ passim. Eccles. 18. *Ne verearis usque ad mortem justificari, quoniam merces DEI manet in aternum.* Jerem. 31. *Est merces operi tuo, ait* 436
Dominus. Matth. 16. *Reddet unicuique secundùm opera sua.* Matth. 20. *Voca operarios, & redde illis mercedem.* 1. ad Cor. 3. *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundùm suum laborem.* 2. ad Thessalon. 1. *Vt digni habeamini in regno DEI pro quo & patimini.* Ex quo loco etiam constat dari huiusmodi meritum de condigno: An autem sit meritum 437
ex rigore justitiæ, pendet ex alibi dicendis.

§. III. *De conditionibus requisitis ad rationem meriti de condigno.*

PRima conditio est Gratia sanctificans, hæc enim debet dignificare opus, ut sit opus filij adoptivi DEI, & proinde dignum præmio 438
filij DEI, hoc est, hæreditate æternâ. Joan. 15. *Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis.* Rom. 6. *Gratia autem DEI vita æterna in Christo IESV Domino nostro,* 1 ad Cor. 13. *Si Charitatem non habuero, nihil mihi prodest.*

Secunda conditio est Status viæ. Eccles. 9.

Quodcunque facere potest manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quò tu properas. Jo. 9. *Venit nox, quando nemo potest operàri.* 2. Cor. 5. *Vt referat unusquisque propria corporis prout gessit, sive bonum, sive malum.* Gal. 6. *Dum tempus habemus operemur bonum.* 439 Quapropter Sancti, nec sibi, nec alijs propriè amplius merentur, secundùm communiorem sententiam, quamvis in virtute præcedentium meritorum adhuc orent & impetrent.

Tertia conditio est Promissio Dei de tali præmio dando, juxta Trid. Concil. sess. 6. c. 16. & colligitur ex Matth. 20. *Conventione autem* 440 *factâ cum operarijs.* Hoc tamen non est ita intelligendum, quasi opera justorum antecedenter, seu præcisâ promissione non habeant ex suâ naturâ condignitatem & proportionem cum tali præmio: nam promissio non auget valorem; sed, quòd sine tali promissione non esset præmiatio infallibiliter & necessariò secutura; promissio autem facit, ut præmiatio 441 re ipsâ sequatur, sive id fiat ex obligatione Justitiæ, sive ex Fidelitate, sive ex eo, quòd Promissio Dei sit ipsissima voluntas faciendi, quod se facturum revelat, de quo est controversia aliò spectans.

Quarta conditio à quibusdam Theologis ad rationem meriti requisita est, ut opus à Charitate

Charitate proficiscatur, vel elicitivè, vel imperativè, quia debet ex Charitate referri ad DEVM. 1. ad Cor. 10. *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam DEI facite.* ad Colos. 3. *Omne quodcunque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini IESV Christi.* Recentiores tamen communiter hanc sententiam tanquam nimis rigidam reijciunt, asserentes sufficere, quòd opus sit supernaturale, hoc ipso enim ex naturâ suâ refertur in DEVM. Aliqui tamen Recentiores aliquam relationem actualem & intentionalem in DEVM requirunt, non tanquam in finem *Cui*, sed tanquam in objectum, eò quòd omnis actus supernaturalis defacto semper gubernetur à Fide, & consequenter tendat in honestatem ut revelatam à DEO; aliqui juxta sua principia insuper dicunt, omnem actum honestum referri in DEVM, quatenus movetur ab honestate, quæ ultimatè desumitur à beneplacito DEI, vel à negatione prohibitionis divinæ. 443 444

Quinta conditio est Libertas & Honestas, ut jam ex alibi dictis constat. Certa autem Intentio non requiritur, ut aliqui putârunt.

Sexta conditio est, ut sit proportio debita inter meritum & præmium: unde per actum naturalem non possumus promereri præ-

mium ſupernaturale, ne quidem de congruo, ex receptâ ſententiâ.

Septimam conditionem quidam Moderni requirunt, ut meritum contineat arduum, contemptum commodi temporalis.

445 Octavam etiam, ut meritum præcedat præmium, ita ut præmium non poſſit tempore, aut natura eſſe prius merito.

§. IV. *De Termino Meritorum.*

DE Fide eſt hominem juſtum bonis operibus poſſe mereri vitam æternam. Matth. 5. *Gaudete & exultate, quoniam mer-*
446 *ces veſtra copioſa eſt in cælis.* Joann. 4. *Qui metit mercedem accipit & congregat fructum in vitam æternam.* idem clariſſimè habetur ad *Rom. 2. 2. ad Timot. 4. 2. ad Cor. 4.*

De Fide etiam eſt, juſtum de condigno & merito infallibili non promereri perſeverantiam finalem, 1. ad Cor. 10. *Qui ſe exiſtimat*
447 *ſtare, videat ne cadat.*

Controverſia prima eſt, utrum plus mereatur actus intenſior quàm minùs intenſus.

Secunda. Vtrum omne opus bonum ſit meritorium ſaltem de cõgruo quorumlibet donorũ DEI.

Tertia. Vtrum homo mereatur de condigno etiam primam gloriam.

Quarta. Vtrum augmentum Gratiæ ſtatim conferatur, quando ponitur actus meritorius.

INSTI-

INSTITVTIONVM THEOLOGICARVM

Liber III.

DE VIRTVTIBVS THEOLOGICIS, ET MORALIBVS.

Titulus I.

DE VIRTVTIBVS THEOLOGICIS *FIDE, SPE, CHARITATE.*

Caput I.

DE VIRTVTIBVS THEOLOGICIS IN GENERE.

QVM omne meritum consistat in actibus virtutum, Virtutes autem supernaturales radicentur in Gratiâ sanctificante, hinc recta methodo Theologi cum S. Thomâ post tractatum de Gratiâ procedunt ad Virtutes. 1

Dividuntur autem Virtutes in Theologicas & Morales. Theologicæ vocantur illæ, quarum præcipuum objectum formale saltem

inadæquatum est aliqua divina perfectio, & sunt tres, *Fides*, *Spes*, *Charitas*.

Has esse Virtutes infusas definit Trident. Concil. sess. 6. cap. 7. cujus verba sine temeritate non possunt ad solos actus restringi. De cuiusque objecto formali specificativo patebit in progressu. 2

Esse tres, & non plures declaratur: hæ enim sufficiunt, ut inhæreamus DEO tanquam ultimo fini nostro. per Fidem enim cognoscimus illum, & voluntatem illius, quid à nobis fieri velit: per Spem concupiscimus ipsum ut nobis bonum, per Charitatem transformamur in ipsum ut sibi bonum. & hoc expressit S. Paulus 1. ad Cor. 13. *Nunc autem manent Fides, Spes, Charitas, tria hæc*. 3

Commune omnibus tribus Virtutibus Theologicis est, præferre DEVM in ratione sui objecti formalis omnibus in contrarium moventibus; sic Fides præfert authoritatem DEI omnibus contrarium suadentibus illi, quod DEVS dixisse creditur, Spes præfert probabilitatem objecti fundatam in divinis promissionibus, omnibus in contrarium inclinantibus, Charitas DEI præfert DEVM omnibus à DEO avertere conantibus. 4

Controverti hic potest, an Virtutes Theologicæ aliquando successivè infundantur. Quam quæstionem pleriq; de Fide inferiùs examinant.

CAPVT

CAPVT II.

DE OBIECTO MATERIALI ET FORMALI FIDEI DIVINÆ.

VOx *Fides* varias habet significationes; præcipuæ conveniunt analogicè in hoc prædicato: *inniti veritati alterius.* v. g. *Fiducia* dicitur Fides, quia 5
fiduciam habens innititur veritati promissionis & veracitati promittentis; eodem sensu dicitur promissor servare fidem, verificando promissionem. *Confidentia* etiam dicitur Fides, quia, qui fidit amico, innititur veritati illius apparentiæ, quam habet de benevolentiâ amici. *Conscientia* quoque dicitur Fides, juxta illud 6
ad Rom. 4. *Quod non est ex Fide, peccatum est.* quo sensu dicitur quis agere bonâ fide, quia scilicet innititur apparenti veritati honestatis objecti. Denique proprissimè Fides est assensus præstitus propter authoritatem *loquentis.*

Objectum Fidei aliud est Materiale, aliud 7
Formale. Materiale est omne illud, quod DEVS nobis sive immediatè, sive mediantibus Prophetis, Apostolis, aut Ecclesiæ definitione revelavit, & hæc vocantur Mysteria, seu Articuli Fidei. Objectum formale est illud, quod nostrum intellectum inclinat & movet ad ta-

lia Mysteria credenda. Quòd autem huiusmodi objectum formale seu motivum assignandum sit, ratio est manifesta: nam Mysteria non sunt nobis ex terminis evidentia, imò aliqua ne probabilia aut suspicabilia quidem: quis enim absque divinâ revelatione assentiretur immediatè, penetratis terminis meliore
8 modo, quo viribus naturæ penetrari possunt, DEVM esse trinum in Personis, unum in naturâ, Verbum esse incarnatum; in Eucharistiâ esse præsentem Christum, & similia? Cùm ergo hæc objecta adeò lateant vim nostram naturalem cognoscendi, ut immediatè illis assentiri nullatenus possimus, ad possibilitan-
9 dum assensum opus est aliquo medio, seu motivo, mediante quo ejúsque connexione cum existentiâ rei revelatæ possimus ad assensum nos inclinare. Hinc consequens est, esse in actu Fidei resolvendo tandem deveniendum ad aliquod objectum, quod, vel terminis bene penetratis, immediatè sit evidens, vel certè sit immediatè probabile, dignúmque assensu.
10 Dari autem aliqua objecta immediatè probabilia, tam certum est, quàm certum est dari aliquem assensum obscurum ex voluntatis imperio: si enim omnis huiusmodi assensus esset mediatus, daretur processus in infinitum; omnis enim assensus obscurus debet niti motivo saltem partialiter obscuro: ergo vel huic

assenti-

assentiemur immediatè,& sic habemus interitum,vel mediatè,& sic abibimus in infinitum, quod repugnat, cùm omnis assensus tandem, necessariò sistat in aliquo determinato, sicut voluntas sistit in determinato fine. Inter objecta materialia

Objectum attributionis principalissimum 11
nostræ Fidei est DEVS. DEVS enim per Fidem intendit maximè & primariò manifestare suas perfectiones Joann. 17. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum DEVM, &c.* Ex eodem fundamento deducunt nobiles TT: etiam vitam æternam esse objectum attributionis. Lucæ 1. Act. 13. ubi Verbum DEI vocatur *scientia & verbum salutis.* Ad Hebr. 11. 12
Oportet credere, quia est, & quia remunerator est.

Objectum formale,seu motivum Fidei,seu assensûs, quo credimus Mysteria Religionis nostræ est authoritas divina,quæ duo includit, Veracitatem DEI tam in cognoscendo, quàm in dicendo, & locutionem eiusdem, seu revelationem: veracitas in cognoscendo est Omniscientia DEI,& immunitas ab omni errore, 13
Veracitas in dicendo, quòd decipere & fallere non possit.

Circa Locutionem DEI errârunt hæretici, resolventes nostræ Fidei assensum in quendam spiritum privatum seu inspirationem internam,

internam, independentem ab externâ Ecclesiæ propositione, quâ ajebant DEVM homini interiùs manifestare verum Scripturæ sensum. Verùm hîc Spiritus privatus est conflictus ad declinandum Judicem visibilem controversiarum Fidei, & facit DEVM mendacem; quia sequeretur, contradictiones ex eodem Spiritu
14 profluxisse; deinde repugnat Apostolo ad Rom. 10. dicenti, Fidem esse ex auditu.

Controversia gravissima est, in quo tandem consistat adæquatè illa divina locutio, quâ Mysterium innotescit, & quæ nos movet ad captivandum intellectum in obsequium divinæ authoritatis: an consistat adæquatè in locutione immediatâ, factâ, v.g. Prophetis, nobis verò mediantibus conditionibus applicatâ, vel, an præterea
15 *ipsam Ecclesiæ & ministrorum eius propositionem, vel ut habet merè authoritatem humanam, vel saltem tanquam complementum divinæ locutionis prout ad nos directa, includat.*

Alia controversia est, an fides nostra posset dicere actum ex revelatione merè privatâ, hoc est,
16 *non pertinente ad totam Ecclesiam, sed factam personæ privatæ de re non pertinente ad totam Ecclesiam.*

Tertia controversia est, an & quando Revelatio formalis & explicita alicuius objecti sufficiat ad credendum aliquid, quod in re revelatâ per bonam consequentiam continetur: ubi in specie

contro-

controvertitur, an de Fide sit, illum, qui de præsenti à totâ Ecclesiâ pro Romano Pontifice agnoscitur, sit verus Christi Vicarius, & sancti Petri Successor. & quod Concilium Tridentinum fuerit legitimum.

Quartò aliqui hîc controvertunt, an Fides sit formaliter discursiva. 17

CAPVT III.

DE REGULIS EXTERNIS FIDEI.

CVM Fides sit ex auditu ad Rom. 10. nec DEVS omnibus & singulis immediatè loquatur, prout locutus 18
est Moysi aliisque Prophetis, & Apostolis, sed velit suas immediatas revelationes ad nos per suos Ministros tanquam instrumenta organica propagari, placet breviter agere de Regulis externis Fidei, quibus internum Fidei lumen conformari debet.

Huiusmodi Regulæ quinque assignantur. sacra Scriptura: Traditiones: Ecclesia certis notis, tanquam discerniculis veræ à falsis, in- 19
signita: Summus Pontifex: Concilia à Summo Pontifice approbata. Possent ad duas revocari, Verbum DEI (scriptum & non scriptum) & Authoritatem Ecclesiæ.

§. I.

§. I. *De Sacrâ Scripturâ.*

SAcram Scripturam pro regulâ credendorum proposuit ipse Christus, quando Scribas & Pharisæos ad testimonia veteris Testamenti ablegavit Marc. 2. Joan. 5. *Scrutamini*
20 *Scripturas.* Complectitur autem sacra Scriptura omnes illos libros Canonicos, quos enumerat Concil Trident. sess. 4.

Scriptura non est universim ita clara, ut suiipsius interpres sit cuivis legenti: quod imprimis ipsa de se testatur. 2. Petri ult. dicuntur multa difficilia esse in Epistolis S. Pauli, quę indocti & instabiles depravant. Act. 8. fatetur
21 Eunuchus se sine interprete non posse intelligere Isaiam. Ratio à posteriori est manifesta ex innumeris interpretationibus hęreticorum sibi invicem contrarijs, etiam in rebus ad fidem spectantibus.

Hinc autem consequens est, sacram Scripturam non esse Judicem controversiarum Fidei, quæ in Ecclesiâ oriuntur. Cùm enim circa ipsam Scripturam lites moveantur, impos-
22 sibile est, à Scripturâ litibus finem imponi ferendo sententiam, ex quâ clarè constare possit partibus litigantibus, quænam illarum sit condemnata, & cui causa adjudicata.

§. II. *De Traditionibus.*

TRaditio hoc loco aliud non est, quàm doctri-

doctrina dogmatica non scripta in sacro Codice, seu à Scriptore Canonico. Traditio tunc cognoscitur esse immediatè à DEO, quando ab universâ Ecclesiâ observatur, & versatur in materiâ, quæ non potuit, nisi à Christo institui, qualia sunt Sacramenta. Quodsi versetur in re, cuius auctor potuit esse Ecclesia assistente Spiritu sancto, tunc si perpetuæ observationis 23
initium non exstat, creditur esse Traditio Apostolica.

Traditiones, quæ sint Verbum DEI non scriptum, eiusdem auctoritatis cum Verbo scripto, esse admittendas est de Fide. Trident. Concil. sess. 4. sumitur ex ipsâ S. Scripturâ. 2. ad Thessal. 2. *Tenete Traditiones, quas didicistis sive per sermonem, sive per Epistolam nostram.* Exempla huiusmodi Traditionum sunt, 24
infantes rectè baptizari, Beatissimam Virginem etiam post Partum Virginem permansisse, polygamiam esse illicitam, &c.

§. III. *De Ecclesiâ.*

ECclesia hoc loco idem est ac congregatio 25
hominum, seu Corpus quoddam politicum & Morale constans hominibus veram Christi Fidem profitentibus, sive sint prædestinati, sive reprobati, sive justi, sive peccatores. An autem forma denominans hominem membrum Ecclesiæ sit Fides interna tantùm,

vel

vel etiam externa professio & communio requiratur, adeò ut Schismatici & excommunicati, & Catechumeni, etiamsi fidem internam habeant, non tamen sint in Ecclesiâ, est quædam inter DD. controversia de nomine, potiùs, quàm de re.

26 Ecclesia hæc semper fuit visibilis, hoc est per sensibilia signa investigabilis, & discernibilis ab alijs non veris Ecclesijs. Matth. 18. *Dic Ecclesiæ. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Act. 28. *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam DEI.* Ratio est, nam Ecclesia à Christo instituta est
27 tanquam unica via ad salutem, utpote extra quam nemo salvus esse potest: atqui omnes tenentur inire viam salutis: ergo debet omnes posse, per se loquendo, deprehendere veram Ecclesiam, agnoscendo eius Pastores, quos Christus pollicitus est *ad consummationem Sanctorum, donec occurramus omnes in virum*
28 *perfectum.* ad Ephes. 4. Quomodo autem eos quærerent & agnoscerent, si invisibiles essent?

Porro in Symbolo Constantinopolitano quatuor notæ veræ Ecclesiæ exprimuntur, scilicet, quòd sit *Vna, Sancta, Catholica, & Apostolica*, quas notas Controversistæ fusè tractant ostendentes, eas ad veram Ecclesiam requiri, & nulli præterquam Romanæ convenire

venire. Nos infrà eas discursu naturali illustrabimus, ostensuri, his notis Ecclesiam Romanam præ omnibus sectis, quæ unquam fuerunt, reddi evidenter credibilem, omnibúsque alijs esse præferendam.

Vera Christi Ecclesia non potest in suis dogmatibus errare, nec tota interire. Matth. 16. *Et porta inferi non prævalebunt adversus eam.* Matth. 28. *Ego vobiscum sum omnibus diebus usq; ad consummationem sæculi.* Joan. 14. *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis.* 29

Independenter à textibus Scripturæ probatur hoc discursu. Infrà demonstrabimus, evidenter credibile esse, Romanam Ecclesiam, & nullam aliam esse veram Ecclesiam, inspectis illis solis, quæ oculis cernimus, seclusâ authoritate Scripturæ, vel certè non adhibitâ, nisi in sensu ab adversarijs etiam agnito. ulteriùs ex terminis evidens est, Ecclesiam veram nō posse falli in suo præcipuo & unico fundamento; quomodo enim intelligi potest *Veritas inædificata fundamento falso?* 30 31

atqui Ecclesiæ Romanæ unicum fundamentum est, non posse in definiendis dogmatibus falli, sed habere infallibilem assistentiam Spiritûs sancti; & hoc palam profitetur: ergo ijsdem notis, quibus Ecclesia Romana Gen-

tibus non admittentibus Scripturam probatur esse vera Ecclesia, ijsdem, inquam, probatur esse infallibilis; hæc enim est ipsius quasi essentialis differentia à cæteris sectis.

§. IV. *De Romano Pontifice, Christi Vicario.*

32 CHristus, qui in terris existens erat Caput Visibile suæ Ecclesiæ, priusquam ad cælos ascenderet, instituit in Ecclesiâ militante Vicarium sui Visibilem S. Petrum, tribuens ei primatum in omnes Christi Fideles. Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claves Regni Cælorum, & quodcunque ligaveris, &c.* Joann. 21. *Pasce oves meas, pasce agnos meos.*

33 Primatus iste & Vicariis non est extinctus cum morte Petri, sed continuatur in eius Successoribus usque ad sæculi finem. Ad Ephes. 4. suprà cit. & Joan. 21. ubi utique non solas oves tunc existentes commendavit Petro pascendas. Successit autem Petro Romanus Pontifex quà talis, hoc est, non so-
34 lùm in Episcopatu, sed etiam in Primatu annexo Episcopatui Romano, ut ex varijs Concilijs & Patribus probant Cõtroversistæ. An autem hæc annexio sit Juris humani, an divini, est apud Scholasticos nonnulla controversia.

Ex

Ex his consequens est, ad hunc ipsum Christi Vicarium spectare, in Fidei controversijs definitivam ferre sententiam, cui Fideles omnes acquiescere debent. Cum quo tamen stat, posse Pontificem ex malâ informatione condemnare innocentem, & sic errare in quæstione facti: item posse errare in discursibus & rationibus, quas quandoque ut privatus doctor adijcere solet suis Rescriptis. 35

Non solùm autem hæc definiendi potestas convenit Romano Pontifici unà cum Concilio legitimè congregato, sed etiam sine Concilio: nam licet hoc aliqui etiam Catholici antehac negârint, nunc tamen Doctores in hoc etiam conveniunt, adeò ut oppositum censeatur ad minimum erroneum & 36 hæresi proximum: & colligitur ex allegatis Scripturæ testimonijs: cui adde Lucæ 22. promissionem Petro factam: *Ego rogavi pro te, ut non deficiat Fides tua, & tu aliquando conversus, confirma fratres tuos.*

§. V. *De Concilijs.* 37

COncilium seu Synodus est conventus Episcoporum, vel Presbyterorum legitimè congregatus pro bono Ecclesiæ. Dividitur in Generale seu Oecumenicum, & Particulare.

Oecumenicum est Congregatio majorum

Prælatorum Ecclesiæ, Romani Pontificis authoritate convocata, ad aliquod Religionis Christianæ negotium pertractandum, Papâ ipso, vel eius Legato præsidente.

Particulare dividitur in Nationale, Provinciale, & Diœcesanum. Nationale constat Archiepiscopis & Episcopis alicuius Regni vel
38 Nationis, præsidente Primate sive Patriarchâ. Provinciale constat Episcopis unius Provinciæ, Archiepiscopo illius præsidente. Diœcesanum est, in quo conveniunt Præsbyteri unius Diœcesis, præsidente Episcopo.

Concilia etiam particularia, eatenus, quatenus eorum canones approbantur à Roma-
39 no Pontifice, non possunt aberrare. Patet ex dictis. Sanè primum Concilium in Ecclesiâ ab ipsis Apostolis celebratum Jerosolymis erat particulare, cui tantùm quatuor Apostoli interfuerunt. Petrus, Paulus, Jacobus, & Barnabas, & tamen ita loquitur. *Visum est Spiritui sancto & nobis, &c.*

40 Pontificem non subesse Concilio Generali, sed supra illud, est jam unanimis sensus Theologorum contra quosdam antiquiores Canonistas. Ipsa enim Concilia dicunt, Romanum Pontificem à nemine in terris judicari, intellige, quamdiu manet Caput Ecclesiæ.

Tres enim casus assignantur, in quibus Summus Pontifex amittere possit suum primatum.

matum. Primus est, si se sponte privet suâ dignitate, quod ab eo fieri posse docent Theologi. Secundus, si incidat in perpetuam amentiam; hæc enim æquivalet morti naturali quoad capacitatem Jurisdictionis. Tertius, si cadat in apertam hæresin, quo casu (si possibilis est, quod multi negant) non privaretur Jurisdictione à Concilio, sed à Deo; Ecclesiâ hanc privationem declarante. 41

Caput IV.

DE OBSCURITATE FIDEI. 42

Fides nostra est obscura, hoc est, est actus, ad quem non necessitamur, aut rapimur ab objecto, sicut rapimur ad veritates metaphysicè evidentes. Colligitur ex eo, quòd Fidei in sacris litteris passim tribuatur ratio meriti, & ex ipsâ Fidei definitione traditâ ab Apostolo ad Hebr. 11. quòd sit *sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Ratio à priori est. quia licet una pars motivi formalis, nempe Veracitas Dei possit intellectui perspicaci esse metaphysicè evidens, externa tamen locutio semper manet obscura quoad hoc, quòd sit locutio Dei. Et quantumvis motiva credibilitatis eiusmodi sint, ut ijs bene pene- 43

tratis sit magna necessitas judicandi, non posse non esse connexa cum internâ locutione DEI, nec posse à DEO permitti eorundem existentiam, nisi quando revera DEVS loquitur, hoc tamen ipsum non est evidens metaphysicè; ac proinde liberum est homini, ad minimum, suspendere suum assensum. Dixi: *ad minimum*.

44

Controvertitur enim â Modernis, an possit illis homo positivè dissentire, ita ut Fides non solùm libera sit quoad exercitium, sed etiam quoad speciem.

45 *Controvertitur secundò. An ab Habitu Fidei, qui de facto infunditur, elici posset actus evidens in attestante, hoc est, cum evidentiâ tam veracitatis, quàm locutionis divinæ.*

Controvertitur tertiò. An actus Fidei possit consistere cum evidentiâ naturali tam physicâ,

46 *quàm metaphysicâ circa idem objectum materiale; an etiam cum opinione.*

Controvertitur quartò. An idem indivisibilis actus possit ex motivo Fidei, & scientifico, vel opinativo procedere.

CAPVT

CAPVT V.

DE CREDIBILITATE MYSTERIORVM CATHOLICÆ ECCLESIÆ.

CVM, ut vidimus, actus Fidei sit actus intellectualis inevidens, à voluntatis imperio dependens, consequens est, antecedenter ad huiusmodi imperium, utpote honestum, præcedere debere dictamen prudentiæ, & quidem evidens ac obligatorium, ad volendum credere. Motiva huius dictaminis vocantur *Motiva credibilitatis*, seu motiva, quibus mysterium redditur dignum creditu: & judicium, quo hæc motiva penetramus, vocatur *Iudicium credibilitatis*, 47 48

Certum est, Veram Religionem, omniáq; illius Mysteria, seu Articulos, quos credendos proponit, habere pro se argumenta & motiva tanti ponderis, ut nõ solùm evidens sit, eam esse dignam, quæ sectis omnibus contrarijs præferatur, verùm etiam, quæ simpliciter & absolutè firmissimè vera esse credatur, hoc est, non posse eiusmodi argumenta ulli falsæ sectæ convenire, nec ullis motivis contrarijs enervari. *Psalmo 92. Testimonia tua credibilia facta sunt nimis*: id est, adeò credibilia, ut major credibilitas prudenter à nemine possit desiderari. S. Augustinus de uti- 49

lit. cred. c. 17. *Nolle illi primitias dare, vel summæ impietatis, vel præcipitis arrogantiæ est.*

Hæc itaque argumenta vocantur *Notæ* veræ Religionis; súntque duplicis generis, aliæ negativæ, aliæ positivæ. Negativæ sunt,
50 quæ quidem non probant positivè, hanc Religionem, in qua reperiuntur, esse cæteris præferendam & veram, cùm possent etiam in falsâ Religione reperiri; probant tamen & indicant falsitatem illius sectæ, in quâ non reperiuntur. huiusmodi nota est: *carere Articulo repugnante evidenti lumini rationis: non*
51 *involvere Articulos repugnantes inter se.*

Positivæ Notæ sunt, quæ non possunt, nisi veræ Ecclesiæ convenire, & de his potissimùm oportet nos esse sollicitos: quas fusissimè à Controversistis illustratas præcipuas in compendio dabimus.

Supponendum imprimis est, ut evidenter credibile, illam Religionem non esse falsam,
52 quæ pro se habet argumenta incomparabiliter graviora, quàm quævis alia secta eundem quidem DEVM colens, sed in modo colendi DEVM damnata ab illâ alterâ Religione; quis enim prudens persuadere sibi poterit, permissuram divinam providentiam esse, ut vera, & sibi præ omnibus accepta Religio manifestè succumbat in motivis & argumen-

tis

tis ad sui sequelam alios impellentibus falsæ Religioni? quis non videt esse optimo DEO indignum, permittere, ut nemo in toto mundo sit, qui perspectis omnium Religionum contrariarum argumentis, quibus unaquæq; pro se pugnat contra aliam, & una aliam, ut DEO invisam damnat, qui, inquam, omnibus 53
his perspectis nō possit, nisi temerè, levissimè, & per summam imprudentiam accedere ad Religionem veram, & prudentissimè agendo non accedere, nisi ad falsam? hoc autem omnino necessarium esset, si Religio vera posset superari à falsâ argumentis credibilitatis: imprudenter enim agit, qui eligit Religionem minùs creditu dignam; prudenter, qui 54
eligit creditu digniorem, quod est ex terminis evidens.

Jam verò, sive comparemus Religionem Christianam cum Paganismo & Judaismo, sive comparemus Religionem Catholicam & Romanam cum cæteris sectis Christum agnoscentibus, evidentissimum est, Catholicam 55
Religionem esse argumentis incomparabiliter gravioribus fundatam.

Primò enim una Religio sit præ aliâ prudentissimè credibilis, si præ aliâ habeat sectatores sapientes, ingenio, eruditione, doctrinâ cæteris, omnium judicio, præstantes. Præsertim si Religio illa proponat Articulos difficilli-

cillimos, hoc est, quibus naturalis inclinatio tam intellectûs, quàm voluntatis (si suis viribus relinquantur) vehementissimè resistat: est enim prorsus incredibile, futurum, ut præstantissimi quique sapientes conspirarent in Articulos creditu & practicatu difficillimos, nisi illis aliunde alluxisset ratio vehementissima & indeclinabilis, nec nisi à totius naturæ Domino & gubernatore præstabilis: atqui evidens est, Religionem Christianam, huiusmodi sapientibus abundare, quibus nullus ex totâ Gentilitate aut Judaismo post Christi Legem possit anteferri, qui seriò Gentilium & Judaismi errores secutus sit.

56

57 Evidens insuper est, à Religione Christianâ proponi Articulos creditu & practicatu difficillimos. cuiusmodi sunt Mysteria Trinitatis, Incarnationis, peccati Originalis, Resurrectionis, æternæ Beatitudinis, &c. item laudabilem esse continentiam & cœlibatum, jejunia, corporis afflictiones, omnium voluptatum, honorum, divitiarum abrenuntiationem: esse ad salutem necessariam omnium culparum etiam occultissimarum auricularem & distinctam confessionem: quæ, obsecro, secta poterit producere tam innumerabiles sapientes in tam difficiles Articulos adeò firmiter conspirantes, ut ipsam vitam præ illorum assertione deserere parati sint,

58

quot

quot producit Religio Romana Catholica? Porro ad difficillimos hóſce Articulos credendos non poterant tot ſapientiſſimi induci aliquâ humani affectûs inordinatione, vel bonorum temporalium illecebrâ; nam Catholica Religio his affectibus implacabile bellum indicit, ut dictum eſt: nec inter Sapientes numerat, qui temporalia ſectantur. 59
Aliarum verò Sectarum Articuli, in quibus à Religione Catholicâ diſſident, quàm non repugnent carni & ſanguini, luce meridianâ clarius eſt: & quid primos illarum Sectarum auctores impulerit, ad huiuſmodi Articulos proponendos, & quâ arte, quibúſque medijs alios induxerint, ut ſibi adhærerent, ex hiſtorijs fide digniſſimis perſpicuum eſt. 60

Secunda prærogativa, reddens unam Religionem præ aliâ digniorem creditu, eſt doctrinæ puritas & ſanctitas, & conſtans ad vitæ innocentiam inſtructio, inculcans timorem Dei, & amorem ferventiſſimum: qui enim ſincero affectu veram Religionem quærit, & Deo placere ſtudet, imprudenter utiq; ageret, eligendo ſectam illam, in quâ videt minorem eſſe curam innocentiæ. unde iterum conſequens eſt, ad divinam providentiam ſpectare, ut nulla ſecta falſa integritatem morum præ verâ promovere ſtudeat: 61

alioquin

alioquin vera Religio non nisi per imprudentiam & animi levitatem præeligi posset. Hâc quoq; prærogativâ pollere Romanam Ecclesiam ex Sanctorum vitis à Fide dignissimis conscriptis liquet, quos doctrina Catholica peperit, & ex infinitis propè ascetarum libris. 62 Quodsi qui apud Sectarios innocentis vitæ nomen jure sortiti sunt, tales evaserunt ex doctrinâ, quæ illi Sectæ cum Romanâ communis est, non ex specialibus Sectarum Articulis, qui potiùs ad omnem licentiam viam sternunt.

Ad hanc sanctitatis notam revocari potest Zelus propagandi Religionem purus, & 63 ab omni proprio commodo remotissimus. Cùm enim Deo non possit non esse optatissima propagatio veræ Religionis, à se unicè institutæ & dilectæ, & suppressio ac extirpatio falsarum, hinc evidenter credibile fit, eam Religionem esse cæteris præferendam, in quâ unicâ viget incredibilis Zelus divinæ gloriæ per universum mundum propagandæ, 64 & contra sectarios evidenter credibile fit, Christum volentem Ecclesiam suam toti mundo persuaderi, non usurum ad hunc finem unicè instrumentis à verâ Ecclesiâ sejunctis, qui planè eodem zelo, quo primitus Apostoli, hoc est, cum manifesto vitæ periculo, cum laboribus vix homini tolerabili-

bus,

bus, cum desertione patriæ, amicorúmque omnium, cum accessu ad gentes barbaras, uno verbo, cum electione voluntariâ exilij, sine ullius lucri temporalis desiderio, solo animarum lucrandarum amore, totos se impendant Christianæ Religioni propagandæ. Atqui sola Romana Ecclesia in suis membris 65
in hodiernum usque diem experitur hunc zelum Apostolicum; nullius verò alterius sectæ cultores ullam Provinciam paganorum aut gentilium ad Christum primitus convertere studeant; nullâ gentium curâ tanguntur, & si penes ipsos stetisset, Christiana Religio nunquam Japonibus aut Chinensibus regnis amplissimis illuxisset. Hoc quidem illorum 66
studium est, Provincias priùs per Ministros Romanæ Ecclesiæ ad Christum à Gentilitate adductas pervertere, & ad suos errores trahere exemplo Arianorum, qui perverterunt Gothos. Ergo Romana Ecclesia & nulla alia credenda est esse illa, de quâ Esaiæ 60 prænuntiatum est: *Aperientur portæ tuæ jugiter,* 67
die ac nocte non claudentur, ut afferatur ad te fortitudo Gentium, & Reges earum adducantur: quod vaticinium de solâ Romanâ Ecclesiâ verificari, nemo, nisi stultus, dubitaverit.

Ad hanc ipsam *sanctitatis* notam rectè reducitur insigne ornamentum Regularium sub certis Regulis DEO in vitæ austeritate

servien-

servientium, & per diversa media diversis hominum complexionibus opportuna ad apicem Perfectionis enitentium, animo sinceriſſimo, cum timore & tremore salutem operandi, cùm possent vivere vitam commodam & jucundam in sæculo. Nam ut
68 taceam eiusmodi vocationes prudentiſſimè credi, non nisi à DEO immitti, illud notatu digniſſimum est, quòd hoc ornamentũ primis sæculis exstiterit in Ecclesiâ, & huiusmodi Religiosi Psalmodiam Horásque canonicas de die & nocte celebraverint, sicut, quoad substantiam hodiéque celebrantur in Ecclesiâ Romanâ; quas tamen cæteræ sectæ abo-
69 minantur: quis potest prudenter credere hoc ornamentum fuisse à verâ Ecclesiâ translatum in falsam? Nec huic notæ quidquam præjudicat scelerata quorundam Religiosorum vita, sicut laudabilitati matrimonij nihil præjudicant multorum adulteria.

Huc etiam faciunt gradus in Clero, quibus primitiva Ecclesia ornabatur, modò ri-
70 dentur à sectarijs, apud quos nulli Diaconi, Subdiaconi, Levitæ, Exorcistæ, Acoliti, &c. item huc faciunt vestes sacræ, cultus Imaginum, Missæ, & Liturgiarum usus, &c. quæ omnia inveniuntur fuisse in primitivâ Ecclesiâ, modò sunt in solâ Romanâ. Quis ergo videns hæc omnia esse conformia primitivæ, & omni-

& omnium Christianorum tunc judicio veræ Ecclesiæ, non impellatur ad Romanam cæteris præferendam, si seriò quærit veram Ecclesiam, & credit, aliquam veram Ecclesiam in mundo reperiri?

Tertium Motivum majoris credibilitatis est innumerabilium Martyrum plusquàm humana fortitudo in profundendo sanguine potiùs, quàm abnegandâ suâ Religione: quî enim prudenter credibile est, tot milliones hominum, ex quolibet sexu, ætate, fortunâ mortem tantâ cum alacritate, & prævio desiderio, quæsitis insuper occasionibus mortem violentam subiviſſe pro Religione suâ, nec ad hoc præstandum fuisse divinâ & extraordinariâ virtute roboratos? quis credat prudens, DEVM permittere posse, ut tanta multitudo quærens DEVM eiúsque divinam voluntatem intentione sinceriſſimâ, & profundiſſimâ animi demiſſione, non solùm falsæ sectæ inhæreret, sed ad eam redigeretur necessitatem, ut pro falsâ sectâ tormentis exquisitiſſimis subijceretur? quis non credat potiùs, illam Religionem esse veram, & Christi sponsam, cuius membris Christus ipse prædixit tyrannorum persecutiones, ad eásque fortiter tolerandas, utpote indubitatos reciproci amoris indices, animavit? Atqui sola Romana Ecclesia habet hanc Martyrum copiam, in quibus ipsi tyranni nihil

71

72

73

vocabulorum involucris, sed distinctissimè, cum expressione circumstantiarum insuspicabilium, necdum existente in caussis secundis ullâ dispositione probabili talium eventuum, qui deinde ad amussim respondérunt. Huc etiam pertinet arcanorum nullo exteriore signo proditorum manifestatio, facta in confirmationem doctrinæ, quam prædicabant, qui talia perpetrârunt. Hæc enim prudenter negari non possunt à DEO procedere Authore, & consequenter Approbatore talis Religionis. Atqui nulla Religio potest hoc argumento uti, præterquam Romana, in quo iterum ad historicos appellamus. 77

Sextò denique, quod Religionem Catholicam præ cæteris omnibus prudenter credibilem facit, est mirabilis, & ultrà quàm humanâ quacumque seu industriâ, seu astu fieri posset, propagatio. Quàm enim humanitus est incredibile, fieri posse, ut res creditu difficillimæ (modo suprà explicato) à personis pauciſſimis & viliſſimis, quales fuerunt Apostoli, tot Regnis & Provincijs per totum terrarum orbem sine ullâ armorum violentiâ, sine sensuum blandimento persuaderentur, ita prorsus summâ fide credibile est, propagationem Christianismi, quousque eam factam esse per paucos piscatores oculis cernimus, DEI potiùs, quàm hominis opus esse. 78 79

Hoc ultimum argumentum, si rectè ponderetur (nec enim instituti operis brevitas patitur, ut pro rei dignitate calamo indulgeamus) tanti ponderis est, ut nobis, qui non spectavimus, quæ ab Apostolis gesta sunt, æq; reddant credibilem Religionem nostram,
80 acsi tempore Apostolorum vixissemus, & omnia spectâsemus. Nam ut acutissimè Angelicus Doctor *1. contra gentes c: 6.* argumentatur: *hæc tam admirabilis mundi conversio ad Fidem Christianam indicium certissimum est præteritorum signorum, ut ea ulterius iterari necesse non sit, cùm in suo effectu appareant evi-*
81 *denter. Esset autem omnibus signis mirabilius, si ad credendum tam ardua, & ad operandum tam difficilia, & ad sperandum tam alta, mundus absque mirabilibus signis inductus fuisset à simplicibus & ignobilibus hominibus.*

CAPVT VI.

82 ### DE CERTITVDINE ET FIRMITATE ACTUS FIDEI.

MOTIVA & argumenta credibilitatis hactenus allata sunt eiusmodi, ut in intellectu bene dispositio fundent judicium evidens credibilitatis, hoc est, judicium, quo evidenter judicamus, Articulos nostræ Religionis esse dignos assensu Fidei, & quidem

quidem assensu simpliciter firmissimo, non solùm firmitate extrinsecâ seu *affectivâ*, hoc est, merè proveniente à voluntatis imperio & decreto nunquam aliter judicandi, sed etiam firmissimo firmitate intellectuali, hoc est, qui ex suo modo tendendi omnem formidinem excludat, dicendo: *res ita se habet, & vi motivorum horum non potest se aliter habere.* uno verbo, argumenta Fidei sunt evidenter digna creditu, non posse non esse conjuncta cum verâ Dei locutione, nec proinde talibus motivis posse unquam falsum fieri credibile. 2. ad Timoth. 1. *Scio, cui credidi, & certus sum.* Tob. 3. *Pro certo habeat omnis, qui in te credit.* Act. 2. *Certissimè sciat Dominus Israel.* & c. 26. *Secundùm certissimam sectam nostræ Religionis.* 83 84

Controversia est, an omnis actus Fidei supernaturalis à quocunque hominum statu elicibilis debeat habere hanc certitudinem & firmitatem intellectualem. Ratio dubitandi nascitur ex pueris & rusticis, qui non videntur penetrare aliud motivum credendi, quàm authoritatem Parochi aut parentum: in his autem motivis non potest fundari judicium evidens, quòd res à Parocho dicta hoc ipso non possit se aliter habere, cùm evidens potiùs sit oppositum, posse scilicet Parochum & fallere & falli; quo perspecto, repugnat, posse ex imperio voluntatis oppositum judicari, quidquid minùs 85

consequenter dixerint aliqui, cęteroqui magni nominis Theologi.

Hâc dubitandi ratione moti aliqui, docent in huiusmodi simplicibus sufficere firmitatem Fidei respectivam, hoc est, proportionatam capacitati subjecti, nempe sufficere talibus firmum decretum non dissentiendi Parocho, quamdiu non viderint authoritatem Parochi enervatam motivis contrarium efficaciùs suadentibus: unde hi concedunt, posse falsum fieri credibile non quidem per actum supernaturalem, sed per actum naturalem, in modo tendendi similem actui supernaturali extituro tunc, si objectum à Parocho propositum verum esset.

186

187

Alij communiùs etiam in his requirunt firmitatem intellectualem; sed in assignando motivo credibilitatis non conveniunt. Aliqui recurrunt ad interiorem illustrationem & instinctum Spiritûs sancti, quem tunc solùm in se reflexè experiuntur, quando Parochi aut parentes verum dicunt: qui instinctus apparet dignus creditu, quòd non possit esse, nisi à Deo immissus in hunc finem, ut ipsi credatur in Parocho. Alij recurrunt ad aliquod discerniculum ex parte Parochi verum loquentis apparens, imperceptibile quidem naturaliter, perceptibile tamen per supernaturalem illuminationem, repræsentantem in Parocho

188

rocho conceptum illum ſupernaturalem, quem habet dependenter à verâ DEI revelatione, & indiſpenſabiliter connexum cum illâ.

Controvertitur itidem, an & quo ſenſu actus Fidei ſit certior quocunque aſſenſu naturali.

Controvertitur tertiò. An de eſſentia actûs ſupernaturalis Fidei ſit, eſſe verum. 89

CAPVT VII.

DE SVPERNATVRALITATE FIDEI.

ACTVS ſupernaturalis dividitur in ſupernaturalem quoad ſubſtãtiam, 90 & ſupernaturalem quoad modum: priorem aliqui definiunt: *cuius entitas exigens fieri à potentiâ naturali effici ab illa non poteſt viribus naturæ debitis abſque principio indebito univerſæ naturæ*: Poſteriorem verò, cuius entitas continetur intra vires ſufficientes debitas univerſæ naturæ, quin modus illius efficiendæ 91 debitus ſit, v.g. uſus rationis in infante.

Hâc occaſione diſputant hic aliqui ex profeſſo de Ente ſupernaturali in genere; alij alibi. Actum Fidei eſſe alterutro modo ſupernaturalem certum eſt; nam hoc ad minimum propugnârunt Patres adverſus Pelagium, & contra 24. propoſitionem Michaëlis Baij viden-

tur definiviſſe Pius V. & Gregorius XIII.

Quin imò eſſe ſupernaturalem quoad ſubſtantiam eſt hodie indubitatum apud Theologos. nec leviter colligitur ex Scripturâ dicente eſſe donum Dei, quo nos Pater ad ſe trahit, & ſine quo nemo venit ad Devm Jo. 6.

92 Ratio eſt, quia procedit ex habitu infuſo, ut ex alibi dictis conſtat; & denique vel omnia dona quoad ſubſtantiam ſupernaturalia neganda forent (quod eſſet erroneum) vel etiam Fidei actus inter illa numerandus eſt.

Ad actum Fidei concurrunt ſpecies intellectuales, quarum uſus & neceſſitas ex Philoſo-

93 phiâ conſtant.

Controverſia eſt. An hæ ſpecies ſint ſupernaturales, an naturales & acquiſitæ.

Judicium practicum credibilitatis dirigens voluntatis imperium eſt etiam quoad ſubſtantiam ſupernaturale: eſt enim reipſâ Gratia illuminans & excitans ad Fidem, quæ non

94 minùs eſt donum & Gratia per Chriſtum, quàm quæ dantur ad alios actus ſalutares: & non minùs debet eſſe proportio inter cognitionem præreq uiſitam, ad piam affectionem Fidei, quàm ad alios actus voluntatis ſupernaturales.

Controverſia eſt, à quonam habitu procedat judicium credibilitatis; an ab Habitu Fidei, an à Prudentiâ.

Ex

Ex eo, quòd actus Fidei sit obscurus, infertur, pendere ab imperio voluntatis, quod *Pia Affectio* vocatur; & est quoad substantiam supernaturalis, ad Philipp. 2. *DEVS est, qui operatur in vobis velle & perficere.* Actorum 16. *Dominus aperuit cor intendere ijs, quæ dicebantur à Paulo.* Concilium Arausicanum can. 5. 95 *Si quis sicut augmentum, ita etiam initium Fidei ipsum credulitatis affectum, quo in eum credimus, qui justificat impium, & ad regenerationem Baptismatis perventimus, non per gratiæ donum, id est, per inspirationem Spiritûs Sancti corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad Fidem, ab impietate ad pietatem, & naturaliter* 96 *nobis inesse dicit, Apostolicis dogmatibus adversarius probatur.* Trident. Concil. sess. 6. cap. 6. *Excitati divinâ gratiâ, & adjuti Fidem ex auditu concipientes liberè moventur in DEVM.*

CAPVT VIII.

DE NECESSITATE FIDEI 97 AD SALVTEM.

§. I. *De Actu interno.*

OMNIBVS adultis est necessarius necessitate medij actus aliquis Fidei divinæ. Ita Theologi colligunt ex Epist. ad Hebr. 11. ubi S. Paulus Fidem definiens, quòd sit *sperandarum substantia rerum,*

rum, argumentum non apparentium, eam deinde commendat ex actis Patrum, Abel. Enoch. Noë, Abraham, &c. usque ad David ac Prophetas. & quidem Enoch habuisse Fidem actualem probat Apostolus hoc syllogismo.
98 Sine Fide est impossibile placere DEO, aut accedere ad DEVM. atqui Enoch placuit DEO, & accessit per bona opera: ergo habuit Fidem. Præterea necessitas Fidei ad justificationem, sæpius exprimitur: ad Gal. 3. *Justus ex Fide vivit.* & c. 2. *Ex operibus Legis non justificabitur omnis, sed per Fidem.* ad Hebr 11. *Sine Fide impossibile est placere DEO.* Et Trident. Conc. sess. 6. c. 8. dicit, Fidem esse humanæ salutis
99 initium, fundamentū & radicem omnis justificationis. Deinde Tridentinum Concil. sess. 6. c. 6. *Disponuntur*, inquit, *ad ipsam Justitiam, dum excitati divinâ Gratiâ, & adjuti Fidem, ex auditu concipientes liberè moventur in* DEVM *credentes, &c.* Ratio est: quia, ut vidimus, homo est elevatus ad beatitudinem supernaturalem per merita consequendam, & propria
100 quidem, si sit adultus, hæc merita debent esse fini proportionata & supernaturalia, & per consequens ex actu intellectuali eiusdem proportionis procedere: supernaturalia autem non cognoscuntur, nisi per revelationem divinam. Accedit, quòd homo justitiam amiserit credendo serpenti potiùs, quàm DEO; congruum

gruum proinde est, non redire posse ad eandem, nisi captivando intellectum in obsequiũ DEI, quod fit per fidem.

Controvertunt aliqui Moderni, an sine Fide propriè dictâ possit dari opus meritorium, supernaturale, pendens scilicet à cognitione quoad substantiam quidem supernaturali, quoad modum verò cognoscendi simillimâ illi, quæ naturaliter eliceretur, nisi DEVS hominem elevaret. 101

Quia verò Articuli, qui tam scripto, quàm non scripto Verbo DEI proponuntur, plurimi sunt, & evidens est, omnium explicitam notitiam ad paucos pervenire, quærunt Theologi, quorumnam Articulorum explicita Fides 102 necessaria sit.

Et imprimis Fides DEI ut Remuneratoris est omnino necessaria ad Hebr. 11. *Accedentem ad DEVM oportet credere, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.*

Deinde Fides explicita Trinitatis & Incarnationis est adultis necessaria saltem in voto. 103 Nam adulti priusquam baptizentur, debent de his Mysterijs instrui, & tunc Fides explicita eorum concurrit ad justificationem tanquam dispositio, ut habet Trident. Concil. sess. 6. c. 6. Præterea eorundem Fides explicita est sub præcepto, ut dicemus: nemo autem adultus justificatur, nisi habeat voluntatem servandi omnia præcepta: ergo hæc voluntas est vo-

tum credendi illa Mysteria, casu quo sufficienter proponantur.

Controversia prima est. An hæc necessitas proveniat ex mero DEI arbitrio, an ex naturâ rei; item an sit necessitas merè moralis, vel major, & physica.

104 *Controversia secunda est. An non solùm in voto, sed in re sit necessaria Fides explicita Trinitatis & Incarnationis.*

Quoad necessitatem ex præcepto, Articuli in Symbolo Apostolico comprehensi sunt explicitè credendi, & sine gravi culpâ à nemine ignorantur ignorantiâ vincibili: tenetur enim quivis Christianus nôsse substantialia
105 Religionis suæ: hæc autem in illo Symbolo continentur. Non requiritur tamen eorum exacta intelligentia, sed satis est cognosci prout verbis illis crasso modo exprimuntur; imò nec omnes circumstantiæ Articulorum sunt scitu necessariæ; ut quòd sub Pontio Pilato contigerit Passio Christi; quòd fuerit
106 sepultus, &c.

Loquendo jam de objectis Fidei operabilibus, hoc est, quæ credenda sunt pro exercendâ operatione circa illa: imprimis ex præcepto credendus est Baptismus tanquam medium necessarium, & janua Fidei Christianæ, ad quam omnes tenentur. 2. Sacramentum pœnitentiæ; cùm omnes nôsse oporteat antecedenter

denter obligationem confitendi mortalia, casu quo, aliquod commissuri essent, alioquin hoc Præceptum non satis observaretur. 3. Idem de Eucharistiâ dicendum, cùm sit Præceptum illam sumendi: & quidem probabilius est, non sufficere nôsse, sub specie panis esse corpus Christi, & sub specie vini sanguinem, sed, sub unaquaque totum Christum contineri: etsi fortè non sit necesse, nôsse absentiam substantiæ panis & vini. 4. Sciendum est, in Sacrificio Missæ offerri Christum, cùm enim in Ecclesiâ non sit aliud Sacrificium, obligati sunt omnes hoc Sacrificium non ignorare; cùm teneantur illi diebus Festis interesse, & de jure gentium esse videatur, aliquod Sacrificium Deo offerre, ut constabit ex dicendis de Sacrif. 107 108

De cæteris quatuor Sacramentis verior sententia negat obligationem cognoscendi, nisi quis ea recipere velit. Quintò cognoscenda sunt Decalogi Præcepta, utpote à Deo pro omnibus lata. Parochis denique incumbit instructio non solùm huiusmodi necessariorum, sed plurium aliorum in quem finem editus est Cathechismus jussu Pij V. 109

§. II. *De actu externo.*

Duplex est Præceptum Confessionis Fidei, Negativum, & positivum. Negare Fidem exteriùs, etiamsi in animo retineatur, est

est peccatum contra Fidem, quamvis non expellat habitum Fidei, utpote principaliter datum propter Fidem internam. Ratio est, quia authoritas DEI omnino meretur, ut, sicut non debet servum pudere domini sui, ita Fidelem non debeat pudere suæ internæ subjec-
110 tionis erga divinam authoritatem; & huc respexit Christus Matth. 10. *Qui negaverit me coram hominibus, negabo eum coram Patre meo.* & Lucæ 9. *Qui me erubuerit & meos sermones, hunc Filius hominis erubescet.*

Regula itaque generalis circa silentium, hæc est, attendendas esse circumstantias, à quibus pendet, an silentium æquivaleat negatio-
111 ni positivæ, an potiùs habeat rationem contemptûs interrogantis: si enim tergiversatio vel silentium æquivaleat negationi vel erubescentiæ, aut sit formidinis indicium, unde irreverentia erga DEVM sequatur non minùs, quàm si positivè Fidem negares, non licet silere, sive interrogans sit Magistratus, sive privatus.

112 Quoad Confessionem Fidei ex præcepto affirmativo, placet annotare, Pium V. in motu proprio, incipiente In sacrosanctâ obligare ad Fidei Professionem publicam omnes Doctores, Magistros, Regentes, & alios quoscunque, ac cuiuscunque artis & facultatis Professores, sive Clerici, sive Laici sint, vel cuiuscunque

cunque Ordinis Regularis, qui docere vel promoveri voluerint. & Congregatio declaravit, hanc Bullam locum habere in docentibus prima principia Grammaticæ, Arithmeticæ, Musicæ, & aliarum artium, esto non sit in 113
publicis scholis, sed in privatis domibus: & additur pœna excommunicationis ipso jure, & privatio omnium beneficiorum, dignitatum, & officiorum, feudorum Ecclesiasticorum, adversus promoventes, qui hanc Fidei professionem exigere neglexerint, & in promotis nullam esse promotionem.

Licitum est, secluso scandalo, quandoque 114
nos occultare utendo vestibus hæreticorum, vel gentilium: nam inter vestes & verba discrimen est, quòd verba sint ex primariâ institutione signa cõceptuum, & teneamur ijs non uti, nisi ut signis, & cum intentione loquendi & manifestandi nostram mentem: vestes verò habent alium usum primarium, & possumus 115
illis uti absque intentione significandi nostram mentem, nec tenemur aliorum errorem impedire, neque censemur sic erubescere Dominum nostrum.

CAPVT

Ignorantia quantumvis affectata excusat ab hæresi formali & internâ.

Ex dictis constat, quænam propositio censuranda sit ut hæretica, nempe quæ est contradictoria propositioni Ecclesiæ. Verùm solent & aliæ propositiones varijs censuris affici à Doctoribus; quas breviter libet indicare, ad
122 cautelam in ferendis censuris,

Propositio *erronea* dicitur, quâ negatur objectum, quod quidem non est revelatum in se, nec deducitur evidenter ex duabus revelatis, sed deducitur ex unâ revelatâ, & unâ evidente.

Propositio hæresi proxima dicitur, quæ quidem non est notoriè hæretica, sed tamen à
123 pluribus gravibus, & alioquin ad censurandum non proclivibus Doctoribus judicatur, speculativè loquendo hæretica, licet ab alijs non putetur hæretica. Idem cum proportione dicendum de propositione errori proximâ.

Propositio *suspecta* vel hæresin sapiens est, quæ generat in audientibus probabile judi-
124 cium, & timorem inde consequentem, latere in illo homine hæresin occultam, vel saltem suspicionem movet.

Propositio malè sonans est, quæ peccat in abusu vocum diversarum ab usu communi Fidelium.

Propositio *offensiva piarum aurium* est, quæ pronun-

pronunciat aliquid ad Religionem pertinens verum quidem, sed quod juxta decorum non deberet dici: vel quod quidem decorè dici posset, non tamen verbis tam agrestibus & indecentibus.

Propositio *temeraria* est, quæ sine gravi fundamento, vel authoritate contraria est sensui communi Theologorum & sanctorum Patrum, saltem interpretativo. 125

Scandalosa est, quæ est inductiva aliorum ad peccatum, vel impeditiva devotionum.

CAPVT X.

DE SPE THEOLOGICA.

§. I. *Natura & objectum formale Spei.* 126

ACTVS Spei est actus Voluntatis, & non Intellectûs, ut hallucinantur hæretici, volentes, nō distingui Spem à Fide, quod absurdissimum est, cùm possimus credere salutem æternam esse nobis possibilem, & tamen de illâ desperare. Præterea, Spes includit desiderium rei speratæ, quod utique est actus voluntatis. 127

Naturam Spei in genere explicare ad morales Philosophos pertinet; quamvis hoc loco multi Theologi id præstare conentur. Brevissimè dici posset, rationem formalem

rum, argumentum non apparentium, eam deinde commendat ex actis Patrum, Abel. Enoch. Noë, Abraham, &c. usque ad David ac Prophetas. & quidem Enoch habuisse Fidem actualem probat Apostolus hoc syllogismo.
98 Sine Fide est impossibile placere DEO, aut accedere ad DEVM. atqui Enoch placuit DEO, & accessit per bona opera: ergo habuit Fidem. Præterea necessitas Fidei ad justificationem sæpius exprimitur: ad Gal. 3. *Justus ex Fide vivit.* & c. 2. *Ex operibus Legis non justificabitur omnis, sed per Fidem.* ad Hebr 11. *Sine Fide impossibile est placere DEO.* Et Trident. Conc. sess. 6. c. 8. dicit, Fidem esse humanæ salutis
99 initium, fundamentū & radicem omnis justificationis. Deinde Tridentinum Concil sess. 6. c. 6. *Disponuntur*, inquit, *ad ipsam Justitiam, dum excitati divinâ Gratiâ, & adjuti Fidem ex auditu concipientes liberè moventur in* DEVM *credentes, &c.* Ratio est: quia, ut vidimus, homo est elevatus ad beatitudinem supernaturalem per merita consequendam, & propria
100 quidem, si sit adultus, hæc merita debent esse fini proportionata & supernaturalia, & per consequens ex actu intellectuali eiusdem proportionis procedere: supernaturalia autem non cognoscuntur, nisi per revelationem divinam. Accedit, quòd homo justitiam amiserit credendo serpenti potiùs, quàm DEO; congruum

gruum proinde est, non redire posse ad eandem, nisi captivando intellectum in obsequiũ Dei, quod fit per fidem.

Controvertunt aliqui Moderni, an sine Fide propriè dictâ possit dari opus meritorium, supernaturale, pendens scilicet à cognitione quoad substantiam quidem supernaturali, quoad modum verò cognoscendi simillimâ illi, quæ naturaliter eliceretur, nisi DEVS hominem elevaret. 101

Quia verò Articuli, qui tam scripto, quàm non scripto Verbo Dei proponuntur, plurimi sunt, & evidens est, omnium explicitam notitiam ad paucos pervenire, quærunt Theologi, quorumnam Articulorum explicita Fides necessaria sit. 102

Et imprimis Fides Dei ut Remuneratoris est omnino necessaria ad Hebr. 11. *Accedentem ad DEVM oportet credere, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.*

Deinde Fides explicita Trinitatis & Incarnationis est adultis necessaria saltem in voto. Nam adulti priusquam baptizentur, debent de his Mysterijs instrui, & tunc Fides explicita eorum concurrit ad justificationem tanquam dispositio, ut habet Trident. Concil. sess. 6. c. 6. Præterea eorundem Fides explicita est sub præcepto, ut dicemus: nemo autem adultus justificatur, nisi habeat voluntatem servandi omnia præcepta: ergo hæc voluntas est vo- 103

tum credendi illa Mysteria, casu quo sufficienter proponantur.

Controversia prima est. An hæc necessitas proveniat ex mero DEI arbitrio, an ex naturâ rei; item an sit necessitas merè moralis, vel major, & physica.

104 *Controversia secunda est. An non solùm in voto, sed in re sit necessaria Fides explicita Trinitatis & Incarnationis.*

Quoad necessitatem ex præcepto, Articuli in Symbolo Apostolico comprehensi sunt explicitè credendi, & sine gravi culpâ à nemine ignorantur ignorantiâ vincibili: tenetur enim quivis Christianus nôsse substantialia
105 Religionis suæ: hæc autem in illo Symbolo continentur. Non requiritur tamen eorum exacta intelligentia, sed satis est cognosci prout verbis illis crasso modo exprimuntur; imò nec omnes circumstantiæ Articulorum sunt scitu necessariæ; ut quòd sub Pontio Pilato contigerit Passio Christi; quòd fuerit
106 sepultus, &c.

Loquendo jam de objectis Fidei operabilibus, hoc est, quæ credenda sunt pro exercendâ operatione circa illa: imprimis ex præcepto credendus est Baptismus tanquam medium necessarium, & janua Fidei Christianæ, ad quam omnes tenentur. 2. Sacramentum pœnitentiæ; cùm omnes nôsse oporteat antece-

denter

denter obligationem confitendi mortalia, casu quo, aliquod commissuri essent, alioquin hoc Præceptum non satis observaretur. 3. Idem de Eucharistiâ dicendum, cùm sit Præceptum illam sumendi: & quidem probabilius est, non sufficere nôsse, sub specie panis esse corpus Christi, & sub specie vini sanguinem, sed, sub unaquaque totum Christum contineri: etsi 107
fortè non sit necesse, nôsse absentiam substantiæ panis & vini. 4. Sciendum est, in Sacrificio Missæ offerri Christum, cùm enim in Ecclesiâ non sit aliud Sacrificium, obligati sunt omnes hoc Sacrificium non ignorare; cùm teneantur illi diebus Festis interesse, & de jure gentium 108
esse videatur, aliquod Sacrificium DEO offerre, ut constabit ex dicendis de Sacrif.

De cæteris quatuor Sacramentis verior sententia negat obligationem cognoscendi, nisi quis ea recipere velit. Quintò cognoscenda sunt Decalogi Præcepta, utpote à DEO pro omnibus lata. Parochis denique incumbit instructio non solùm huiusmodi necessariorum, 109
sed plurium aliorum in quem finem editus est Cathechismus jussu Pij V.

§. II. *De actu externo.*

DUplex est Præceptum Confessionis Fidei, Negativum, & positivum. Negare Fidem exteriùs, etiamsi in animo retineatur,

est

est peccatum contra Fidem, quamvis non expellat habitum Fidei, utpote principaliter datum propter Fidem internam. Ratio est, quia authoritas DEI omnino meretur, ut, sicut non debet servum pudere domini sui, ita Fidelem non debeat pudere suæ internæ subjec-
110 tionis erga divinam authoritatem; & huc respexit Christus Matth. 10. *Qui negaverit me coram hominibus, negabo eum coram Patre meo.* & Lucæ 9. *Qui me erubuerit & meos sermones, hunc Filius hominis erubescet.*

Regula itaque generalis circa silentium, hæc est, attendendas esse circumstantias, à quibus pendet, an silentium æquivaleat negatio-
111 ni positivæ, an potiùs habeat rationem contemptûs interrogantis: si enim tergiversatio vel silentium æquivaleat negationi vel erubescentiæ, aut sit formidinis indicium, unde irreverentia erga DEVM sequatur non minùs, quàm si positivè Fidem negares, non licet silere, sive interrogans sit Magistratus, sive privatus.

112 Quoad Confessionem Fidei ex præcepto affirmativo, placet annotare, Pium V. in motu proprio, incipiente In sacrosanctâ obligare ad Fidei Professionem publicam omnes Doctores, Magistros, Regentes, & alios quoscunque, ac cuiuscunque artis & facultatis Professores, sive Clerici, sive Laici sint, vel cuiuscunque

cunque Ordinis Regularis, qui docere vel promoveri voluerint. & Congregatio declaravit, hanc Bullam locum habere in docentibus prima principia Grammaticæ, Arithmeticæ, Musicæ, & aliarum artium, esto non sit in 113
publicis scholis, sed in privatis domibus: & additur pœna excommunicationis ipso jure, & privatio omnium beneficiorum, dignitatum, & officiorum, feudorum Ecclesiasticorum, adversus promoventes, qui hanc Fidei professionem exigere neglexerint, & in promotis nullam esse promotionem.

Licitum est, secluso scandalo, quandoque 114
nos occultare utendo vestibus hæreticorum, vel gentilium: nam inter vestes & verba discrimen est, quòd verba sint ex primariâ institutione signa cõceptuum, & teneamur ijs non uti, nisi ut signis, & cum intentione loquendi & manifestandi nostram mentem: vestes verò habent alium usum primarium, & possumus 115
illis uti absque intentione significandi nostram mentem, nec tenemur aliorum errorem impedire, neque censemur sic erubescere Dominum nostrum.

CAPVT

CAPVT IX.

DE HABITV FIDEI, EIVSQVE SUBIECTO, ET VITIO INFIDELITATIS OPPOSITO.

216 DE Existentiâ Habitûs Fidei supernaturalis dictum est ab initio huius tractationis. In specie verò probatur ex eo, quòd Gratia sanctificans sit quasi Natura in genere supernaturalitatis; ergo debet esse radix potentiarum ad actus tali statui proportionatos: atqui inter hos vel maximè est actus Fidei, utpote initium Justificationis.

217

Controversia est, quandonam Habitus Fidei producatur an aliquando sine productione Gratia.

Habitus Fidei manet in peccatore carente peccato Infidelitatis; sicut & Habitus Spei in carente peccato Desperationis & Infidelitatis.

218 Ita Trident. Concil. sess. 6 cap. 15. & can. 28.

An autem hoc proveniat ex naturâ horum habituum, an potiùs ex arbitrio DEI, & quæ huius sit congruentia, controversum est.

Habitus Fidei non manet in damnatis, teste D. Dionysio de divinis nominibus c. 4. asserente, dæmones carere omnibus divinis donis tam secundùm habitum, quàm secundùm actum.

actum. Ratio est, quia, si quid credunt, non credunt ex honestate, & reverentiâ erga DEVM, nec eâ firmitate, quâ digna sunt motiva credendi. Alia est ratio de animabus in purgatorio, ut patet.

Controversia est, an maneat in Beatis.

Infidelitas Fidei opposita sumitur aliquando strictiùs, prout cóvenit Judęis & Gentilibus, non item Hæreticis: hi enim saltem exteriùs profitentur Christum, & Christianis annumerantur. Latiùs tamen accipiendo 119

Dividitur cum S. Thoma q. 10, a. 5. in Paganismum, Judaismum, & Hæresin. Hæretici sunt Infideles illi, qui profitentur Messiam in veteri Lege promissum à vero DEO & à Prophetis prænuntiatum jàm venisse, eúmque esse CHRISTVM JESVM: Judæi sunt, qui credunt Messiam venturum, necdum tamen venisse: Pagani, qui nec venisse, nec venturum credunt, 120

Ad hæresin in foro externo ab Ecclesiâ punibilem requiritur aliqua pertinacia in dissentiendo ab Ecclesiâ Catholicâ, *argumento capituli damnamus: de Summa Trinit.* Ad hanc autem sufficit nósse, quòd ab Ecclesiâ dissentiat, (non obstante quòd obligetur cum illâ tanquam infallibili sentire) & hunc dissensum aliquo signo externo manifestet. Quapropter ex communiore sententiâ, quævis 121

Ignorantia quantumvis affectata excusat ab hæresi formali & internâ.

Ex dictis constat, quænam propositio censuranda sit ut hæretica, nempe quæ est contradictoria propositioni Ecclesiæ. Verùm solent & aliæ propositiones variis censuris affici à Doctoribus; quas breviter libet indicare, ad
122 cautelam in ferendis censuris,

Propositio *erronea* dicitur, quâ negatur objectum, quod quidem non est revelatum in se, nec deducitur evidenter ex duabus revelatis, sed deducitur ex unâ revelatâ, & unâ evidente.

Propositio hæresi proxima dicitur, quæ quidem non est notoriè hæretica, sed tamen à
123 pluribus gravibus, & alioquin ad censurandum non proclivibus Doctoribus judicatur, speculativè loquendo hæretica, licet ab alijs non putetur hæretica. Idem cum proportione dicendum de propositione errori proximâ.

Propositio *suspecta* vel hæresin sapiens est, quæ generat in audientibus probabile judi-
124 cium, & timorem inde consequentem, latere in illo homine hæresin occultam, vel saltem suspicionem movet.

Propositio malè sonans est, quæ peccat in abusu vocum diversarum ab usu communi Fidelium.

Propositio *offensiva piarum aurium* est, quæ pronun-

pronunciat aliquid ad Religionem pertinens verum quidem, sed quod juxtà decorum non deberet dici: vel quod quidem decorè dici posset, non tamen verbis tam agrestibus & indecentibus.

Propositio *temeraria* est, quæ sine gravi fundamento, vel authoritate contraria est sensui communi Theologorum & sanctorum Patrum, saltem interpretativo. 125

Scandalosa est, quæ est inductiva aliorum ad peccatum, vel impeditiva devotionum.

CAPVT X.

DE SPE THEOLOGICA.

§. I. *Natura & objectum formale Spei.* 126

ACTVS Spei est actus Voluntatis, & non Intellectûs, ut hallucinantur hæretici, volentes, nõ distingui Spem à Fide, quod absurdissimum est, cùm possimus credere salutem æternam esse nobis possibilem, & tamen de illâ desperare. Præterea, Spes includit desiderium rei speratæ, quod utique est actus voluntatis. 127

Naturam Spei in genere explicare ad morales Philosophos pertinet; quamvis hoc loco multi Theologi id præstare conentur. Brevissimè dici posset, rationem formalem

Spei consistere in amore, vel etiam gaudio appretiativo seu æstimativo, quo boni desiderati ut futuri probabilitatem quantumvis arduam aut incertam præferimus alijs bonis minùs amatis: adeóque præter desiderium dicere videtur erectionem quandam animi
128 liberam, quâ explicitè vel implicitè dico: Ego huius rei futuritionem probabilem, tametsi incertam vel arduam ita in pretio habeo, ut cum hoc vel illo bono quantumvis certo non commutarem, si alterutro carendum esset, quo sensu dicitur quis alteri vendere suam Spem, quando fructus incertos vendit. Econtra Desperatio formaliter erit actus nolitionis liberæ, quo bonum aliquod desideratum
129 propter consecutionis incertitudinem vel improbabilitatem nihili facimus, seu in nullo pretio habemus, hoc est, nulli bono certo eius comparabilitatem præferimus. Desperare enim aliud non est, quàm omnem animum deponere illud bonum consequendi, non ex odio aut contemptu illius objecti, sed propter
130 cõsecutionis incertitudinem: unde plenissima desperatio excludit omnem conatum & mediorum usum ad tale bonum consequendum.

Objectum formale Spei Theologicæ ut habentis rationem desiderij est DEVS, ut in se summè bonus, & cuius bona intrinseca evadent nostra bona per visionem & amorem

rem beatificum. Geneſ. 15. *Ego merces tua.* Pſal. 72. *Pars mea DEVS in æternum.* Unde S. Auguſt. in Pſal. 102. *Erige*, inquit, *ſpem tuam ad Bonum bonorum omnium, ipſe erit Bonum tuum, à quo omnia in ſuo genere facta ſunt bona.*

Prout verò Spes Theologica eſt appretiativa & æſtimativa, habet pro objecto formali Omnipotentiam & promiſſionem DEI, ac ſimilia attributa, quæ nobis aliquo modo reddunt probabilem futuritionem noſtræ beatitudinis. 131

Spem Theologicam in aliquo ſenſu eſſe certam & firmam dicitur ad Hebr. 6. *Qui confugimus ad tenendam propoſitam Spem, quam ſicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam.* & Trident. ſeſſ. 6. cap. 13. *requirit Spem firmiſſimam.* 132

Controverſia eſt, in quonam hæc Certitudo conſiſtat, & an ſe extendat ad omnia objecta ſperabilia.

§. 11. *De ſubjecto Spei.* 133

SPES nec quoad actum, nec quoad habitum eſt in damnatis: cùm hæc ſit ex graviſſimis eorum pœnis, deſperare de beatitudine conſequendâ. Neque etiam exiſtit in hæreticis formalibus: quia licet poſſit Fides manere ſine Spe, non tamen Spes ſine Fide, in quâ fundatur Spes.

In animabus purgatorij communissimè admittitur Spes quoad actum & habitum: quia licet illæ habeant certitudinem de beatitudine, ea tamen est certitudo inevidentiæ, quæ non pugnat cum Fide.

Controversia est prima. An maneat saltem
134 *quoad habitum in Beatis, & concurrat ad aliquos actus minùs principales Spei.*

Controversia secunda. An habens revelationem de suâ damnatione futura possit memor huius revelationis sperare, aut licitè desperare.

§. III. *De Præsumptione*

Spei opponuntur duo vitia, alterum per
135 defectum, *Desperatio*, alterum per excessum, *Præsumptio*. De priore jam dictum.

Præsumptio est, quando quis sperat salutem immoderatè, seu per viam extraordinariam. Procedit quandoque ex errore contra Fidem; v. g. si quis cum Pelagio speraret beatitudinem consequendam proprijs & solis
136 naturæ viribus: vel cum Luthero per solam Fidem sine operibus. Quibus casibus habitus Spei non tam amittitur per peccatum præsumptionis, quàm per peccatum Jnfidelitatis.

Præsumptionis tamen peccatum frequentiùs fit sine errore in Fide, scilicet quando quis imprudenter & temerè sperat auxilia aut clementiam Dei extraordinariam, qualem exercuit,

cuit, v. g. cum Latrone in cruce. Hoc peccato non expelleretur habitus Spei, quia non opponitur Spei in ordine ad motivum formale.

CAPVT XI.

DE CHARITATE

§. I. *De Objecto formali Charitatis.* 137

BONITAS, quæ se tenet ex parte objecti amati, & vocatur *Finis qui*, seu *cuius gratia*, duplex est; alia, quæ vocari potest *principalis*, & jam præsuppositа, quæ ut existens excitat voluntatem ad volēdum bene 138
alteri vel sibi: alia est, quæ ut primùm acquirenda intenditur: v. g. doctrina est ea, propter quam repertam in Petro amas Petrum, eique vis procurare dignitatem.

Amor alius est *Concupiscentiæ*, alius *Benevolentiæ*. Prior est, quando quis amando habet seipsum pro fine *CVI*, & quod vult, ideo vult, 139
quia sibi bonum est. Posterior, quando finis *CVI* est persona à nobis distincta.

Differt autem amor Benevolentiæ ab amore Concupiscentiæ, quòd ad amandum alterum ut finem *CVI* prærequiratur cognitio bonitatis præsuppositæ in personâ amatâ, ad amorem verò concupiscentiæ non est hoc necessarium: cuius ratio est, quia ad volendum

alicui bonum debet amans cum amato esse conjunctus: conjunctio autem est duplex, alia per identitatem realem, alia per Metaphoricam, hoc est, per voluntatem: cùm ergo unusquisque sibi ipsi sit conjunctus per identitatem, non est necesse prœcognosci in nobis
140 aliquam bonitatem, ob quam nos ipsos amemus, & per quam simus digni ulteriori amore, & ulterioribus bonis: hoc ipso enim, quòd illud bonum velim mihi, jam illud mihi conjungo per affectum, & etiam mihi eodem affectu jungor: at verò, quando volumus bonum alteri, res aliter se habet: ille enim alter est à nobis realiter distinctus: ergo non possu-
141 mus illi velle bonum ut fini *CVI.* nisi priùs saltem per affectum & Metaphoricè identificetur. Ratio ulterior est, quia quidquid volumus, illud aliquo modo nobis conjungimus, & fit aliquo modo nostrum bonum; unde omnia bona amici censentur esse nostra, quia perinde nos delectant, acsi essent verè nostra:
142 atqui bona, quæ volumus amico, illa nobis non jungimus immediatè: ergo mediante personâ amici: ergo debet præsupponi nobis conjunctus amicus: non aliter autem, quàm per affectum qui inveniat aliquod bonum: omnis enim amor movetur à bonitate. Ergo, &c.

Amor amicitiæ propriè sumptus ex parte objecti

objecti formalis amplius quid dicit, quàm nudum amorem benevolentiæ. Amicitia enim est mutuus amor non latens, ut definit Philos: adeóque fundatur in communicatione voluntariâ bonorum & vitæ, seu in voluntate sic communicandi, hoc est, amore amicitiæ amamus alterum, quem cognoscimus habere 143
voluntatem nobis in bonis Suis communicandi, & ab hâc voluntate movemur ad eum amandum, ut habet S. Thomas *q 23. a. 1. in C.*

Objectum formale Charitatis potest esse quæcunque perfectio divina quà talis, v. g, Omnipotentia, Scientia, &c. quævis enim ex his est amabilis super omnia, ut velimus facere, quidquid Deo placet. 144

Controversia prima est. An inter DEVM & hominem possit dari perfecta amicitia.

Controversia secunda esse potest, quo sensu Charitas sit omnium virtutum perfectissima.

Controversia tertia esse potest, an actus Charitatis possit imperare actus aliarum virtutum, & vicissim ab illis efficaciter imperari.

§. II. *De Charitatis augmento.* 145

HAbitus Charitatis, sicut & Gratia sanctificans possunt magis magisque intendi, quocunque tandem modo fiat intensio qualitatum, qui ex Philosophiâ petendus est.

Augetur autem habitus Charitatis per

actus Charitatis ad minimum illos, qui sunt intensiores ipso habitu præexistente: & quidem posse eiusmodi intensiorem actum elici, videtur esse debere extra controversiam: si enim potest eum homo elicere sine habitu, quando scilicet per actum Charitatis justificatur, quidni etiam cum habitu, DEO eius
146 vices supplente?

Controversia est prima. An habitus Charitatis intendatur actibus aquè, vel minùs intensis.

Controversia secunda. An præmium, quod meretur actus remissior, statim conferatur.

Controversia tertia. An per durationem actûs augeatur etiam habitus; & quâ ratione hoc explicandum sit, quin admittendum sit augmen-
147 *tum infinitum.*

Controversia quarta. An augeatur habitus Charitatis etiam per actus aliarum inferiorum virtutum.

§. III *De ordine Charitatis.*

148 PRimò omnium debemus amare DEVM, tanquam primum principium nostræ beatitudinis, ad quam procurandam Legè naturæ tenemur. Hinc omnis actus graviter peccaminosus, quantumvis amore nostri aut proximi factus adversatur Charitatis ordini. Huic autem ordini satisfit vitando peccatum, etiamsi vitetur non ex motivo formali Charita-

Charitatis, sed alterius virtutis, id, quod etiam aliarum virtutū obligationibus commune est, & patet ex dictis de Legibus.

Secundo loco tenemur amare animam nostram. Matth. 16. *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Ratio à priori est, 149
quia si hæc obligatio non esset, adeóque liceret prō salute proximi committere peccatum, jam hoc ipso peccatum non esset peccatum, quod enim licet, peccatum non est. Permittere tamen aliquod peccatum saltem leve, hoc est, exponere se tali periculo propter magnum bonum spirituale proximi, non est 150
contra ordinem charitatis; hoc enim non est practicè velle peccatum, sed tantùm speculativè. Aliud est dicendum de periculo proximo graviter peccandi; obligatio enim hoc periculum semper vitandi magis promovet uniuscuiusque salutem: sed de hoc in tract. de Pœnit.

Tertio loco diligere tenemur animam 151
proximi, adeóque præ corpore nostro, & bonis quibuscunque temporalibus; unde proximo in extremâ necessitate salutis constituto tenemur succurrere, si spes sit juvandi, cum periculo & jacturâ fortunarum, famæ, imò & ipsius vitæ. tunc autem censetur esse extrema necessitas, quando proximus absq;

tuo auxilio non poteſt æternam damnationem declinare. Ratio autem huius obligationis eſt; quia anima proximi ob capacitatem æternæ felicitatis & amicitiæ divinæ incomparabiliter prævalet cuicunque bono temporali; & quivis homo antecedenter ad
152 omnem caſum eventualem conſenſiſſet in huiuſmodi obligationem.

Quarto loco venit corpus noſtrum; ſecundariò tamen, & ratione animæ. Quinto corpus proximi; & inter hos magis diligendi ſunt conſanguinei & propinqui atque amici, quàm extranei & inimici: talis enim
153 prælatio eſt conformis inclinationi naturali.

Quando proximus eſt conſtitutus in neceſſitate corporali, tenemur etiam ex charitate illi ſubvenire in certis caſibus. Pro quo diſtinguenda eſt triplex neceſſitas: extrema, gravis, communis. Extrema eſt neceſſitas rerum ad vitam neceſſariarum, ſine quibus moraliter brevi eſt moriendum, vel
154 morbus incurabilis contrahendus. Grauis neceſſitas eſt earum rerum, ſine quibus veriſimiliter vita notabiliter abbreviabitur, vel morbus gravis incurretur. Communis neceſſitas eſt, quam habent pauperes mendicato viventes, apertè vel occultè.

Diſtinguenda etiam econtrario ſunt tria genera bonorum æqueribilium apud illos, qui nullam

nullam ex prædictis neceſſitatibus experiuntur. Ad primum genus pertinent, quæ ſunt illis neceſſaria ad ſuam, ſuorúmque vitæ ſuſtentationem, dicuntúrque neceſſaria ad naturam. Ad ſecundum genus ſpectant neceſſaria ad conſervationem ſtatûs, attentis eventibus, qui prudenter timeri poſſunt. Tertium genus continet ea, quæ ſtatui con- 155
ſervando ſuperflua ſunt. His poſitis

Neceſſitati extremæ, imò & gravi proximi teneris ex charitate ſubvenire (niſi prudenter exiſtimes alium ſubventurum) ex bonis non ſolùm ſtatui conſervando ſuperfluis, ſed etiam ſtatui convenientibus; non tamen ita neceſſarijs, ut ſine illis miſer evaderes, & 156
ex priſtino ſtatu decideres, cum tanto enim damno non teneris. Ratio eſt, quia ne propriæ quidem vitæ tuæ teneris cum tanto damno tuo ſubvenire. Jmò nec teneris ſubvenire extremæ neceſſitati unquam, quando opus eſſet medijs valde extraordinarijs, & ſumptuoſis, etiamſi tibi ſuperfluant: talis 157
enim obligatio vix unquam obſervaretur; minueret in civibus curam ſeſe honeſtè locupletandi, præberet alijs anſam temere ſeſe in huiuſmodi neceſſitates præcipitandi, &c.

Denique, licet humana vita phyſicè ſit præſtantior omnibus bonis fortunæ; non tamen in æſtimatione morali; ſæpe enim magnum

magnum malum est vivere; & quandoque gravius est statu excidere, quàm, go salvo, mori. Item vita brevis est, sed conservatio statûs in posteris dese aliquo modo perpetua.

§. IV. *De Correptione fraternâ.*

158 CORreptio duplex est, Judicialis, & Fraterna. Prior illa à superiore habente jurisdictionem procedit, & primariò spectat bonum commune ad quod pertinet, scelera non manere impunita, ut alij absterreantur: posterior à quovis erga alterum per se loquendo exerceri potest, & spectat primariò bonum privatum illius, qui corripitur; éstque actus misericordiæ, quo quis subvenit 159 spirituali necessitati proximi, dum à peccato revocatur.

Datur gravis obligatio huius fraternæ correptionis, Matth. 18. Luc. 17. *Corripe eum.* ubi nõ primùm fertur hoc præceptum, sed promulgatur Lex naturæ, quæ utique 160 non minùs obligat ad subveniendum necessitati spirituali, quàm corporali.

Ut hoc præceptum obliget, sequentes conditiones interveniant necesse est. Primò, ut sit spes emendationis; nam in contrario casu potiùs cederet in detrimentum proximi, quàm utilitatem. Secundò, ut correptio censeatur moraliter necessaria, sine quâ non sit probabi-

probabilis emendatio aliunde secutura. Tertiò, ut corripienti non immineat notabile detrimentũ, juxta paulò superiùs dicta.

Præterea observándus est per se loquendo, ordo declaratus à Christo. ut scilicet primò corripias secretò; deinde, si non proficis secretò, coram testibus. denique coram 161
Ecclesiâ, hoc est, Prælatis & Pastoribus. Dixi: *per se loquendo*: nam si crimen publicum sit, non est obligatio privatæ correptionis. item si quis cessisset jure suo, ut scilicet possint delicta immediatè ad superiorem deferri: prout omnes cedunt in Societate Jesv, ut habetur in eius Constit. approbatis à Sum- 162
mis Pontificib. & quoad hoc punctum in specie à Greg. XIII. ut videre licet apud Alphonsum Rodriquez part. 3. Perfect. Relig. tr. 8 c. 6. Imò, nullâ etiam cessione juris factâ potest delictum immediatè ad Superiorem deferri, quando de correptionis privatæ fructu dubitatur, & periculum im- 163
minet innocenti.

§. V. *De Scandalo.*

CHaritati opponitur scandalum. Definitur actio minùs recta (hoc est, vel mala, vel speciem mali habens) præbens proximo occasionem ruinæ spiritualis. Dividitur in activum & passivum: activum est

in eo

in eo, qui scandalum dat, passivum in eo, qui scandalizatur. Activum est propriè scandalum, prout paulò antè est definitum, Passivum dividitur in scandalum pusillorum, & in scandalum Pharisaicum. Pusillorum est, quando proximus ex opere alterius sumit
164 occasionem ruinæ, quia fragilis est. Pharisaicum est, quando proximus nullo dato scandalo activo ex propriâ malitiâ & perversâ voluntate ruit, ut Pharisæi condemnando Christum, quod manducaret cum peccatoribus, quòd non servaret Sabbathum, cùm alijs benefaceret, &c.

Scandalum activum potest procedere vel
165 ex Intentione directâ, vel ex indirectâ. Directa iterum duplex esse potest, vel ex odio proximi intendendo eius ruinam, quà talem, vel non ex odio proximi, sed ex aliquo commodo & gustu, ut si quis fœminam sollicitet. Indirecta intentio est, quando quis non obstante prævisо periculo lapsûs alieni operatur, licet ruinam non intendat. Quæ distin-
166 ctio seruit ad intelligendam controversiam, quandonam circumstantia scandali inducat speciem illius peccati, in quod proximus inducitur.

Tenemur scandalum pusillorum impedire (quando sine gravi nostro incommodo possumus) etiam omittendo actiones ex se quidem

dem licitas, sed respectu ignorantis speciem mali habentis. Sic Christus Matth. 17. cùm demonstrâsset Petro, se Lege solvendi didrachmatis non teneri, subjunxit tamen: *ut autem nō scandalizemus eos, vade ad mare, &c.* 1. ad Cor. 18. *Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in aternum.* 167

TITVLVS II.

DE JVSTITIA ET JVRE.

ABSOLVTIS Virtutibus Theologicis sequuntur Morales, ex quibus quatuor *Cardinales* vocantur à sanctis Patribus, *Prudentia, Justitia, Fortitudo, Temperantia*; ad quas cæteræ pertinent, tanquam partes potestativæ. Vocantur autem *Cardinales* ideo, quia principaliter & specificè exprimunt singulæ unam ex illis perfectionibus, quæ omni virtuti inesse debet. Imprimis enim omnis virtus debet esse prudens, & à Prudentiâ dirigi: est ergo Prudentia cæterarum virtutū Cardo & Fundamentum. Secundò omnis virtus debet esse *Justa*, hoc est, tribuere quod DEO, nobis, vel proximo debetur: hanc perfectionem specialiter & maximè exprimit Justitia 168 169

particu-

sui tanquam partis cum communitate tanquam corpore uno politico. *Vtrum differat ab obedientiâ, vel potiùs, an eadem sit in superiore & subdito, controvertitur quidem, sed parùm facit in rem præsentem.*

Vindicativa residet propriè in superiore habente potestatem puniendi delicta pro gravitate illorum. Neq; etiam hæc ad præsens institutum pertinet. 173

Distributiva dicitur, quæ commoda & onera communia, ut officia, beneficia, dignitates, &c. inter partes communitatis distribuit cum proportione Geometricâ ad singulorum merita.

Commutativa (de quâ maximè præsens tractatio procedit) respicit jura privatorum distributivè & seorsim sumptorum, & illi maximè & indubitatè convenit definitio mox tradenda. *Controvertitur enim, an etiam conveniat, & quo sensu commodè applicari possit Iustitiæ distributivæ, & quomodo differant Commutativa & Distributiva per ordinem ad Ius cuique tribuendum; in quo RR. non parùm laborant.* 174 175

Alia controversia esse posset; an hæ quatuor species conveniant in aliquo prædicato, per quod differant à cæteris virtutibus, quæ sunt ad alterum, ut est Pietas, liberalitas, veracitas, gratitudo, &c. vi cuius prædicati acceperint com-

mune nomen Iustitiæ. Sed hæc quæstio vix ab ullo curatur.

§. 11 *Definitio Iustitiæ commutativæ.*

176 DEfinitur *Constans & perpetua voluntas, jus suum cuique tribuendi.* Sensus est. Justitia est virtus inclinans, non obstante quacunque difficultate non excusante, ad cuique tribuendum illud, ad quod vel in quo jus habet, quod fit vel reparando, si læsum est, vel non lædendo, si adhuc integrum est.

177 JVS in ordine, ad quod tanquam ad objectum definitur Justitia, non debet definiri per ordinem ad Justitiam, vel Injuriam, sic enim committeretur vitiosus circulus; & præterea cavenda est huius vocis æquivocatio: JVS enim diversimodè sumitur. Primò pro ipsâ Jurisprudentiâ; sic JVS definitur

178 Ars æqui & boni. Secundò, pro loco, ubi Justitia administratur, seu Judicia exercentur; sic dicitur quis comparere in *Iure.* Tertiò, pro Regulâ seu Lege, quæ observanda est Judicibus in ferendâ sententiâ; sic aliud dicitur esse *Ius Canonicum, aliud Civile.* Quartò, pro facultate seu titulo aliquid agendi, vel ab alio exigendi in commodum ipsius agentis vel exigentis: v.g. qui occupat gemmam in littore repertam, habet titulo inventionis facultatem utendi gemmâ in commodum suum,

suum, & illum impedire nemini privato licet; & si quis gemam furatus esset, altero exigente obligaretur restituere: & huius obligationis mensura est voluntas inventoris: si enim non vellet furem obligatum ad restituendum, fur non obligaretur. Hoc itaque 179
JVS vocatur *Activum*, seu *Formale*, cui respondet JUS *Passivum*, seu *Objectivum*, v. g. restitutio facienda à fure, &c. & hoc denique JUS Passivum est illud objectum, in ordine ad quod definitur Justitia, & sine vitioso circulo definiri potest hoc modo.

IVS est actio vel omissio actionis ab eo præstanda, qui alteri ex præciso illius beneplacito obligatur. Subtilior & enucleatior horum ex- 180
plicatio scholis tradenda relinquitur.

Titulus verò huiusmodi obligationis inducendæ dividitur in Originalem seu Primævum, & in non primævum, sed supponentem priorem titulum in alio præexistentem. Primævus titulus habetur diversis modis. Primò per primam rerum divisionem factam ex consensu gentium: quâ divisione non 181
oportebat comprehendi res illas, quas, ut servirent ad felicitatem generis humani, non expediebat possideri ab ullo ad plenum eius beneplacitum, sed debebant manere communes, ut aër. cæteræ res debebant dividi, ut deinceps quisque sua curaret sedulò, &

otium vitaretur. Non poterant autem ita dividi ad amussim, ut nihil ulterius acquirendum remaneret. Unde

Triplex adhuc titulus primævus existit: *Venatio, Occupatio vel Inventio, Effectio.*

Excipitur tamen, per se loquendo Hominis effectio, quem, ob præstantiam naturæ, 182
propriæque felicitatis capacitatem ipsa Natura excepit, tribuendo illi suorum membrorum & potentiarum liberum usum in suum commodum: unde dicitur servitus contra naturam introducta: & meritò natura omnes homines liberos nasci voluit, alioquin hominum industria valde minueretur in perficiendis naturæ dotibus; nemo enim in 183
alterius commodum tam pronus est atque in suum. Dixi, *Per se loquendo*: nam de casibus à naturâ non comprehensis alibi dicetur.

Tituli non primævi sunt, v. g. Donatio, Venditio, Successio, &c. quibus modis transfertur titulus primævus in alium, ut perinde se habeat in hominum æstimatione donatarius, emptor, & successor, acsi ipse rem primus 184
occupâsset, effecisset, &c. In his ergo titulis fundatur *Ius activum*: quod dividitur in Jus in Re, & Jus ad Rem: seu in Jus Reale, & Personale. Hanc divisionem aliter Theologi, aliter Juristæ explicât. Theologi sic. Reale jus est, quòd immediatè tendit ad subordinandas

alteri

alteri res, personam verò non nisi in consequentiam subordinat. Jus Personale est, quod solùm tendit immediatè ad subordinandam Personam determinatam, in ratione agentis, nec rem persequitur. Juridicè sic exponitur. 185
Jus in Re parit Actiones Reales, Jus ad Rem Personales, quæ & Condictiones vocantur, de quibus copiosissimè Jurisconsulti, quorum aliqui observant, dari Jus mixtum, nempe quòd fundat actionem in personam quidem scriptam, sed rei persecutoriam, ubicunque sit: & huiusmodi sunt: *Actio ad exhibendum: Communi dividundo Finium regundorum: Familiæ herciscundæ.* de his exstant in libro 10. Digestorum quatuor tituli. 186

Actionum Realium præcipua est *Rei Vindicatio*, de quâ exstat Titulus I. Libri sexti Digestorum. Præterea dantur septem aliæ, videlicet: *Confessoria, Negatoria, Publiciana, Rescissoria, Pauliana, Serviana, quasi Serviana:* de quibus agitur in celeberrimo titulo tum 187
Institutionum tum Digestorum de *Actionibus.*

Controversia prima est, quo sensu dicatur Iustitia potius, quàm aliæ virtutes respicere Medium rei, & non rationis.

Controversia secunda, quo sensu deficiat Iustitia inter Patrem & Filium, Dominum & Servum, Maritum & Vxorem.

copiosiùs petenda sunt, quæ disputari solent de varijs subjectis Dominiorum, ut de Infantibus & Amentibus, de dominio servorum, Religiosorum, Clericorum, Filiorum familias, uxoris & mariti.

Item de modis acquirendi dominium jure gentium aut civili, ut Inventione, Venatione, Aucupio, Piscatione, Columbarijs, Li- 191
gnatione &c. Usucapione & Præscriptione. Nos breviſſimè aliqua insinuabimus, quæ Theologum sciendi cupidum ulteriùs dirigere poterunt.

§. II. *De Servitutibus.*

NON accipitur hìc *Servitus* pro Dominio in Mancipium, sed pro Jure, quod 192
definitur: *Ius in re alienâ constitutum, quo Dominus, quod alteri vel Personæ, vel rei commodum sit, aliquid aut pati in suo, aut in suo non facere cogitur.*

Dividitur in Personalem & Realem. Personalis est, quæ à re alienâ debetur immediatè Personæ. Realis, quæ à prædio alieno de- 193
betur immediatè prædio nostro. Servitutis Personalis tres sunt Species, *Usus fructus, Usus, Habitatio.*

Usus fructus definitur: *Ius utendi fruendi* (hoc est, omne emolumentum capiendi) *rebus alienis salvâ earum substantiâ.* conce-

ditur, per se loquendo, ad tempus vitæ.

Usus dupliciter sumitur, pro Usu Iuris & pro Usu facti. Primo sensu hic accipitur, & est *Ius utendi tantùm* (hoc est, sumendi, quantùm ad commodum sui, suorúmque sustentationem opus est) *rebus alienis salvâ*
194 *ipsarum substantiâ.*

Habitatio est Ius habitandi in ædibus alienis vel per se, vel per alium salvâ substantiâ.

Controversia est. An Usus rerum ipso usu consumptibilium possit ab earundem dominio separari, prout contra Ioannem XXII. constanter asseruerunt RR. PP. Franciscani.

195 Servitus Realis, seu Prædialis est duplex, Rustica & Urbana, quæ denominatio desumpta est ex eo, quòd prædium aliud sit Rusticum, aliud Urbanum. Rusticum est, quod principaliter exstructum est, ut præbeat usum in asservandis fructibus, pecoribus, vocariq; solent *Fundi*. Urbanum est, quod principali-
196 ter ad habitandum, vel etiam lucri, vel voluptatis causâ (sive in urbe, sive ruri, perinde est) exstructum est, vocatúrque *ædes*: quo etiam revocantur stabula meritoria pro recipiendis mercede equis aut hospitibus. Servitutes ergo, quæ ex naturâ solent prædijs urbanis deberi, urbanæ dicuntur, & quæ rusticis, rusticæ.

Species

Species Servitutum Urbanarum octo communiter enumerantur: altius tollendi: luminum vel immittendorum, vel non impediendorum: Tigni immittendi: oneris ferendi: suggrundi, seu Projecti: Cloacæ: Stillicidij: fluminis dirigendi. Rusticarum species novem. Iter: Actus: Via: Aquæductus: Aquæhaustus: Pecoris appulsus: Jus pascēdi: calcis coquendæ: Arenæ fodiendæ. De omnibus his exstant in Jure tituli *de servitut. prædior. Vrb. & Rust.* 197

§. III. *De Possessione.*

POssessio est etiam Jus in re contradistinctum à Dominio: contingit enim, ut quis possessor habeatur pro Domino, imò putet se esse Dominum, revera tamen non est, & ab alio in Judicio petitorio vinci potest, esto vicerit ipse in possessorio. Varia autem sunt Possessoris eiusmodi emolumenta: Præscriptionis inchoatio & progressus: Melior conditio in dubio, an sit dominus: Purgatio seu suppletio defectuum vitiositatis, nullitatis: ita ut (si sit immemorialis) sit probatio probata tituli, muniens possessorem privilegio singulari, ne inquiratur in titulum: securitas, adeò ut violentus invasor non solùm pellatur à possessione, sed etiam teneatur ad omnes fructus & damna subsecuta, & in- 198 199

ſuper amittat rem ipſam: vel ſi non erat illius dominus, illius æſtimationem: §. *ita tamen Inſt. de vi bon. rapt. L. ſi quis in tantam. C. unde vi.*

Poſſeſſio alia eſt juſta, ſeu juris, alia injuſta. Quatenus ab utraque abſtrahit, vocatur
200 Poſſeſſio facti. Poſſeſſio injuſta eſt merè facti. Poſſeſſio in genere definitur: *Rei corporalis detentio, corporis & animi, juriſque adminiculo.* Res incorporales, ut Jura & Actiones dicuntur *Quaſi poſſideri.* Requiritur ergo intentio ita detinendi, ut ab omnibus habeatur pro Domino, & res detenta debet non eſſe ex illis, quas Leges vetant poſſideri, de quibus agitur
201 Titulo primo Libri ſecundi Inſtitutionum. Poſſeſſio juris definitur: *Ius inſiſtendi rei non prohibitæ poſſideri.*

Poſſeſſionis celebris diviſio eſt in Poſſeſſionem Naturalem tantùm, Civilem tantùm, Naturalem & Civilem ſimul junctam in eodem poſſidente, v.g. ſi Dominus fundi abeſt
202 à fundo, poſſidet civiliter tantùm: ſi alius interea fundum occuparet, poſſideret naturaliter tantùm, tamdiu, quamdiu dominus non deponit animum recuperandi poſſeſſionem naturalem. De Poſſeſſione, eiúſque remedijs, quæ Interdicta vocantur, exſtat titulus decimuſquintus Libri quarti Inſtit. cuius Interpretes videri poſſunt.

§. IV.

§. IV. *De varijs Dominorum classibus.*

VAriæ sunt hominum classes, de quibus, an, & quousque Dominij capaces sint, considerationem instituunt Theologi: Infantes & amentes: Servi: Religiosi: Clerici beneficiati: Filijfamilias. Conjuges quà tales. 203

Infantes dominij capaces esse de fide certum est ad Gal. 4 idem de amentibus dicendum: horum itaque voluntatem supplet Respublica per se, vel per tutores; quæ supplendi potestas omnino necessaria erat ad rectam, felicémque gubernationem: si enim infantes non essent alienâ voluntate capaces dominij, 204 non essent parentes admodum solliciti in providendâ illis hæreditate: & fieret, ut Respublica mendicabulis abundaret, aliique gravarentur alendis ex charitate parvulis non suis: unde rursus consequeretur educatio pessima, mores corruptissimi. Sic etiam expediebat esse in Republicâ potestatem supplendi voluntatem Legatarij ignorantis 205 sibi aliquid relictum esse, nempe ut statim ab aditâ hæreditate, sine ullo proprio actu fieret dominus Legati eâ ratione, ut retrotrahatur, dominium ad instans mortis testatoris.

Servi de facto non ita fiunt incapaces dominij

minij ſicut fiunt profeſſi, eſto in multis comparentur: nam Servus in aliquibus ſaltem caſibus eſt dominij capax, ita ut rem acquiſitam non teneatur domino tradere, nec à Domino poſſit auferri. Servus itaque in tantùm duntaxat eſt incapax dominij, in quan-
206 tum hæc incapacitas cedit in utilitatem domini: unde ſi quis fortè donaret vel legaret ſervo eâ de cauſâ, ut ſe poſſet à ſervitute redimere, non acquireretur domino, ſed ſervo: ſi enim hoc caſu non eſſet capax dominij, ne quidem domino acquireret ob defectum intentionis in donatore: capacitas verò po-
207 teſt prodeſſe domino, quatenus ſe poterit redimere.

Religiones habent verum dominium in communi, exceptâ Religione PP. Capuccinorum & Minorum de obſervantiâ. Trident. ſeſſ. 25. c. 3. de Regular. & Monial. item exceptis domibus Profeſſis Societatis, earúmq; Eccleſijs (præter conſuetam habitationem
208 cum horto & vineâ) quoad bona immobilia ſeu reditus. Eiuſdem Societatis Religioſi ſolis ſimplicibus votis, poſt Novitiatum editis obſtricti, ſunt capaces dominij etiam in particulari, abſque tamen libero uſu, ſed dependenter à conſenſu Superiorum, ut declaratum eſt à Greg. XIII. in Bullâ *aſcendẽte Domino*, & *Quantò fructuoſiùs*; latâ excommunica-

municationis sententiâ contra id negantes. Quodsi talis absque Superiorum consensu disponeret, ex communiore sententiâ dispositio valeret, sicut valeret Matrimonium non obstante voto Castitatis simplici, nisi speciali Bullâ Gregorius XIII. irritâsset.

Circa Clericos: *Controversum est, an sint veri* 209
domini & non meri administratores fructuum ratione beneficij acquisitorum, adeò ut si ad usus profanos expendant ea, quæ ultra congruam sustentationem residua sunt, non peccent contra justitiam, nec qui acceperunt restituere teneantur. Et affirmativa hodie tam Theologis, quàm Canonistis communior 210
est, adeò ut Marsilius de Columna 55. Canonistas recitet, quos magnâ contentione sequitur Augustinus Barbosa juris Eccles: lib. 3. c: 17. à n. 10. quamvis minùs aptè alleget *c. Pervenit de fidejussoribus*, cùm loquatur de reditibus ad congruam sustentationem pertinentibus.

Filiusfamilias, etiam dum sub patriâ po- 211
testate constitutus est, peculij Castrensis & quasi Castrensis dominus est nō solùm quoad proprietatem, sed etiam quoad usumfructū: ad castrense peculium pertinent acquisita intuitu militiæ, vel in palatio Principis. ad quasi castrense, acquisita ex officio publico, feuda, dona Regis & Reginæ, & quæ in Clericatu acquiruntur. Peculij

Peculij adventitij dominium quoad proprietatem pertinet ad filiumfam: ususfructus ad patrem regulariter & per se loquendo, nam plures casus excipiuntur, qui videndi sunt apud Interpretes in titulum Codicis: *de bonis quæ liberis.* & in tit. Codicis & Digestorum *de Castrensi peculio.* Ad hoc peculium
212 pertinet, quidquid filius aliunde acquirit non intuitu primario patris, nec ab ipso patre: ut est hæreditas materna, donationes, lucra, industrialia, &c. Peculij profecticij, hoc est, eorum, quæ vel ex bonis patris advenerunt, vel patris intuitu donata sunt, ne quidem quoad proprietatem est dominus filius, sed
213 pater: §. *1. Instit. per quas personas nobis acquiratur.*

Denique dominium Dotis naturale manet penes uxorem, Dominium civile est penes maritum. *l. in rebus. C. de jure dotium.* Civile autem dominium est, quod non ex jure communi & naturali, & ex Legis auctoritate, juriisque fictione competit quoad effectus in
214 jure expressos. fructus tamen dotis lucratur maritus. *l un. §. cúmque ex stipulatu. C. de rei uxor: actione.* Verùm de his aliisque uxoris bonis consulendi Iuristæ, vel potiùs usus & consuetudo.

§. V.

§. V *De modis acquirendi Dominium Iure Gentium.*

SEclusâ omni conventione & pacto acquiritur Dominium vel Iure Gentium, vel Iure Civili. Prioris generis sunt: Occupatio, Nativitas, Alluvio, Specificatio, Confusio, Permixtio, accessio, Ædificatio, Plantatio, Fructuum perceptio, Traditio. De quibus, utpote facilibus, & ex praxi, quàm libris notioribus exstat titulus primus Libri secundi Instit. 215

Dubium Theologicum est circa bona inventa, & ab alijs amissa, quorum dominus ignoratur, ad quid teneatur inventor post adhibitam debitam diligentiam. Et licet plurimi obligent ad expendenda ea pauperibus, vel alijs usibus pijs, probabilior tamen & in praxi tuta est sententia contraria. Ratio est, quia verius est, dominos velle rem asservari ab inventore, vel si malit, bonâ fide distrahi, aut absumi, cum animo & obligatione restituendi, quantum inde locupletior factus est, casu quo dominus compareret, sic enim facit officium boni negotiorum gestoris. Ratio à priori est; si enim esset obligatio expendendi ad caussas pias sine ullâ spe lucri, vel hæc obligatio inciperet, quando rem invenit, sed necdum apprehendit, adeóque 216 217

que obligaretur ex justitiâ ad apprehendendum: vel post apprehensionem & investigationem domini: primum est falsum: poterat enim sine injuriâ relinquere in loco: Secundum quoque falsum videtur, hæc enim obligatio plus obesset, quàm prodesset domino:
218 multi enim nollent hoc onus sine spe lucri in se suscipere, & ideo rem relinquerent in loco, cum frequenti dominorum damno. sic videmus hæreditates illas non adiri, unde præter gravamina nulla spes affulget.

§. VI. *De modo acquirendi Dominium per Vsucapionem seu Præscriptionem.*

219 MOdus hic acquirendi ex suprema potestate & alto dominio Magistratûs in bona subditorum introductus est ad imponendum finem innumeris litibus alioquin cum maximo Reipublicæ incommodo nascituris ex eo, quòd sæpe plurimorum annorum
220 quietus possessor in judicium traheretur, & vexaretur ab illis, quorum potiùs in custodiendis rebus suis socordia punienda esset.

Definitur autem *Vsucapio*, seu *Præscriptio* Adjectio seu Acquisitio dominij per continuationem possessionis tempore & modo Legibus definito. Habétque locum in utroque foro tam interno, quàm externo. Lex enim

enim potest in bonũ Reipublicæ, exigente illius tranquillitate, de bonis subditorum disponere translatione dominiorum: ad hanc autem tranquillitatem utique spectat, dominia non manere incerta, lites non multiplicari, puniri socordiam &c. Omnia ergo bona per usucapionem acquiri possunt ijs exceptis, quæ contrario jure sunt munita, ut res sacræ, publicæ, furtivæ, vi ablatæ, bona adventitia, res pupillares, decimæ, earúmve solutio, legata & fideicommissa &c. quæ saltem ordinario tempore non præscribuntur. 221

Tria requiruntur ad Præscriptionem. 1. Titulus, hoc est, cáussa ex se habilis ad transferendum dominium, v.g. emptio, hæreditas, &c. 222
qui aliquando est coloratus, v.g. si donatio facta ex latente defectu non valebat, aliquando tantùm existimatus, v.g. si hæres mihi tradat rem quasi debitam ex legato, cùm revera legata non sit: aliquando tantùm præsumptus, scilicet quando ob temporis diuturnitatem jura præsumunt titulum intervenisse, esto fortè non intervenerit. 223
2. Bona fides, quâ quis saltem ab initio existimat, rem ad se pertinere. 3. Possessio certo tempore à jure determinato continuata, nec interrupta.

Ad præscribendum tempore ordinario (de quo postea) probandus est certus titulus. Non requiritur tamen coloratus (excepto emptio-

nis titulo) sed sufficit existimatus. *L. 27. & 48. ff. de Vsucap.* Titulus emptionis debet esse coloratus, hoc est, actio debet interveniſſe, nisi alius à me ad emendum constitutus mihi existimationem feciſſet, quasi res meo nomine empta esset. *L. fin. ff. pro suo. L. quod vulgo. ff.*
224 *pro emptore.*

In præscriptione Servitutum Realium loco tituli est scientia & patientia Domini, modò non desit bona fides, *l. 10. ff. si servitus vindicetur. l apparet. § pen. ff. de itinere actúq; privato.*

Titulus præsumitur in præscriptione temporis longissimi, hoc est, 30. annorum. *L.*
225 *omnes. L. cùm notissimi. L. fin. C. de Præscript 30. vel 40. annorum. c. de quartâ. c: ad aures. cc illud: de præscript.* dummodo possessio talibus personis prohibita non sit, nec aliunde sit præsumptio malæ fidei. Resistentia sola Legis non obstaret præscriptioni temporis immemorialis, nisi de titulo vitioso constaret. *c. 1. cit.* & hæc de Titulo.

Bona fides oritur ex ignorantiâ, de quâ vi-
226 dendum, quando prosit. In illis ergo personis in quibus universim ignorantia juris toleratur, ut sunt milites & minorennes, ignorantia juris non videtur obstare præscriptioni, sed sufficere, alioquin non apparet, quid illis personis privilegium tolerantiæ prosit: si enim non prodest ad lucrandum, sed solummodò ad

non

non incurrendum damnum, non est speciale, sed omnibus commune. *L. juris ignorantia. ff. de juris & facti ignor.* & colligitur ex *L. 1. & 2. L. quamvis. C. eod.* fœminis tamen & rusticis ex hoc capite non passim subvenitur.

Quando ad præscribendum non sufficit titulus præsumptus, ignorantia juris indubitati obstat præscriptioni in cæteris personis, in quibus ignorantia juris non toleratur. *L. juris. ff. de jur. & facti ignor. L. 2. §. si à pupillo. ff. pro emptore.* Neque hæ Leges fundant se adæquatè in præsumptione scientiæ Legis: alioquin Iudices tenerentur explorare, an actor fortè fateatur in alterâ parte fuisse ignorantiam juris, & si de hâc constaret, esset pro præscriptione ferenda sententia, quod non fit. Aliæ ergo causæ fuerunt, ita statuendi, v. g. ut omnes stimularentur ad ea jura cognoscenda. 227 228

Ius Civile ad usucapionem ordinarij temporis solùm requirebat bonam fidem ab initio possessionis. *L. si existimans. ff. pro soluto.* ad præscriptionem verò longissimi seu extraordinarij temporis, ne quidem ab initio possessionis requirebat. *L. sicut. L. cùm notissimi. C. de præscript. 30. annor.* sed cùm hæ Leges peccata foverent, correxit Ius Canonicum, iisque derogavit, requirendo bonam fidem toto præscriptionis tempore, saltem ut inci- 229

peret cum probabili opinione rem esse possidentis, deinde verò nunquam innotesceret esse alienam, esto fortè dubium supervenire, quod non obstaret.

Sed quâ ratione mala fides auctoris noceat successori, meritò dubitatur. Probabiliùs videtur primò, malam fidem obesse successori universali saltem immediato, de jure communi. *L. cùm hæres. ff. de diverſ. tempor præſcript. L. ſi malâ fide. C. communia de Vſucap.* Ratio est, quia talis repræsentat defunctum. Secundò, successori singulari proximo mala fides auctoris etiam nocet quoad res immobiles, si auctor rem alienavit ignorante domino, secùs, si dominus sciens non est litem contestatus. *auth. malæ fidei. C. de præſcript. long. tempor.*

230

231

Tempus requisitum ad præscribendum est varium. 1. Res mobiles cum titulo & beneficia possessâ pacificè cum cæteris requisitis in Regulâ 33. Cancellariæ triennio præscribuntur. 2. Res fiscales denuntiatæ contra Fiscum, Fiscus item rem alienam à se venditam contra dominum quadriennio. 3. Res immobiles cum titulo inter præsentes, decem, inter absentes 20. annis (exceptis rebus minorum) sine titulo 30. annis. 4. Contra Ecclesiam Romanam immobilia. 100. an. contra inferiores Ecclesias non specialiter privilegiatas 40. an. 5. Ser-

232

5. Servitutes tempore ordinario cum titulo, sine titulo, discontinuæ non nisi tempore immemoriali. 6. Nomina, actiones, & obligationes ex contractu ortæ 30. ann. exceptâ actione hypothecariâ, quæ 40. annis præscribitur, si res hypothecata apud debitorem vel eius hæredes existat: si verò apud tertium possessorem, extinguitur, quando res ipsa hypothecata præscribitur, De his videri possunt jura & tituli citati. 233

Interruptio possessionis factâ litis contestatione vel denuntiatione extrajudiciali est tantùm respectiva, hoc est, respectu illius, in cuius favorem est introducta, & est tantùm conditionata, scilicet, si vincat actor. Differt à *dormitione* præscriptionis, quòd hæc nō impediat conjunctionem temporis præcedentis cum sequente, sicut impedit interruptio. Dormit præscriptio tempore vacantis Ecclesiæ, schismatis, grassantis pestis, sævientis belli, 234

CAPVT III 235

DE JNIVRIIS ET RESTITVTIONE IN GENERE.

INIVRIA, prout sumitur à Theologis, est voluntaria actio vel omissio actionis contra jus alterius. Hinc nata est juris Regula, quòd volenti & consen-

tienti non fiat injuria ; nempe volenti & consentienti voluntate efficaciter abdicativâ juris. Dixi: *efficaciter*. Si enim Lex tali abdicacationi resistat, ut resistit pupillo, minorennibus, & alijs quibusdam, reddens illos inhabiles ad sua bona alienanda, talibus, inquam,
236 etiam quantum in se est consentientibus fieri potest injuria.

RESTITVTIO prout est actus Iustitiæ commutativæ, est rei alienæ in se vel in æquivalente redditio. Strictiùs sumendo est reparatio læsionis juris alieni.

Præceptum naturale restituendi, obligat statim per se loquēdo,& nisi interveniat caussa
237 legitimè excusans, ut infrà dicetur. Hinc est, in effectu hoc præceptum esse negativum, tametsi proferatur verbis affirmativis; quod ideo fit, quia communiter non fit sufficiens restitutio per *non retentionem*, sed debet adhiberi positiva actio, seu traditio.

Duplex dicitur esse radix obligationis re-
238 stituendi ex Lege naturali (seclusis pactis & Legibus pœnalibus) Prima, *ex Re acceptâ*, Secunda, *ex injustâ læsione*. Prior tunc locum habet, quando sine ullo meo peccato contra justitiam res aliena ad me pervenit: tunc si adhuc exstat, est restituenda suo domino; sin minùs, restituendum solùm est, in quantum locupletior inde factus sum. Secunda radix

locum

locum habet, quando jus alterius peccaminosè læsi; & tunc teneor totum damnum, si reparabile est, reparare, tametsi nihil locupletior factus sim. Utrique Radici idem & commune fundamentum est exigentia felicitatis humanæ, & vitæ socialis, cui omnino necessaria est concordia; hæc autem subsistere neutiquam posset, si quis cum alterius jacturâ & sine ipsius culpâ locupletari posset, nec teneretur ad resarciendum damnum culpabiliter illatum, ut consideranti facilè patet. 239

Præter has radices, quæ sunt juris naturæ, dantur aliæ ex Lege positivâ; & imprimis ex *Lege Aquilia* de damno injuriâ dato per positivam actionem in aliquâ re corporeâ, de quâ exstat in *Digestis* Titulus secundus, Libri noni, & in Institutionum Libro quarto, Titulus tertius. Exstant præterea plures Leges diversis juris titulis comprehensæ, quibus obligantur aliqui ad reparandum damnum alteri datum sine omni planè culpâ; quarum Legum finis & utilitas est, ut inter cives summa foveatur cautela in præcavendis etiam fortuitis aliorum damnis, quæ alteri ex aliquâ re alterius evenire possent: & à Jure Consultis dicitur huiusmodi obligatio nasci ex *Quasi-delicto*. de quibus exstat Institut. Lib. 4. Titulus quintus, octavus, & nonus. 240 241

Controversia est, an hæ Leges obligent in conscientia ante Iudicis sententiam.

Ut autem constet, quænam culpa sufficiat ad inducendam jure naturæ obligationem restituendi pro damno illato, sciendum est, præter culpam Theologicam, hoc est, peccatum, dari etiam culpam *Iuridicam*, quæ aliud non est, quàm omissio alicuius diligētiæ, quam quis vel ex Lege, vel ex conventione tenebatur adhibere. 242

Est autem Culpa Juridica quintuplex, *Latissima*, *Latior*, *Lata*, *Levis*, *Levissima*. Latissima est dolus apertus: Latior, dolus præsumptus, ut si non cures rem alienam sicut tuam, cui adnumeratur ignorantia Juris communis. Lata est omissio diligentiæ communis seu communiter ab omnibus adhiberi solitæ. Levis, est omissio diligentiæ, quam homines providentiores solent adhibere. Levissima est omissio diligentiæ exactissimæ. 243

Culpam merè juridicam sine interventu culpæ Theologicæ non obligare in conscientiâ ex naturâ rei, & secluso speciali pacto tenent communi consensu Theologi contra Canonistas. 244

Controversia prima est. An sufficiat culpa venialis ex defectu advertentiæ, vel requiratur culpa mortalis ad obligationem restituendi damnum grave.

Controver-

Controversia secunda. An qui ex errore judicat se inferre damnum minus, teneatur solùm restituere secundùm suam æstimationem damni.

Controversia tertia. An ex solâ intentione nocendi possit actio nociva reddi injusta inducens obligationem restituendi. 245

Controversia quarta. Ad quid teneatur, qui officium cum damno alterius malè administravit,

Controversia quinta. Ad quid teneatur, qui contra naturam contractûs culpam civilem commisit.

Controversia sexta. An obligatus restituere teneatur unâ cum re restituere fructus, & quales, 246 *& quas expensas deducere possit.*

Controversia septima. Ad quam restitutionem teneatur, qui ex delicto contraxit debita incerta, hoc est, quorum dominus non potest sciri.

CAPVT IV.

DE INIVRIIS IN BONIS FORTVNÆ. 247

PECCATVM contra justitiam in bonis fortunæ est ex genere suo, hoc est, nullâ aliâ specie accedente, mortale, nisi vel inconsiderantia, vel parvitas materiæ excuset,

Sicut autem potest assignari materia tam exigua, quæ omnium consensu, per se loquendo, & secluso damno per accidens connexo, est insufficiens ad peccatum mortale, ita econtrario potest assignari materia tam gravis, quę omnium judicio sufficit ad mortale. Magna
248 tamen inter DD. contentio & dissensio vel divinatio potiùs est circa utriusq; extremi confinia, hoc est, quænam sit illa quantitas, quæ sit mortalis, ita, ut vel minimo dempto non sit mortalis, & econtra, quænam sit illa quantitas levis, cui si vel minimum addas, fiat mortalis. dari huiusmodi terminos reipsa, non est dubium: homini autem eam demonstrare
249 practicè & designativè, est moraliter impossibile; nam etsi fortè in abstracto possit dari regula, eáque demonstrari (ut videbimus) applicatio tamen practica illius Regulæ semper manet incerta, & æquè probabiliter ab alijs ad plus, ab alijs ad minus applicabitur. Ratio huius est, quia Regula prout in abstracto &
250 scientificè assignatur, debet esse prorsus invariabilis & stabilis, applicatio verò variabilis pro variatione circumstantiarum, v.g. annonæ & charitatis, penuriæ vel abundantiæ, &c. contingit enim, ut uno loco vel tempore sufficiant pro sustentatione unius anni triginta aurei, alio vix sexaginta: & quia de hâc circumstantiarum varietate non potest homini

in

in indivisibili certò constare, hinc Regulæ applicatio semper patitur probabilem latitudinem.

Quia verò Regula discernendi quantitatem gravem seu notabilem (qui termini sunt synonimi, & ineptè unus per alium explicatur) à quantitate levi, seu leviter damnificante, non potest meliùs explicari, quàm in ordine ad aliquem sensibilem effectum physicum, v.g. cuius ablatio est apta per se caussare dolorem & tristitiam communiter inimpedibilem, vel inimicitiam, vel alium similem, ideo 251

Controversia est prima, in ordine ad qualem effectum debeat explicari, & tradi Regula Quantitatis sufficientis ad mortalem lasionem alterius. 252

Controversia secunda. An in applicatione illius Regulæ sit taxanda practicè eadem omnino quantitas pro omnibus cuiuscunque conditionis hominibus, vel sit taxanda diversa pro diversis hominum classibus, v.g. alia pro Regibus, alia pro alijs opulentis, alia pro communi civium conditione, alia pro pauperibus. 253

Plura parva damna eidem ab eodem successivè illata possunt inter se coalescere ita, ut denique nascatur obligatio gravis non addendi illud, quod secundum se modicum esset, & si superaddatur, nascitur obligatio gravis resti-

restituendi: requiritur autem, ut aliquo modo tempore inter se copulentur, hoc est, non adeò distent, ut ratione distantiæ læsus non videatur secundum furtum, graviùs ferre ex suppositione primi, sed leviter, perinde acsi primum furtum non præcessisset. huiusmodi
254 distantiam volunt aliqui esse annum.

Non solùm quando eidem fiunt plura damna levia, possunt denique parere obligationem gravem, sed etiam est obligatio gravis non auferendi summam gravem pertinentem ad plures secundùm partes minimas. Prov. 11. *Statera dolosa abominatio est apud DEVM.* Ratio est. Quia licet directè & immediatè non inferatur ulli damnum grave; si tamen liceret
255 huiusmodi praxes, ex intentione à pluribus auferendi, v.g. per injustas gabellas & tributa, Respublica graviter turbaretur.

Restitutionis obligatio reddit quandoque licitam occultam compensationem, quam sibi læsus facit ex bonis lædentis: ad cuius tamen honestatem sequentes conditiones requiruntur. Prima, ut nulla sit spes, alio non valde
256 difficili medio restitutionem obtinendi. Secunda, ut factâ occultâ compensatione non admittas secundam solutionem. Tertia, ut hâc compensatione non des causam damni longè gravioris, quod patietur fortè aliquis innocens, cui furtum imputabitur. Quarta, ut

fiat

fiat cum minore incommodo debitoris, quo fieri potest. Quinta, ut debitum sit certum; quam conditionem communissimè Doctores requirunt, uno alteróve excepto, qui putant, sufficere probabilitatem.

CAPVT V.

257

DE INJVRIIS IN BONIS FAMÆ ET HONORIS.

§. I. *De Iudicio temerario.*

FAMA Theologicè sumpta est bona existimatio aliorum de bonis nostris, quibus excellimus; cuiusmodi sunt virtus, ingenium, doctrina, divitiæ, pulchritudo, nobilitas, valetudo, gratia, favor Principum, &c. *Honor* est testificatio excellentiæ alterius. Jurisperiti Famam accipiunt, prout opponitur *Infamiæ*, hoc est, illi formæ, à quâ homines denominantur *Infames*, & sic Fama definitur *Dignitatis illæsa status legibus ac moribus comprobatus, qui ex delicto nostro authoritate Legum aut minuitur, aut consumitur.* 258 259

Fama proximi theologicè sumpta læditur imprimis *judicio temerario*; quod definiri potest: Judicium seu sententia interna voluntaria sine sufficiente fundamento lata contra alterum in rebus ad bonam existimationem spectantibus. Debet esse ex fundamento levi, quod

quod non nisi imprudentem & levem animum possit movere ad assensum.

Judicij temerarij quatuor gradus communiter assignantur: supremus est Judicium temerarium antonomasticè dictum, hoc est, cum tantâ firmitate elicitum, ut excludatur
160 omnis voluntaria formido, vel, quando quis statuit non recedere à suâ opinione, nec inquirere in motiva contraria. Proximus gradus est *Opinio*, hoc est, habens adjunctam voluntariam formidinem & vacillationem, nec excludens voluntatem inquirendi magis. Tertius est *Suspicio*. Quartus, *Dubitatio*. Valde tamen laborant Theologi in assignandis dif-
161 ferentijs horum graduum. Dicamus interea, Dubitationem strictè sumptam esse judicium, quo leviter judico, v.g. de Clerico, quem vidi cum juvene familiariùs loquentem, dubium esse, an sit castus. Suspicio autem erit, quando quis positivè judicat, subesse probabilitatem Incontinentiæ, & ideo magis lædit famam, quàm Dubitatio: alij aliter interpretantur.
162 in praxi tamen rarò dabuntur hæc reflexa & voluntaria judicia, ita ut possint discerni: ex genere suo non habent malitiam gravem.

Pro diversitate horum graduum requiruntur quoque & sufficiunt diversa indicia excusantia à temeritate judicij. in exemplo. Si videas Clericum cum fœminâ suspectâ solum, & fa-

& familiariter colloquentem, erit aliquando sufficiens fundamentum *dubitandi*, an sit studiosus continentiæ, non tamen ad suspicandum: quod si videres illum cum fæminâ illâ nonnihil jocantem, esse posset sufficiens fundamentum suspicandi: quodsi accederent tactus faciei, palpatio manuum, esset fortè fundamentum opinandi: si denique accederet 262
osculum & amplexus, esset fundamentum judicij firmioris.

Temeritas in judicando potest contingere dupliciter: Primò & rariùs, quando videns insufficientiam fundamenti & indiciorum nihilominus ex malitiâ pergo judicare. Secundò & frequentiùs, quando nolo inquirere, an in- 264
dicia sint sufficientia ad talem gradum judicij, advertens obligationem inquirendi: & tamen pergo judicare.

Judicium temerarium supremi gradûs, si est in materiâ gravi, & deliberatum, est peccatum mortale. Luc: 6. *Nolite judicare, & non judicabimini.* Materiæ autem gravitas non est 265
unicè metienda ex objecto, sed etiam ex conditione personæ; Religiosus enim meritò graviter ferret haberi pro mendaci, garrulo, indevoto, indocto, quod miles non admodum curaret.

§. II.

§. II. *De Detractione.*

DEtractio est alienæ famæ injusta apud alios denigratio seu diminutio. Fit quidem communiter verbis, sed quandoque etiam factis, quæ tamen verbis æquivalent, ut si pingas in januâ patibulum, affigas cornua, &c.
266 imò aliquando ipso silentio fit detractio, v.g. si alio laudante taces, videns alios existimaturos, te aliter sentire. Denique etiam laudando frigidè, ut appareat, te non agere seriò. Fit detractio, non solùm falsum crimen tribuendo, sed etiam verum, sed occultum, manifestando; sic enim injustè spoliatur proxi-
267 mus possessione bonæ famæ apud alios.

Detractio alia est simplex, alia est *Susurratio*, nempe quando læditur fama apud illas personas, apud quas consequenter læditur pax, concordia, charitas, ut inter consanguineos, domesticos, familiares, &c. tenetúrque susurro nō solùm ad restitutionem famæ, sed etiam pacis & concordiæ: & est peccatum specie
268 distinctum à simplici detractione.

Controversia est prima. An, & ex quo capite differat Detractio specie à temerario judicio.

2. An Detractio possit esse peccatum mortale, si fiat in materiâ gravi apud unum solum hominem, qui rem secretam tenebit, nec aliud damnum inferet illi, cui detractum est.

§. III.

§. III. *De Notorietate excusante.*

NOtorietas seu Publicitas delicti vel defectûs excusat à vitio detractionis, redditque licitam illius ulteriorem propagationem. Ratio est: nam etsi per ulteriorem manifestationem adhuc grave damnum inferatur illi, cui detrahitur, majus tamen emolumentum ex huiusmodi licentiâ redundat in Rempublicam, quod omnino præponderat damno famæ, quod ex tali licentiâ patitur diffamatus. Quando enim crimen vel defectus jam est publicus, expedit posse alios adhuc ignorantes etiam fieri certiores, ne alioquin honorent, aut magni faciant eum, qui apud alios communiter & publicè bonâ famâ caret: quæ honoratio & æstimatio cederet in aliorum præjudicium, qui habentes famam integram æqualiter honorarentur cum habentibus famam notoriè læsam, & diminutam, sine jure recuperandi, eò quòd cum veritate sint infamati. 269 270

Hæc verò ratio non procedit, quando defectus occultus est: tunc enim, si liceret illum propalare, plurimi, qui ex fragilitate lapsi sunt, desinerent habere frenum honestioris vitæ & morum, qui defacto mores rectè componunt, ut bonam existimationem apud alios necdum criminis gnaros conservent, non ita 271

composituri, si scirent licere defectus occultos propalare. Accedit, quòd obligatio non propalandi defectus jam notorios esset moraliter inobservabilis, & ideo antecedenter ad omnem casum eventualem nemo prudenter vellet talem obligationem esse à na-
272 turâ introductam: econtra, cùm quivis meritò timeret futurum, ut & ipse committeret defectum occultum, quem nollet fieri notorium, ideo non difficulter consentiret in obligationem non propalandi defectus occultos.

Sed quanta debet esse notorietas, ut defectus desinat simpliciter esse occultus? Imprimis Notorietas Juris sufficit, ut quivis possit
273 crimen per sententiam publicatum, & quæ transijt in rem judicatam (hoc est, à quâ non fuit intra legitimum tempus appellatum) publicare ubivis locorum, etiam quo notitia alioquin non fuisset facilè perventura: nam sicut ipse Judex posset suam sententiam omnibus manifestare, ita censetur defacto alijs
274 facultatem dare, eandem ubivis manifestandi.

Secundò, quæ sunt publica notorietate facti simpliciter & absolutè, possunt non tantùm in viciniâ ulteriùs evulgari, sed etiam in locis remotioribus, cum quibus saltem litterarum commercium esse potest: cùm enim

enim posset cuicunque peregrino eò venienti manifestari, cur non procul existentibus significari? Talia censentur, quæ sunt notoria in aliquo oppido, non item quæ sunt notoria in aliquâ communitate strictiore, cuiusmodi sunt Collegia Religiosorum: nam talium communitatum delicta plerumque sunt eiusmodi, quæ si alijs extra communitatem publicarentur, etiam innocentibus illius communitatis maculam aspergerent: unde omnes censentur meritò inviti quoad talem evulgationem. 275

Numerus denique hominum conscíorum sufficiens ad licitam ulteriorem evulgationem solet ita taxari. Si communitas constet octo personis, sufficit, quatuor esse conscios: si constet viginti, sufficiunt septem, si centum, sufficiunt quindecim aut viginti ex diversis domibus; denique si civitas constet quinque millibus, sufficiunt triginta, &c. Videatur Molin. & Layman. 276

§. IV. *De obligatione & modo restituendi famam.* 277

VEL læsa est fama proximi per impositionem falsam, vel per manifestationem veram. Si primum: retractandum est ita, ut contrarium persuadeatur, modis omnibus non inferentibus detractori gravius longè

damnum, quàm sit ipsa proximi infamatio: quapropter si simplex retractatio non sufficiat ad eximendam persuasionem audientibus ingeneratam, adhibendum est etiam juramentum vel testes, si profuturi sperentur.

278 Si verò facta est infamatio manifestatione veri criminis vel defectûs; tunc adhibendi sunt modi loquendi idonei, qui sine mendacio adhiberi possunt, v.g. dicendo: *Hoc quidem aliquando de Petro dixisse me memini, sed erravi: feci illi injuriam, &c.* hæc enim sunt

279 vera, & æquivoca, ut patet. Imò etiam cum veritate dicere potest, se non dixisse verum, & se nihil scire de tali defectu; revera enim non dixit verum veritate publicabili.

Quodsi hi modi loquendi nihil proficiunt, poterit fieri restitutio laudando, vel

280 specialiùs honorando: nam licet laus in aliâ materiâ seu causâ non restituat famam in materiâ damni illati; facit tamen, ut sinistra existimatio diminuatur, & reddatur elumbis: sicut laus S. Mariæ Magdalenæ ob pœnitentiam actam, omnem infamiam ex prioribus peccatis contractam absterserit.

CAPVT

CAPVT VI.

DE INIURIIS CIRCA CORPUS SUUM ET PROXIMI.

§. I. *De nece sui ipsius.*

NEMINI licet propriâ authoritate seipsum occidere. Exodi 20. *Non occides.* Hæc autem obligatio non est merè charitatis erga se, alioquin ob majus bonum spirituale posset fieri licitum oppositum. Ex communi Theologorum est obligatio Justitiæ erga DEVM, eo modo, quo potest homo obligari DEO ex justitiâ: & quidem est juris naturalis, quamvis difficulter clara ratio reddatur discriminis, inter dominium aliarum rerum homini à DEO concessum, & proprij corporis dominium denegatum. Nobis placet ratio, quam insinuavit Cicero de somnio Scipionis referens illud Pythagoræ: *Sicut militi non licet sine jussu Imperatoris à suâ statione discedere, ita nec licet homini ab hâc vitâ discedere sine DEI voluntate.* Nempe, cùm DEVS cætera omnia gratiâ hominis condiderit, nec nisi in gratiam illius æstimet, cui ea subjecit, mirum non est datam quoque homini esse potestatem ea destruendi, cùm sæpe homini gratior sit destructio, quàm existentia rei; & sufficiebat eorum

281

282

283

destructionem prohiberi in certis casibus ab alijs virtutibus, quàm justitiæ, scilicet in bonum ipsius hominis. At verò, cùm DEVS hominem fecerit gratiâ ipsius DEI, eúmque in eum finem conservet, ut ipsi serviat, Leges accipiat, & huic obsequio tamdiu obnoxius
284 sit, quamdiu DEO Domino visum fuerit, sine cuius speciali consensu non habeat facultatem se subtrahendi, aut inhabilitandi, ideo censendus est DEVS homini non nisi usumfructum corporis sui concessisse, salvâ illius substantiâ; quo sensu rectè dixit Plato in Phædone, sic DEVM irasci homini se occiden-
285 ti, sicut Dominus, cùm viderit servum se occidentem.

Controversia est, an reus condemnatus ad mortem possit ipse esse executor sententiæ hauriendo, v. g. venenum à Iudice oblatum, vulnus pectori infligendo, &c.

§. II. *De nece innocentis.*

286 DUobus modis dicitur alius occidi, directè, & indirectè. Directè, quando occisio vel intenditur ut finis, vel eligitur ut medium: indirectè, quando directè tantùm intenditur aliqua actio, quæ per se loquendo non est occisio, sed tamen hìc & nunc per accidens est connexa cum alterius occisione, quæ tamen non intenditur, licet futura prævideatur:

videatur: v. g. cùm hostis intendit prosternere turrim, quæ sibi est impedimento, videns opprimendos hoc modo esse aliquos innocentes.

Directè nunquam licet occidere innocentem, ne quidem publicâ authoritate; nec enim vita innocentis est sub dominio hominis etiam in extremâ necessitate constituti. In quo est discrimen inter alia bona & vitam proximi: nam in extremâ necessitate constitutus potest proximo licitè auferre, quod sibi necessarium est (nisi esset medium extraordinarium) & si alter resisteret, faceret injuriam: habet enim ille jus auferendi fundatum in primâ rerum omnium divisione, quæ censetur fuisse conditionata, seu cum exceptione facta, nempe, ut eveniente extremâ necessitate, fierent huiusmodi res iterum communes, saltem respectivè, & pro tali casu, ac respectu talis personæ. quæ ratio non procedit quoad vitam proximi, quę nunquam fuit communis, & primò occupanti cedens. 287 288 289

Indirectè verò licet occidere innocentem ex gravissimâ caussâ & necessitate urgente; quando scilicet damnum subeundum esset majus, quàm quod Lege charitatis teneretur subire potiùs, quàm ponere actionem, ex quâ sequetur hîc & nunc mors alterius. Nisi

enim hoc liceret, impossibilis esset Rebuspublicis defensio sui contra tyrannos, quæ tamen omnino debet esse possibilis.

§. III. *De aggressore, & provocante ad duellum.*

290 ACtualis aggressor ille censetur, qui habet animum decretorium te invadendi per se, vel per alium, & quidem injustè. Si ergo tibi de tali animo constet (suspicio enim non sufficit) potes illius necem intendere, (salvo moderamine inculpatæ tutelæ, scilicet, si nō potes cum leviore illius damno
291 te defendere) etiamsi esset aggressor tantùm materialiter injustus, hoc est, immunis à peccato ob ignorantiam. *Vim enim vi repellere* (imò & prævenire) *omnes Leges, omniáque jura concedunt c: si verò de sent. excomm. cap. dilecto. eod. in 6.* & hæc licentia est necessaria ad insolentiam plurium compescendam.

292 Acceptatio tamen oblati Duelli non est licita, propriè sumendo duellum, pro tacito pacto & conventione, quâ duellantes invicem cedunt jure suo, & quantum in se est, tribuunt remissivè jus in vitam. Hæc enim acceptatio non est necessaria ad honoris sui defensionem, ad hanc enim sufficit provocato, si ad demonstrandum, se hostem non timere, cum protestatione compareat in loco

loco ad quem provocatur, animo se defendendi, si fortè adversarius aggredi velit, prout non ignobiles Theologi rem hanc expediunt, alijs aliter sentientibus.

Controversia est, quousque & ad quas personas se extendat obligatio restituendi pro injusto homicidio vel mutilatione, ex quâ alijs personis 293
emergit damnum, aut cessat lucrum.

§. IV. *De Stupratore & Adultero.*

QVÆ de his dici possunt, ex generalibus resolvuntur, & ad Theologiam moralem magis pertinent, sicut etiam, quæ de damno spirituali tractantur.

Caput VII. 294

DE OBLIGATIONE COOPERANTIUM AD DAMNUM INIVSTVM.

COOPERANTES alij concurrunt positivè, alij negativè: & omnes his versibus exprimuntur. 295

Iussio, Consilium, Consensus, Palpo, Recursus.
Participans, Mutus, non obstans, non manifestans.

Mandans itaque, cuius mandatum verè movet mandatarium, nec est ita revocatum, ut mandatarius credat, seriò revocari, tenetur:

non item, qui ex postfacto ratum habet; talis enim non influit. Consentiens non nisi tunc, quando actio damnosa vim suam accipit à consensu, ut injustâ sententiâ. Idem cum proportione de Consiliario & Electore dixeris. De cæteris res est ex generalibus clara, quandonam teneantur, aut excusentur.

296

Ex cooperantibus aliqui tenentur restituere æquè immediatè, aliqui non nisi mediatè, & in defectum aliorum, qui vel non possunt, vel nolunt restituere.

Caussa physica principalis tenetur antè moralem, qualis est consulens, suadens, laudans; hi enim non nisi secundariò concurrunt, & caussa principalis vult in se recipere totum onus restituendi.

297

Caussa instrumentalis sive physica, sive moralis, non tenetur nisi in defectum caussæ moralis principalis, cuius authoritate operatur, cuiusmodi est mandans, cogens, minis & authoritate suâ impellens.

298

Caussæ negativæ damni alieni non tenentur, nisi in defectum caussarum positivarum: earum enim obligatio restituendi supponit damnum ab alijs illatum, & necdum compensatum. huiusmodi sunt, qui cùm deberent ex officio, non clamant, non dehortantur, non manifestant, &c.

TITV-

TITVLVS III.

DE RELIGIONE, ET RELIQUIS VIRTUTIBUS JUSTITIÆ ANNEXIS.

299

CAPVT I.

RELIGIONIS IN GENERE DEFINITIO, EIUSQUE ACTVS.

S. THOMAS hîc q. 80. a. 1. enumerat sex Virtutes Justitiæ annexas, *Religionem*, *Pietatem*, *Observantiam*, 300 *Gratiam*, *Vindicationem*, *Veritatem*: quibus addunt alij Liberalitatem, utpote quæ etiam circa proximum & bona fortunæ versatur, nempe ob aliquam similitudinem cum Justitiâ.

Religio, quæ ob nobilissimum objectum est omnium Virtutum Moralium nobilissima, definiri potest *Virtus ordinans hominem* 301 *ad cultum DEI*. Intendit ergo Religio revereri DEVM tanquam principium creationis & gubernationis rerum omnium, & per cultum protestari excellentiam illius, nostram que subjectionem. Differt à Virtutibus Theologicis,

logicis, quia proximè non habet pro motivo perfectionem aliquam divinam, sed honestatem, quæ reperitur in ipso cultu Dei. A Justitiâ verò differt, quia non fundatur in voluntate alterius volentis pro libitu obligare
302 in suum commodum aut beneplacitum, sed in dignitate Dei. Sunt itaque actus eliciti à Religione actus imperantes alium actum, sive intellectualem, sive externum, v.g. genuflexionem, quo testamur nostram subjectionem.

303 Præcipuus illius actus est *Devotio*, éstque voluntas promptè tradendi se ad ea, quę pertinent ad Dei famulatum. Deinde *Oratio*, quæ est actus voluntatis, quo profitemur, nos indigere Deo, dum ab eo aliquid petimus.

Actuum externorum præcipuus est *Adoratio*, de quâ commodiùs sequenti Libro.
304 Duo alij actus restant, Juramentum, & Votum, quorum aliquam explicationem oportet hîc exhiberi.

Caput II.

DE JVRAMENTO.

§. I. *Eius Definitio & Divisio.*

Vramentvm *est invocatio divini Nominis in testimonium alicuius rei.*

unde

unde liquet esse actum Religionis, quo videlicet colimus summam authoritatem DEI in dicendo & attestando, tanquam Veritatis patronum: econtra Perjurium esse grave peccatum Irreligiositatis; qui enim falsò jurat, invocat DEVM ut suâ authoritate fidem faciat falsitati, sitque mendacij testis & patronus, atque sic ipse quoque mendax evadat. 305

Dividitur primò in Juramentum simplex & solenne. Simplex est, in quo nullæ solennitates observantur: solenne, in quo certa juris formula observatur, ut erigendo digitos, ponendo manum supra pectus, tangendo Evangelium; & vocatur etiam Juramentum judiciale. 306

Dividitur secundò in tacitum & expressum: tacitum est, quando juratur per creaturas, ut specialiter repræsentantes aut continentes DEVM. Expressum, quando ipsum divinum Nomen invocatur.

Dividitur tertiò in merè attestativum & execratorium seu imprecatorium, expetendo à DEO vindictam falsitatis. 307

Dividitur quartò in assertorium & promissorium. Assertorio affirmamus directè, nos habere judicium intellectuale, rem aliquam esse factam, vel futuram, &c. quare, etiamsi huiusmodi judicium falsum esset ex

error

errore undeunde proveniente, non esset factum perjurium, dummodo revera ita judicâsset jurans. Promissorium est, quo promissionem rei futuræ, ad quam nos obligamus, confirmamus, affirmando, nos revera habere animum præstandi obligationem.

308 Et quamvis in juramento promissorio includatur juramentum assertorium, ut patet, dum affirmamus, nos habere animum servandi promissum, & esset perjurus, qui tunc animum non haberet, etiamsi deinde staret: differunt tamen, quòd in promissorio adhibeamus DEVM in testem non solùm nostri animi & judicij præsentis, sed etiam in testem

309 ipsius rei promissæ, ut implendæ in illis circumstantijs, pro quibus nos impleturos promittimus; unde etiamsi de præsenti animum haberes, si tamen ex postfacto revocares, perjurij reus esses: invocâsti enim DEVM in testem animi non revocandi, & in tuâ potestate est facere, ut DEVS viderit non revoca-

310 turum.

De Promissorio juramento procedit Regula Juris: quòd omne Juramentum homini præstitum servandum sit, quoties sine salutis dispendio, hoc est, peccato servari potest. *c: cùm contingat. c: debitores de jurejur, c: quamvis pactum. de pactis in 6.*

Huic etiam Juramento per Leges conces-

sum

sum est, ut firmet contractus, si illis accedat, qui secluso juramento ex Legum dispositione non valerent, adeò ut non solùm obligatio ex Religione, sed etiam ex justitiâ nascatur, & quâ talis transeat ad hæredes, modò non intervenerit turpitudo, hoc est, injustitia, dolus, metus, usura, ex parte personæ, in cuius 311
favorem juratum est, & nisi Lex specialiter certi contractûs confirmationi resistat, prout revera etiam Lex civilis resistere potest, non quidem impediendo obligationem ex Religione, sed obligationem ex justitiâ; & ita defacto resistit Jus Bavaricum L. R. tit. 1. ne valeat venditio uxoris absque consensu mariti, etiam cum juramento facta. Videantur Interpretes in auth. *Sacramenta puberum. & c: cùm contingat: de jurejur. c: quamvis pactum. de pactis in 6.* 312

§. II. *Conditiones requisitæ ad licitum Iuramentum.*

IVramentum est ex eo genere bonorum, 313
quæ necessitatis tempore prosunt, absque necessitate usurpata nocent, ut medicamenta. Tres ergo Comites, hoc est, conditiones habere debet, enumeratas Jerem. 4. *Iurabis: vivit Dominus, in Iustitiâ, in Iudicio, in Veritate.* De Veritate jam dictum est. Judicium consistit in hoc, ne juretur sine necessitate,

vel

errore undeunde proveniente, non esset factum perjurium, dummodo revera ita judicâsset jurans. Promissorium est, quo promissionem rei futuræ, ad quam nos obligamus, confirmamus, affirmando, nos revera habere animum præstandi obligationem.

308 Et quamvis in juramento promissorio includatur juramentum assertorium, ut patet, dum affirmamus, nos habere animum servandi promissum, & esset perjurus, qui tunc animum non haberet, etiamsi deinde staret: differunt tamen, quòd in promissorio adhibeamus DEVM in testem non solùm nostri animi & judicij præsentis, sed etiam in testem

309 ipsius rei promissæ, ut implendæ in illis circumstantijs, pro quibus nos impleturos promittimus; unde etiamsi de præsenti animum haberes, si tamen ex postfacto revocares, perjurij reus esses: invocâsti enim DEVM in testem animi non revocandi, & in tuâ potestate est facere, ut DEVS viderit non revoca-

310 turum.

De Promissorio juramento procedit Regula Juris: quòd omne Juramentum homini præstitum servandum sit, quoties sine salutis dispendio, hoc est, peccato servari potest. *c: cùm contingat. c: debitores de jurejur, c: quamvis pactum. de pactis in 6.*

Huic etiam Juramento per Leges concessum

sum est, ut firmet contractus, si illis accedat, qui secluso juramento ex Legum dispositione non valerent, adeò ut non solùm obligatio ex Religione, sed etiam ex justitiâ nascatur, & quâ talis transeat ad hæredes, modò non intervenerit turpitudo, hoc est, injustitia, dolus, metus, usura, ex parte personæ, in cuius favorem juratum est, & nisi Lex specialiter certi contractûs confirmationi resistat, prout revera etiam Lex civilis resistere potest, non quidem impediendo obligationem ex Religione, sed obligationem ex justitiâ; & ita defacto resistit Jus Bavaricum L. R. tit. 1. ne valeat venditio uxoris absque consensu mariti, etiam cum juramento facta. Videantur Interpretes in auth. *Sacramenta puberum. & c: cùm contingat: de jurejur. c: quamvis pactum. de pactis in 6.* 311 312

§. II. *Conditiones requisitæ ad licitum Iuramentum.*

IVramentum est ex eo genere bonorum, quæ necessitatis tempore prosunt, absque necessitate usurpata nocent, ut medicamenta. Tres ergo Comites, hoc est, conditiones habere debet, enumeratas Jerem. 4. *Iurabis: vivit Dominus, in Iustitiâ, in Iudicio, in Veritate.* De Veritate jam dictum est. Judicium consistit in hoc, ne juretur sine necessitate, 313

vel

vel in re levi; hoc enim esset peccatum veniale. Justitia requirit, ut Juramentum sit de re licitâ, alioquin non pariet obligationem, nec enim est vinculum iniquitatis, & ex terminis repugnat, me obligari ad pec-
314 candum. Requirit item, ne jurem me non facturum aliquod bonum; DEVS enim non acceptat, utpote propriæ suæ gloriæ præjudiciale.

§. III. *De modis infirmandi Iuramentum.*

315 MOdi sunt quatuor. Irritatio, Dispensatio, Relaxatio, Commutatio. Irritatio pertinet ad potestatem dominativam, cui nostra voluntas sive per se, sive ratione materiæ juratæ subjecta est. Huiusmodi potestatem habet imprimis Pontifex, qui potest irritare juramentum non alienandi bona
316 Ecclesiastica: Episcopus item, qui, v.g. potest irritare juramentum de non acceptandâ præbendâ. Prælatus Regularis ratione obedientiæ potest irritare juramenta sine suo consensu facta. Maritus juramentum uxoris de alienandis bonis dotalibus: Parentes vel tutores juramenta liberorũ vel pupillorũ, &c.

Dispensatio est actus Jurisdictionis, & sine causâ non valet; & differt à relaxatione, quòd dispensatio fiat in juramento facto principa-

principaliter Deo, & habente rationem voti: Relaxatio verò fiat in juramento facto principaliter in favorem hominis.

Commutatio est etiam actus Jurisdictionis, quâ mutatur materia unius juramenti in aliam.

Caput III. 317

DE VOTO

§. I. *Definitio & divisio Voti.*

Votum *est promissio deliberata & spontanea DEO facta de meliore bono.* defectus libertatis, quæ requiritur ad peccandum mortaliter, obstat valori voti. *c: veniens de voto.* Ratio est, quia 318
votum est quædam Lex privata: Lex autem debet prudenter & deliberatè ferri. Non est tamen necesse, prævidisse distinctè difficultates enascituras: alioquin innumera vota vocarentur in dubium, ob enatas postea difficultates, quæ si præviſæ fuissent, votum non fuisset emissum.

Dividitur primò in votum simplex, & solenne. 319
Solenne est, quod ex Ecclesiæ dispositione est perpetuum, & inducit inhabilitatem ad actus aliquos, ut jam partim alibi dictum, partim dicetur infrà.

Dividitur secundò in Personale, Reale, &

Mixtum. Personale est, quo vovetur aliqua actio ipsius voventis, ut Peregrinatio, Jejunium, Castitas. Reale est, quo res aliqua promittitur Deo, quæ etiam per alium præstari possit, ut eleemosyna, transactio vel compo-
320 sitio cum inimico. Mixtum est, quo promittitur & res & officium personæ, ut peregrinatio cum oblatione faciendâ.

§. II. *Potestas tollendi obligationem voti.*

SVmmus Pontifex potest ex causâ omnia Fidelium vota tam antecedenter nulla reddere, quàm facta irritare, *argumento capituli ad nostram de regularib. c. 1. & 2. eod. in 6.* & in Tridentino sess. 25. de regular. c. 15.
321 irritatur professio facta ante decimum sextũ annum, & completum Novitiatum. Et hanc potestatem requirebat recta gubernatio animarum in ordine ad ultimum finem.

Pater potest irritare vota filij impuberis, & tutor pupilli, & in huius defectum avus
322 paternus, & denique his deficientibus mater. *c. 1. & 2. 20. q. 2. & c. mulier. 32. q. 2.* Vota verò puberum filiorumfamiliâs potest tantùm indirectè, nempe reddendo materiam illicitam, in quantum voti observatio obstaret administrationi familiæ, inter hæc non venit votum Religionis, & Castitatis: hæc enim

enim gubernationem non impediunt. Conjuges quoque vicissim possunt ea vota irritare, quæ usui matrimonij, educationi prolis, & gubernationi familiæ præjudicant, nam in his sunt invicem subjecti.

Potestas ordinaria dispensandi competit 323
imprimis omnibus Prælatis jurisdictionem Episcopalem, vel quasi Episcopalem habentibus respectu suorum subditorum. Hi possunt dispensare in omnibus votis, quinque exceptis, quæ sunt reservata Summo Pontifici, nimirum, voto Castitatis, Religionis, & 324
triplicis peregrinationis ad S. Jacobum in Compostellâ, ad terram sanctam, ad sanctos Apostolos Petrum & Paulum in vrbe. *extrav: Sixti IV. c. 5. de Pœnit. & Remiss.*

Commutare votum in aliud evidenter melius potest quivis propriâ authoritate, 325
nisi speciali Lege prohibeatur: *c. pervenit de jurejur.* Ratio desumitur ex naturâ voti, quod debet esse de meliore bono: unde in quantum opponitur majori bono non obligat.

CAPVT IV.

DE STATV RELIGIOSO.

§. I. *Quidditas huius Statûs.*

UM Status Religiosus constituatur per vota, placet hîc aliquid addere
326 de illius naturâ & proprietatibus. Status Religiosus est modus stabilis, & ab Ecclesiâ approbatus, vivendi in communi, Fidelium ad Christianæ Charitatis perfectionem tendentium, editis tribus votis substantialibus, per quæ vovens constituatur sub alterius jurisdictione ac potestate. Vnde nec Pontifex
327 facere potest, ut quis sit Religiosus verus, sine tribus votis Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ. *arg. cap. cùm ad Monaster. de Statu Monach.*

Sufficiunt autem vota simplicia, ut declaravit Gregorius XIII. in Bullâ: *Quantò fructuosiùs.* Solennitas enim est juris humani, non
328 item Essentia Statûs Religiosi. Unde posset Pontifex ex votis simplicibus facere solennia, ordinando, ut tales Religiosi, v. g. Societatis JESV, non possent amplius dimitti & econtra posset ex solennibus facere simplicia, dando potestatem dimittendi illos, qui de facto dimitti non possunt.

Approbatio Ecclesiæ ideo requiritur, quia sine

sine hâc maneret cœtus laicus subjectus potestati sæculari per se loquendo, nec haberet superiorem repræsentantem Christum, utpote à quo potestatem non accepisset. Et licet in primitivâ Ecclesiâ sufficerit approbatio Episcoporum, prout aliquibus Religio sanctorum Antonij, Basilij, Augustini ac 329
Benedicti videntur initio approbatæ, & deinde à Pontificibus confirmatæ, postea tamen Gregorius X. in Concil. Lugdunensi hanc potestatem sibi reservavit; & habetur etiam *cap. fin. de Religios. domib. & c. unico eod. in 6.*

De substantiâ Religiosi Statûs est, non solùm ut vovens obligetur Religioni, sed etiam, 330
ut hæc obligatio suique traditio à Religione atque Ecclesiâ nomine DEI acceptetur, ac Religio vicissim obligetur ad ipsum tanquam membrum suum alendum ac gubernandum juxta suum institutum. Est enim de ratione corporis Mystici, ut membra inter se obligationis vinculo uniantur,

Hoc ipso, quòd diversæ Religiones diversos habeant fines immediatos & proprios; per 331
quos inter se differant, utuntur diversis consilijs. Nec solet Ecclesia Religiones approbare nisi cum peculiari Regulâ; quamvis hæc de essentiâ non sit, cùm tria vota substantialia, atque divinorum mandatorum observatio sufficienter ducant hominem ad perfectionem.

Assumptio Religiosi Statûs libera esse debet. *c. 1. & 4. de Regular.* Ratio est, quia habet naturam pacti seu contractûs.

Vnitas atque identitas Religionis desumitur à fine proprio, & medijs præcipuis ac substantialibus, non obstante diversitate in mi-
332 nutioribus, & accidentalibus. Conformitas tamen in habitu exteriore non est necessaria ad unitatem Religionis.

§. II. *De Origine Religionum in communi.*

STatus Religionis, abstrahendo à determinatione ad vota vel simplicia, vel solennia, est juris divini: in Lege quidem veteri
333 adumbratus, non tamen ad perfectionem, in quâ nunc reperitur, perductus. Author illius in genere quoad omnia substantialia est Christus. Paupertatem suasit Matth. 10. Castitatem Matth. 19. Obedientiam, suique in manus Prælati traditionem Lucæ. 9. Quinimò Christum in suis Apostolis immobiliter illi
334 adhærentibus instituisse Religionem, probabilis opinio est authoritate D. Chrysostomi suffulta apud Suarez. Quidquid verò de hoc sit, illud certius est, Religiosum statum non solùm à Christo doctrinaliter traditum esse, sed etiam potestativè institutum, quatenus Ecclesiæ potestatem fecit acceptandi traditionem Fidelium suo nomine. Appro-

Approbatio Papæ hodie non solùm requiritur ad veram Religionem, sed etiam ad quemcunque modum honestum vivendi in communitate cum observatione cæremoniarum religiosarum absque tribus votis. Videntur enim comprehendi in cap. Religionum, de Religios: domib. in 6. vocabulo: *Ordinũ.* 335 cuius significatio latiùs patet, quàm *Religionũ* vocabulum: & quia de ijsdem procedit ratio prohibendi inductionem novæ Religionis, videlicet periculum errorum, & confusio: ubi autem est eadem ratio, censetur esse eadem juris dispositio.

§. II. *De diversitate Religionum.*

336 Diversitas Religionum desumitur ex finium diversitate mediorúmque præcipuorum invicem non subordinatorum: si enim subordinata sunt, unitati numericæ Religionis non obstant, ut patet in Societate Jesv, quæ est unica Religio, tametsi habeat diversitatem substantialem membrorum desumptam ex diversitate obligationis votorum, & 337 effectuum consequentium, quatenus continet primò Scholasticos, solis votis simplicibus ligatos, & necdum in termino constitutos: secundò Coadjutores formatos constitutos in termino, & omnis dominij incapaces: tertiò, Professos seu trium seu quatuor votorum.

Religionum quædam sunt Monachales seu Cœnobiticæ, aliæ Mendicantes, aliæ Clericales, aliæ Militares, aliæ Hospitalariæ, aliæ Tertiariæ, & aliæ Oblatorum, seu Donatorum.

Monachales sunt, quæ per se ordinantur
338 ad ea, quæ spectant ad cultum divinum; unde vi sui Instituti non vacant studijs, cùm non exerceant ministeria circa proximos.

Mendicantes sunt, quæ profitentur vitam mixtam, ac paupertatem excludentem dominium bonorum immobilium etiam in communi (quantum est ex vi Instituti, tametsi ex
339 indulto hæc admittant) & victum necessarium ex eleemosynis comparando. Constit. Pij V. ad uberes. & Concil. Trid. sess. 25. de Regular. c. 3. ubi privilegium possidendi bona immobilia Mendicantibus conceditur, exceptis domibus FF. S. Francisci, Capuccin: & Minor. de Observ.

Clericales sunt, quæ per se ordinantur
340 ad divina ministeria circa proximos exercenda, ideóq; vacant studijs, habitum Clericalem aliquatenus retinent, ac vitam minùs austeram profitentur. Ex quibus aliqui dicuntur *Canonici Regulares*, quo nomine significatur aliqua Dignitas & Excellentia. Unde quæ in Jure disponuntur de Canonicis Regularibus, non sunt extendenda ad Clericos Regulares,

lares, nisi dispositio sit de re fundatâ in statu Clericali ut sic, aut contineat favorem Religionis ut sic. Sub dispositionibus verò factis pro Clericis, veniunt quoque Clerici Regulares, etiam illi, qui licet necdum primâ tonsurâ sint initiati, ad ordines tamen sunt jam destinati & admissi: non item Religiosi Laici 341
(quos conversos vocant) nisi in favorabilibus; tametsi enim sint ex Religione Clericali, ipsi tamen non sunt Clerici.

Religio Militaris est, quæ per se primò & ex vi proprij Instituti ordinatur ad militandum pro defensione Christianæ Religionis, Ecclesiæ, innocentium: ad quem finem quantum conducant tria vota substantialia, consi- 342
deranti facilè liquet. Quia verò militia plurima perfectionis consequendæ obstacula secum affert, ideo Religiones militares continent etiam personas Clericales vacantes divino cultui ac spirituali bono dictorum Militum, frequentâdo chorum, Missas celebrando, Confessiones audiendo, gubernando Ec- 343
clesias Religioni subjectas. Insuper etiam Laicos habent instar Conversorum, qui tamen, si vota non edant, ut Fratres Ordinis S. Joannis gestantes mediam crucem albam, Religiosi non sunt.

Neque refert, aliquas harum Religionum solùm emittere votum Castitatis conjugalis,

quæ est sub præcepto naturali, ut Ordo S. Mauritij, S. Jacobi, &c. tenentur enim certis temporibus vi regulæ abstinere ab usu conjugij, & sic jam eorum Castitas est sub consilio, quod ad statum Religiosum sufficit.

344 Religio Hospitalaria est, quæ per se primò & ex vi Instituti ordinatur ad exercendam hospitalitatem, sive in curandis infirmis, sive in excipiendis peregrinis ex charitate. Hi ex Clemētinâ de Relig. domib. c. 2. Et Trid. sess. 7. c. 15. sess. 22. de Reform. c. 8. & 9. sess. 25. c. 8. si in administratione negligentes sint,

345 possunt ab Ordinario ex Apostolicâ authoritate sibi delegatâ etiam cæteroquin exempti visitari, salvâ exemptione quoad Regularum observantiam.

Tertiarij, quia communiter non emittunt, nisi votum Castitatis & Obedientiæ, non sunt simpliciter Religiosi, sed medius quidam sta-

346 tus inter Religiosum & Sæcularem, unde & Tertiarij dicti.

Conversi, Oblati, Donati, tametsi ob defectum votorum substantialium communiter Religiosi non sint, quia tamen sunt Deo specialiter dicati, similes Religiosis in Habitu, habitantes in Monasterijs, & in multis alijs participant de statu Religioso, ideo inter personas Ecclesiasticas censentur.

Religiones Monialium accensentur illi ge-

neri,

neri, cuius est Religio virorum eandem Regulam profitentium: sequuntur enim instar accessorij naturam principalis: unde aliæ sunt Monachales, aliæ Mendicantes, &c. & in dispositione Juris sub eo nomine comprehendi censentur.

§. IV. *De Religionum Perfectione.* 347

STatus Religiosus jure vocatur status Perfectionis, non obstante, quòd sit schola Perfectionis acquirendæ. cum hoc enim stat, quòd includat plures jam perfectos, ac finem potitos, quamvis hi ipsi adhuc ultrà tendant.

Comparando Religiones ad invicem illa erit alterâ simpliciter & absolutè perfectior, 348
quæ habet finem altiorem sibi proprium, & aptiora media ad eum consequendum. Unde sola major vitæ asperitas & arctitudo non arguit majorem Religionis perfectionem, cùm possit compensari majori perfectione obedientiæ, contemptu honorum ac dignitatum, assiduâ suiipsius abnegatione, continua- 349
tione laborum circa salutem proximi, exercitatione solidarum virtutum, &c. Unde communiter deducunt DD. Contemplativam esse perfectiorem purè activâ, & mixtam utrâque, per se loquendo.

CAPVT

CAPVT V.

DE VITIIS RELIGIONI OPPOSITIS.

CONTRA Religionem peccatur excessu & defectu. Excessu, cùm cultus DEO debitus creaturæ tribuitur,
350 & vocatur generico nomine superstitio cuius species sunt: *Idololatria, Divinatio, vana Observantia, Magia, Maleficium?* Defectu peccatur Irreligiositate, cuius species sunt. *Blasphemia, Sacrilegium, Tentatio DEI, Perjurium, Voti violatio*, de quibus ultimis jam dictum.

351 *Idololatria* est cultus, quo quis aliquid creatum colit loco DEI: éstque gravissimum peccatum ex ijs, quæ opponuntur virtutibus Moralibus.

Divinatio, est quasi divina notio, hoc est, scientia futurorum eventuum, qui sciri non possunt, nisi revelentur; sumitur plerumque in malam partem, quo sensu definitur: *Prædictio*
352 *futurorum contingentium modo indebito, à divinâ Providentiâ non constituto.*

Vana Observantia dicitur exerceri, cùm per amuleta, involucra superstitiosa, & similia morbi aut vulnera curantur. quò ferè etiam revocatur *Magia* & *Maleficium*, hoc est, Ars mira & insolita perpetrandi ope dæmonis.

Tentatio DEI est probatio seu exploratio alicuius

alicuius perfectionis divinæ medijs à DEO hîc & nunc non ordinatis: huiusmodi olim erant in usu, explorando innocentiam per ferrum candens, & aquam ferventem, vocabantúrque Purgationes criminum, quæ à Jure prohibitæ sunt. *c: omnibus. c: Mennam. c: consuluisti. c: Monomachiam 2 q 5 c. 1 & 3. de purgatione vulgari. c: ex tuarum. de purgat. can. & à Trid. sess 25. c: 19. de Reform.* 353

Blasphemia est contumeliosa de DEO locutio, tribuendo DEO quod non convenit, aut negando, quod illi convenit.

Sacrilegium strictè sumptum est Violatio rei sacræ Lege divinâ vel ecclesiasticâ in cultum DEI destinatæ.

Species Sacrilegij est *Simonia*, quæ definitur: *Deliberata voluntas emendi vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum.* ubi *Emptio* & *Venditio* sumuntur pro quocunque pacto oneroso, interveniente pretio temporali. Traxit autem nomen à Simone Mago licitante potestatem conferendi Spiritum sanctum Act. 8. & reprehenso graviter à sancto Petro, quòd donum DEI existimaret pecuniâ possideri. 354 355

Peccatum Simoniæ non solùm est contra Religionem, propter irreverentiam, quæ fit rei spirituali, dum indignè æstimatur, sed etiam contra Justitiam. Ratio est, quia ad justam emptio-

emptionem & venditionem requiritur æqualitas, ut nempe tantùm valoris contineat merx, quantum continet pretium. Atque hæc æqualitas repugnat inter rem temporalem & spiritualem: res enim temporalis totam suam æstimabilitatem habet cum respectu ad felicitatem naturalem & temporalem: spiritualis verò per respectum ad finem supernaturalem: quod autem minimum est ex conducentibus ad finem supernaturalem, incomparabiliter æstimabilius est, quàm maximum conducens ad finem temporalem, cùm hæc omnia respectu illius contemni, & instar stercoris haberi possint: ergo, &c.

356

357

CAPVT VI.

DE RELIQVIS VIRTVTIBVS JVSTITIÆ ANNEXIS.

PIETAS est Protestatio nostri amoris erga illos, à quibus vitam accepimus, nempe DEVM, & parentes ac concives.

358

Observantia est exhibitio cultûs & honoris debiti personis in dignitate constitutis. Est virtus inferior Pietate, & ad huius actus magis tenemur, quia principia nostræ existentiæ nobis sunt magis conjuncta, quàm illi, ad quos pertinet exterior gubernatio. Ad Observantiam

vantiam reducitur *Obedientia*, quâ superioribus paremus.

Gratia seu *Gratitudo* est, quâ aliquid ad placitum benefactorum facimus. Neque tamen habet pro mensurâ æqualitatem, sed etiam excedere potest in retribuendo beneficium acceptum. 359

Vindicatio est illatio mali pœnalis propter delictum: cuius finis est removere nocumenta, & adversùs injuriam sese defendere. Opponitur illi per excessum *Crudelitas*, & per defectum *Conniventia*.

Veritas seu Veracitas est voluntas conformandi verba menti ad quam reduci potest *Fidelitas*, quæ studet facta conformare pro- 360
missis & dictis: Opponitur veracitati mendacium, quod in nullo unquam casu licitum est, ob regulam à nobis suprà traditam de Moralitate objectivâ. Nam etsi hîc & nunc major fortassis esset utilitas ex mendacio sperata, quàm detrimentum, quod timetur, licentia tamen mentiendi tunc, quando major huiusmodi utilitas speratur, tolleret omnem 361
inter homines fidem, dum meritò quivis suspicari posset, an non loquens speret plùs utilitatis ex mendacio, quàm timeat detrimenti.

Liberalitas bene utitur bonis fortunæ erga proximum, ea moderatè largiendo sine ullâ prævia

prævia obligatione. Per excessum opponitur *Prodigalitas*, & per defectum *Avaritia*, quæ majus vitium est prodigalitate; illa enim pluribus utilis est, & facilè emendatur; hæc difficillimè, & valde disponit, ut peccetur contra Justitiam & Charitatem.

362

TITVLVS IV.

DE FORTITVDINE, ET TEMPERANTIA, ANNEXISQVE VIRTVTIBVS.

CAPVT I.

363

DE FORTITVDINE.

FORTITVDO, quæ tertia Virtutum Cardinalium est, definitur: *Considerata periculorum susceptio, & laborum perpessio.* Per defectum opponitur illi Timor, per excessum *Audacia* seu, *Temeritas.*

364 Ad Fortitudinem spectat Magnanimitas, hoc est, virtus patrandi ea, quæ sunt honore digna, non quidem statuendo sibi pro fine honorem, sed: *esse honore dignum*: Magnanimus enim magis curat honorem promereri, quàm adipisci, magisque curat Veritatem, quàm Opinionem, ut ait Philosophus 4. eth. cap. 3. Magnanimitati adversatur per excessum *Ambitio*

Ambitio & inanis Gloria, appetendo honorem debitum quidem, sed non referendo in DEVM tanquam ultimum finem. Per defectū opponitur *Pusillanimitas*, fugiens difficultates à suâ virtute superabiles.

Fortitudini etiam accedit *Patientia*, cujus est mala ab alijs illata æquanimiter sustinere: 365
item *Perseverantia*, quatenus reflexè volumus in bono persistere superando difficultatem, quæ est in diuturnitate temporis; & confunditur cum *Constantiâ*, quam tamen alij distinguunt, quòd Constantia superet difficultates ab extrinseco provenientes. His adversatur per defectum *Mollities*; per excessum *Pertinacia*. 366

CAPVT II.

DE TEMPERANTIA, EIVSQUE PARTIBUS.

TEMPERANTIA est Virtus refrænans appetitus inordinatos ac concupiscentias, præcipuè circa tactum. 367
Habet partes tam subjectivas, quàm potentiales.

Partes subjectivæ sunt: *Abstinentia*, *Sobrietas*, *Castitas*, & *Pudicitia*. Abstinentia temperat quantitatem cibi, eúmque subtrahit in eum finem, ut concupiscentia carnis

Religionum quædam sunt Monachales seu Cœnobiticæ, aliæ Mendicantes, aliæ Clericales, aliæ Militares, aliæ Hospitalariæ, aliæ Tertiariæ, & aliæ Oblatorum, seu Donatorum.

Monachales sunt, quæ per se ordinantur
338 ad ea, quæ spectant ad cultum divinum; unde vi sui Instituti non vacant studijs, cùm non exerceant ministeria circa proximos.

Mendicantes sunt, quæ profitentur vitam mixtam, ac paupertatem excludentem dominium bonorum immobilium etiam in communi (quantum est ex vi Instituti, tametsi ex
339 indulto hæc admittant) & victum necessarium ex eleemosynis comparando. Constit. Pij V. ad uberes. & Concil. Trid. sess. 25. de Regular. c. 3. ubi privilegium possidendi bona immobilia Mendicantibus conceditur, exceptis domibus FF. S. Franciſci, Capuccin: & Minor. de Obſerv.

Clericales sunt, quæ per se ordinantur
340 ad divina ministeria circa proximos exercenda, ideóq; vacant studijs, habitum Clericalem aliquatenus retinent, ac vitam minùs austeram profitentur. Ex quibus aliqui dicuntur *Canonici Regulares*, quo nomine significatur aliqua Dignitas & Excellentia. Unde quæ in Jure disponuntur de Canonicis Regularibus, non sunt extendenda ad Clericos Regulares,

lares, nisi dispositio sit de re fundatâ in statu Clericali ut sic, aut contineat favorem Religionis ut sic. Sub dispositionibus verò factis pro Clericis, veniunt quoque Clerici Regulares, etiam illi, qui licet necdum primâ tonsurâ sint initiati, ad ordines tamen sunt jam destinati & admissi: non item Religiosi Laici 341
(quos conversos vocant) nisi in favorabilibus; tametsi enim sint ex Religione Clericali, ipsi tamen non sunt Clerici.

Religio Militaris est, quæ per se primò & ex vi proprij Instituti ordinatur ad militandum pro defensione Christianæ Religionis, Ecclesiæ, innocentium: ad quem finem quantum conducant tria vota substantialia, consi- 342
deranti facilè liquet. Quia verò militia plurima perfectionis consequendæ obstacula secum affert, ideo Religiones militares continent etiam personas Clericales vacantes divino cultui ac spirituali bono dictorum Militum, frequentãdo chorum, Missas celebrando, Confessiones audiendo, gubernando Ec- 343
clesias Religioni subjectas. Insuper etiam Laicos habent instar Conversorum, qui tamen, si vota non edant, ut Fratres Ordinis S. Joannis gestantes mediam crucem albam, Religiosi non sunt.

Neque refert, aliquas harum Religionum solùm emittere votum Castitatis conjugalis,

quæ est sub præcepto naturali, ut Ordo S. Mauritij, S. Jacobi, &c. tenentur enim certis temporibus vi regulæ abstinere ab usu conjugij, & sic jam eorum Castitas est sub consilio, quod ad statum Religiosum sufficit.

344 Religio Hospitalaria est, quæ per se primò & ex vi Instituti ordinatur ad exercendam hospitalitatem, sive in curandis infirmis, sive in excipiendis peregrinis ex charitate. Hi ex Clemētinâ de Relig. domib. c. 2. Et Trid. sess. 7. c. 15. sess. 22. de Reform. c. 8. & 9. sess. 25. c. 8. si in administratione negligentes sint,

345 possunt ab Ordinario ex Apostolicâ authoritate sibi delegatâ etiam cæteroquin exempti visitari, salvâ exemptione quoad Regularum observantiam.

Tertiarij, quia communiter non emittunt, nisi votum Castitatis & Obedientiæ, non sunt simpliciter Religiosi, sed medius quidam sta-

346 tus inter Religiosum & Sæcularem, unde & Tertiarij dicti.

Conversi, Oblati, Donati, tametsi ob defectum votorum substantialium communiter Religiosi non sint, quia tamen sunt Deo specialiter dicati, similes Religiosis in Habitu, habitantes in Monasterijs, & in multis alijs participant de statu Religioso, ideo inter personas Ecclesiasticas censentur.

Religiones Monialium accensentur illi ge-

neri,

neri, cuius est Religio virorum eandem Regulam profitentium: sequuntur enim instar accessorij naturam principalis: unde aliæ sunt Monachales, aliæ Mendicantes, &c. & in dispositione Juris sub eo nomine comprehendi censentur.

§. IV. *De Religionum Perfectione.* 347

STatus Religiosus jure vocatur status Perfectionis, non obstante, quòd sit schola Perfectionis acquirendæ. cum hoc enim stat, quòd includat plures jam perfectos, ac finem potitos, quamvis hi ipsi adhuc ultrà tendant.

Comparando Religiones ad invicem illa erit alterâ simpliciter & absolutè perfectior, 348 quæ habet finem altiorem sibi proprium, & aptiora media ad eum consequendum. Unde sola major vitæ asperitas & arctitudo non arguit majorem Religionis perfectionem, cùm possit compensari majori perfectione obedientiæ, contemptu honorum ac dignitatum, assiduâ suiipsius abnegatione, continuatione laborum circa salutem proximi, exercitatione solidarum virtutum, &c. Unde communiter deducunt DD. Contemplativam esse perfectiorem purè activâ, & mixtam utrâque, per se loquendo. 349

CAPVT

CAPVT V.

DE VITIIS RELIGIONI OPPOSITIS.

CONTRA Religionem peccatur excessu & defectu. Excessu, cùm cultus DEO debitus creaturæ tribuitur,
350 & vocatur generico nomine superstitio cuius species sunt: *Idololatria, Divinatio, vana Observantia, Magia, Maleficium*? Defectu peccatur Irreligiositate, cuius species sunt. *Blasphemia, Sacrilegium, Tentatio DEI, Perjurium, Voti violatio*, de quibus ultimis jam dictum.

351 *Idololatria* est cultus, quo quis aliquid creatum colit loco DEI: éstque gravissimum peccatum ex ijs, quæ opponuntur virtutibus Moralibus.

Divinatio, est quasi divina notio, hoc est, scientia futurorum eventuum, qui sciri non possunt, nisi revelentur; sumitur plerumque in malam partem, quo sensu definitur: *Prædictio*
352 *futurorum contingentium modo indebito, à divinâ Providentiâ non constituto.*

Vana Observantia diciturexerceri, cùm per amuleta, involucra superstitiosa, & similia morbi aut vulnera curantur. quò ferè etiam revocatur *Magia* & *Maleficium*, hoc est, Ars mira & insolita perpetrandi ope dæmonis.

Tentatio DEI est probatio seu exploratio alicuius

alicuius perfectionis divinæ medijs à DEO hîc & nunc non ordinatis: huiusmodi olim erant in usu, explorando innocentiam per ferrum candens, & aquam ferventem, vocabantúrque Purgationes criminum, quæ à Jure prohibitæ sunt. *c: omnibus. c: Mennam. c: consuluisti. c: Monomachiam 2 q 5 c. 1. & 3. de purgatione vulgari. c: ex tuarum. de purgat. can. & à Trid. sess 25. c: 19. de Reform.* 353

Blasphemia est contumeliosa de DEO locutio, tribuendo DEO quod non convenit, aut negando, quod illi convenit.

Sacrilegium strictè sumptum est Violatio rei sacræ Lege divinâ vel ecclesiasticâ in cultum DEI destinatæ.

Species Sacrilegij est *Simonia*, quæ definitur: *Deliberata voluntas emendi vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum.* ubi *Emptio* & *Venditio* sumuntur pro quocunque pacto oneroso, interveniente pretio temporali. Traxit autem nomen à Simone Mago licitante potestatem conferendi Spiritum sanctum Act. 8. & reprehenso graviter à sancto Petro, quòd donum DEI existimaret pecuniâ possideri. 354 355

Peccatum Simoniæ non solùm est contra Religionem, propter irreverentiam, quæ fit rei spirituali, dum indignè æstimatur, sed etiam contra Justitiam. Ratio est, quia ad justam

emptio-

emptionem & venditionem requiritur æqualitas, ut nempe tantùm valoris contineat merx, quantum continet pretium. Atque hæc æqualitas repugnat inter rem temporalem & spiritualem: res enim temporalis totam suam æstimabilitatem habet cum respectu ad felicitatem naturalem & temporalem: spiritua-
356 lis verò per respectum ad finem supernaturalem: quod autem minimum est ex conducentibus ad finem supernaturalem, incomparabiliter æstimabilius est, quàm maximum conducens ad finem temporalem, cùm hæc omnia respectu illius contemni, & instar stercoris haberi possint: ergo, &c.

357 ## CAPVT VI.

DE RELIQVIS VIRTVTIBVS JVSTITIÆ ANNEXIS.

PIETAS est Protestatio nostri amoris erga illos, à quibus vitam acce-
358 pimus, nempe DEVM, & parentes ac concives.

Observantia est exhibitio cultûs & honoris debiti personis in dignitate constitutis. Est virtus inferior Pietate, & ad huius actus magis tenemur, quia principia nostræ existentiæ nobis sunt magis conjuncta, quàm illi, ad quos pertinet exterior gubernatio. Ad Obser-

vantiam

vantiam reducitur *Obedientia*, quâ ſuperioribus paremus.

Gratia ſeu *Gratitudo* eſt, quâ aliquid ad placitum benefactorum facimus. Neque tamen habet pro menſurâ æqualitatem, ſed etiam excedere poteſt in retribuendo beneficium acceptum. 359

Vindicatio eſt illatio mali pœnalis propter delictum: cuius finis eſt removere nocumenta, & adversùs injuriam ſeſe defendere. Opponitur illi per exceſſum *Crudelitas*, & per defectum *Conniventia*.

Veritas ſeu Veracitas eſt voluntas conformandi verba menti ad quam reduci poteſt *Fidelitas*, quæ ſtudet facta conformare promiſſis & dictis: Opponitur veracitati mendacium, quod in nullo unquam caſu licitum eſt, ob regulam à nobis ſuprà traditam de Moralitate objectivâ. Nam etſi hîc & nunc major fortaſſis eſſet utilitas ex mendacio ſperata, quàm detrimentum, quod timetur, licentia tamen mentiendi tunc, quando major huiuſmodi utilitas ſperatur, tolleret omnem inter homines fidem, dum meritò quivis ſuſpicari poſſet, an non loquens ſperet plùs utilitatis ex mendacio, quàm timeat detrimenti. 360 361

Liberalitas bene utitur bonis fortunæ erga proximum, ea moderatè largiendo ſine ullâ prævia

prævia obligatione. Per excessum opponitur *Prodigalitas*, & per defectum *Avaritia*, quæ majus vitium est prodigalitate; illa enim pluribus utilis est, & facilè emendatur; hæc difficillimè, & valde disponit, ut peccetur contra Justitiam & Charitatem.

362

TITVLVS IV.

DE FORTITVDINE, ET TEMPERANTIA, ANNEXISQVE VIRTVTIBVS.

CAPVT I.

363

DE FORTITVDINE.

FORTITVDO, quæ tertia Virtutum Cardinalium est, definitur: *Considerata periculorum susceptio, & laborum perpessio.* Per defectum opponitur illi Timor, per excessum *Audacia* seu, *Temeritas.*

364 Ad Fortitudinem spectat Magnanimitas, hoc est, virtus patrandi ea, quæ sunt honore digna, non quidem statuendo sibi pro fine honorem, sed: *esse honore dignum*: Magnanimus enim magis curat honorem promereri, quàm adipisci, magisque curat Veritatem, quàm Opinionem, ut ait Philosophus 4. eth. cap. 3. Magnanimitati adversatur per excessum

Ambitio

Ambitio & inanis Gloria, appetendo honorem debitum quidem, sed non referendo in DEVM tanquam ultimum finem. Per defectū opponitur *Pusillanimitas*, fugiens difficultates à suâ virtute superabiles.

Fortitudini etiam accedit *Patientia*, cujus 365
est mala ab alijs illata æquanimiter sustinere: item *Perseverantia*, quatenus reflexè volumus in bono persistere superando difficultatem, quæ est in diuturnitate temporis; & confunditur cum *Constantiâ*, quam tamen alij distinguunt, quòd Constantia superet difficultates ab extrinseco provenientes. His adversatur per defectum *Mollities*; per excessum *Pertinacia*. 366

CAPVT II.

DE TEMPERANTIA, EIVSQUE PARTIBUS.

TEMPERANTIA est Virtus refrænans appetitus inordinatos & concupiscentias, præcipuè circa tactum. 367
Habet partes tam subjectivas, quàm potentiales.

Partes subjectivæ sunt: *Abstinentia*, *Sobrietas*, *Castitas*, & *Pudicitia*. Abstinentia temperat quantitatem cibi, eúmque subtrahit in eum finem, ut concupiscentia carnis

reprimatur: cui opponitur *Gula. Sobrietas* versatur in moderando potu, cui adversatur *Ebrietas.* Castitas immediatè occupatur in cohibendâ concupiscentiâ carnis, ad quam refertur Pudicitia nomine potiùs, quàm re diversa, dum exprimit speciale officium Castitatis prout versatur circa objecta ve-
368 nerea, quorum hominem pudet, etiam cùm licent. Castitati opponitur *Luxuria*, cuius species satis notæ sunt, Fornicatio, Stuprum, Adulterium, Incestus, Sacrilegium, Mollities, Sodomia, Bestialitas.

Peccatum Luxuriæ nunquam est veniale ex parvitate materiæ. Rationem reddunt
369 DD. ex regulâ moralitatis suprà traditâ: tanta enim est objecti vehementia, ut si aliqui actus Venerei non essent graviter prohibiti, homines illis frequentatis conijcerentur in periculum moraliter inevitabile labendi graviter: oportet autem esse graviter prohibitum omne illud, quod sine tali
370 prohibitione connecteretur cum effectu graviter prohibito, necessitate moraliter indeclinabili.

Alij ingeniosi RR. ut rationem eruant, supponunt (verba refero, lectu & intellectu digna) non omnem delectationem secundùm tactum aut etiam visum vel auditum qualitercunque perceptam esse veneream

ac

ac libidinosam; sed eam solùm, quæ consequitur ad actum consumatum luxuriæ, vel ad alios, qui sunt prævij, aut comitantes respectu actûs consumati, exercentur verò cum eiusdem imaginatione & cogitatione actuali: ita ut delectatio, cui animus adhæret, quando est libidinosa, non sit ea sola, 371
quam causare possent ex se præcisè tactus illi prævij, aut concomitantes secundùm se, sed prout conjuncti cum tali imaginatione & cogitatione delectationis perceptibilis ex actu consumato. Unde tactus corporis constituitur in ratione ac specie determinatâ *venerei seu libidinosi*, non ex vi, quam habet excitandi imaginationem & co- 372
gitationem, atque inde complacentiam impulsivam ad actum consumatum, sed ex conjunctione cum eâdem imaginatione, & cogitatione, & cum adhæsione affectûs voluntarij ad delectationem, quam causant eadem imaginatio & cogitatio ex objecto repræsentato. Quapropter consensus in actio- 373
nes qualescunque causantes delectationem veneream eo ipso est consensus in delectationem, quæ est propria actûs consumati, licet non propterea necessariò intersit consensus in ipsum actum exteriorem consumatum: cùm sufficiens sit consensus in delecta-

tionem propriam talis actûs præcisè ut imaginatam, & ut reptæsentatam per cognitionem.

Jam verò in huiusmodi actionibus & delectationibus, quatenus hoc modo sunt veneræ ac libidinosæ, non dari parvitatem
374 excusantem à peccato lethali ex eo liquet. Quia consensus in ipsas, quatenus tales sunt, includit consensum in delectationem propriam actûs consumati luxuriæ, qui est peccatum mortale. Consensus autem in delectationem provenientem ab aliquo actu le-
375 thaliter peccaminoso, licet concipiatur absque consensu in eundem actum, est peccaminosus lethaliter, ut docet D. Thomas 1. 2. q. 74. a. 4. quia consensus in delectationem provenientem ab aliquo actu etiam præcisè ut imaginatam non potest esse absque inclinatione & adhæsione affectûs ad ipsum
376 actum, qui est causa delectationis: atqui consentiens deliberatè inclinationi, & adhæsioni sui affectûs ad actum lethaliter peccaminosum eo ipso peccat mortaliter. Non est enim quid parvum ac leve malum habere animum deliberatè inclinatum & adhærentem malo gravi. *P. Martinus Esparz. de Iust. & Iure. q. 17. in Resp. ad rat. dubit.*

Partes potestativæ seu potentiales Temperantiæ

perantiæ sunt: *Continentia*, *Clementia*, *Modestia*, Continentia est virtus inclinans voluntatem, ne sequatur passiones appetitûs concupiscibilis; sed potiùs dictamen rationis. 377 Clementia est virtus inclinans directè ad minuendas pœnas: differtque per hoc à Mansuetudine, cuius est refrenare iram internam, & appetitum vindictæ, quæ illi 378 adversatur: sicut Clementiæ *Crudelitas* habens pro motivo offensam acceptam; in quo differt à Sevitiâ & Feritate. *Modestia* moderatur passiones facilè domabiles: ad 379 eam pertinet *Humilitas*, cuius est cavere, ne extollamur ultra id, quod nobis debetur, quod facit *Superbia*. Et de his ad Ethicam potiùs pertinentibus, satis.

INSTITVTIONVM THEOLOGICARVM

LIBER IV.

1 ## DE INCARNATIONE VERBI, ET SACRAMENTIS.

TITVLVS PRIMVS.

DE INCARNATIONE VERBI.

MEDIA, quibus ultimum finem noſtrum, DEVM aſ-
2 ſequimur, ſunt duplicis generis, intrinſeca ſcilicet, hoc eſt, actus noſtri meritorij (de quibus actum eſt hucuſque) & extrinſeca, nempe Merita Verbi Incarnati, & Sacramenta ab Ipſo inſtituta, collativa Gratiæ. De his
3 ergo agit S. Thomas in tertiâ parte ſuæ Summæ, quam quidem ipſe non abſolvit morte præventus dum occuparetur in Sacramento pœnitentiæ, eius tamen diſcipuli ex alijs Magiſtri ſui operibus ſuppleverunt, ob quam cauſſam Liber ille *ſupplementum nuncupatur.*

CAPVT

CAPVT I.

DE POSSIBILITATE ET CONVENIENTIA INCARNATIONIS.

INCARNATIO, theologicè ſumpta, aliud non eſt, quàm Naturæ divinæ & humanæ copulatio ſeu conjunctio in eadem hypoſtaſi ſeu Subſiſtentiâ ac Perſonalitate Verbi, hoc eſt, Secundæ Perſonę in SS. Trinitate. Denominatur Incarnatio à Carne, quæ in humanâ Naturâ includitur; quo ſenſu non ſolùm Natura humana, ſed etiam totus homo ſolet vocari Caro, Gen. 6. *Omnis caro corruperat viam ſuam.* Lucæ 3. *Videbit omnis caro ſalutare DEI.* Itaque Perſonalitas ſive Subſiſtentia Verbi ſupplet ſubſiſtentiam creatam, de quâ tractant Philoſophi. Per hanc autem ſuppletionem reſultat aliquod unum unitate Perſonæ, hoc eſt, una Perſona conſtans duabus Naturis, dicitúrque *Chriſtus*, ſive, *DEVS Homo.*

§. J. *De poſſibilitate Incarnationis.*

POſſibilem eſſe Incarnationem duobus modis probari poteſt, primò poſitivè, illis ſcilicet argumentis, quibus probatur exiſtentia illius; quæ quidem contra Judæos probatur ex antiquo Teſtamento, quod

Judæi admittunt; contra Gentiles verò probanda est generalibus motivis credibilitatis, de quibus suprà *tract. de Fide.* Secundò probatur negativè, solvendo scilicet argumenta, quæ Gentiles ex naturali ratione afferre possent contra hoc Mysterium: hæc verò argu-
7 menta solvuntur à Theologis eo loco, quo de ipsâ Unione hypostaticâ disputationem instituunt.

Occasione possibilitatis controvertitur à nonnullis, an Angelus sua naturæ relictus, nullâ sibi factâ revelatione, ex solâ comprehensione Naturæ humanæ, eiúsque naturalis subsistentiæ possit ve-
8 *nire in cognitionem evidentem vel probabilem possibilitatis unionis hypostaticæ.*

§. II. *De Convenientiâ.*

COnvenientia duplex est, negativa, & positiva. De negativâ nihil est ulteriùs dicendum: quidquid enim possibile, est ne-
9 gativè conveniens; non enim potest DEVS inconveniens operari. Positivè convenire dicitur, quidquid affert rationem boni. Hoc autem convenit Incarnationi: hæc enim imprimis affert DEO bonum laudabilitatis proximæ, quatenus manifestat maximas & plurimas perfectiones illius, Sapientiam, Potentiam, Bonitatem, Justitiam, Misericordiam; per Incarnationem enim, post lapsum hominis,

hominis, conciliata est Misericordia & Justitia, quatenus pro homine non potente satisfacere condignè substitutus est Christus condignè satisfaciens. Bonitas verò vel maximè manifestatur, quia per unionem hypostaticam modo summo possibili communicatur DEVS creaturæ. Cõveniens etiam erat, DEVM humanæ Naturæ potiùs, quàm cuivis alteri creaturæ uniri, utpote in quâ cæteræ creaturæ quasi in compendio & confinio convenirent, ob quam caussam Homo *μικρόκοσμος* seu parvus mundus dicitur: unde per hanc unionem quodammodo omnes creaturæ participant DEVM, & honorantur. 10 11

§. III. *De Existentiâ Incarnationis.*

MEssiam jam venisse contra Judæos probatur imprimis ex c: 49. Genes. *Non auferetur Sceptrum de Juda, nec Dux de femore eius, donec veniat, qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium.* Deinde Dan. 9. ubi Angelus prædixit Danieli, à restauratione Urbis & Templi Jerosolymitani post captivitatem Babylonicam usque ad Christum ducem elapsuras septuaginta hebdomadas, quas jam effluxisse eo sensu, quo hebdomas ibi accipitur pro septem annis, constat. sed de his videndi sunt Interpretes. 12

Messiam esse verum DEVM habetur Isa. 35. *DEVS ipse veniet, & salvabit nos.* Baruch. 3. *Hîc est DEVS noster: post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est.* Contra Arianos verò ex novo Testamento Joan. 1. *In principio erat Verbum, &c. & Verbum Caro factum est.* 1. Joan. 5. *Hîc est verus* 13 *DEVS & Vita æterna.*

CAPVT II.

DE NECESSITATE INCARNATIONIS.

AD effectum condignæ satisfactionis pro peccatis humani generis 14 fuisse omnino necessariam Incarnationem est jam unanimis DD. sententia contra quosdam antiquiores. Nulla enim pura creatura, quantumvis supernaturalibus donis instructa potuisset condignè satisfacere; id quod authoritate Patrum maximè probatur.

15 In ratione tamen huius veritatis reddendâ mirum in modum variant Scholastici. Aliqui ex eo deducunt, quòd existiment, peccatum mortale esse malitiæ infinitæ: sed hoc fundamentum est valde controversum, & à pluribus negatur. Ideo nascitur

Prima Controversia. An peccatum mortale sit malitiæ infinitæ. *Secunda*

Secunda Controversia. Quæ tandem sit ratio probabilior, quare pura creatura non possit condignè satisfacere, nec pro proprio, nec pro alieno peccato mortali, non obstante, quòd sit malitiæ finitæ.

Tertia Controversia. Utrum pura creatura possit condignè satisfacere pro peccato veniali. 16

Christum verò pro nostris peccatis de condigno satisfeciſſe, ne quidem hæretici negant; vocatur enim eius satisfactio superabundans, ad Rom. 5. & exauditus dicitur pro suâ reverentiâ.

Varias huius veritatis rationes excogitârunt Scholastici. sed illa præ cæteris approbatur, quæ pro fundamento ponit, valorem operis crescere ex dignitate personæ satisfacientis: quapropter cum Persona Christi, utpote divina sit dignitatis infinitæ, derivabit in suas actiones meritorias & laudabiles valorem infinitum. Quia verò hæc ratio varijs impugnationibus obnoxia est, ideo in 17 18 schòlis fusè discutitur, & declaratur.

Controversia prima est, an supposito, quòd inter DEVM & hominem possit intercedere pactum strictè dictum inducens obligationem ex Iustitiâ, Christus quoque satisfecerit ex justitiâ.

Controversia secunda. An Genus humanum fuerit obnoxium (vel etiam esse possit) alicui restitu-

restitutioni faciendæ ex justitiâ, pro quâ Christus satisfecerit.

CAPVT III.

DE CAVSSA FINALI ET MERITORIA INCARNATIONIS.

19 LOQVENDO de possibili, poterat Christi Incarnatio fieri ex aliâ caussâ finali, quàm Redemptionis: cùm enim sit opus DEI liberum, eúmque non dedecens, poterat utique incarnari, etiamsi nullus homo redimendus fuisset: potuisset etiam nolle incarnari, nisi in ordine ad redimendum: poterat item, etiam stante ruinâ
20 generis humani nolle omnino incarnari: poterat denique stante ruinâ incarnari non ad redimendum, sed quasi ad supplendam ruinam per sui existentiam, sicut homines supplent ruinam Angelorum.

Defacto Christum venisse ex motivo redemptionis & gloriæ inde resultantis con-
21 stat ex innumeris Scripturæ testimonijs, unum sufficiat Joann. 3. *Sic DEVS dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.*

Controversia est, an præter motivum redemptionis fuerit aliud motivum Incarnationis, ita defacto movens DEVM, ut etiamsi motivum redemptio-

redemptionis non habuisset locum ex defectu materiæ, scilicet, si Adam non peccâsset, adhuc ex illo Christus venisset. Vel certè, licet defacto non fuerit DEVS motus ullo alio motivo, quam Redemptionis, nihilominus detur hæc conditionata veritas visa à DEO, scilicet, quodsi Adam non peccâsset, tunc DEVS dependenter à visione 22
negationis peccati adhuc Incarnationem decrevisset ex alio motivo quàm Redemptionis. Et hæc de causâ finali.

Quoad Causam meritoriam unionis hypostaticæ, supponendum imprimis est contra Origenem, animam Christi non præextitisse tempore ante ipsam unionem cum corpore & Verbo: item contra Photinum & 23
Nestorium, hunc hominem, scilicet JESVM non præextitisse tempore, antequam Verbo uniretur; hoc enim repugnat Scripturæ Lucæ 1. *quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius DEI*, quæ verba semper intellexit Ecclesia, quòd in primo instanti conceptionis fuerit illa humanitas unita Verbo, & ille 24
homo fuerit Filius DEI. hoc suppositò

Quæritur, an Incarnatio sive quoad substantiam, sive quoad circumstantiam aliquam, v.g. stirpis, accelerationis, loci, fuerit præmium alicuius meriti.

Et quidem loquendo de potentiâ absolutâ, potuisset (ex plurium sententiâ) humanitas Christi

Christi pro priori naturæ ad ipsam unionem hypostaticam elicere operationem meritoriam, non quidem dignificatam ad tam nobile præmium, quale est unio hypostatica, quæ tamen de congruo illam promeruisset.

Defacto tamen non ita contigit, nec est
25 dispensatum in naturâ, quoad hoc, quòd non operetur, antequam sit substantialiter completa & subsistat. Neque enim huius miraculi ullum apparet fundamentum, & negatur diserte à sancto Augustino lib. de corrept. & gratia. c: 11.

Controversia est, an Christus per merita subsequentia promeruerit suam unionem hypostaticam
26 *hoc sensu, quòd illa merita saltem in decreto divino Intentionis præcesserint ipsam Incarnationem.*

Sed neque antiqui Patres & Progenitores Christi promeruerunt substantiam Incarnationis. Nam omnia ipsorum merita processerunt ex meritis futuris ipsius Christi; imò procedebant ex Fide in Christum venturum:
27 ergo Christus venturus erat principium morale illorum meritorum: ergo non erat eorum præmium; nam, ut habet axioma sancti Thomæ: *Principium meriti non cadit sub meritum*, hoc est, non est præmium meriti.

Controversia gravissima est, an & quo sensu potuerit Beatissima Virgo, & defacto meruerit saltem

saltem de congruo circumstantiam Maternitatis, *hoc est, ut eligeretur in Matrem (& eadem est ratio de alijs Christi progenitoribus) & quomodo cum hoc conciliari possit, Beatissimam Virginem non solùm à peccato Originali fuisse immunem, sed ne quidem (ut multi tenent) proximum illius debitum incurrisse.* 28

CAPVT IV.

DE IPSA INCARNATIONE SECVNDVM SE, EIVSQVE TERMINIS.

§. I. *Error Nestorij & Eutychetis.*

DVo præcipui errores extiterunt, 29
circa Vnionem hypostaticam, ambo ab Ecclesiâ damnati: & quidem utriusque erroris, tametsi inter se maximè opponerentur, unum idémque fuit fundamentum erroneum, videlicet nullam intercedere distinctionem inter Naturam & Personam. hinc enim ortus est error, quem 30
postea resuscitavit Nestorius, negans Naturam humanam fuisse unitam verâ & physicâ unione Verbo divino, seu (ut Theologi breviùs exprimunt) negans unionem factam esse in *Personâ*, hoc est, ita ut vi illius una eadémque Persona verè & propriè esset DEVS & Homo; asserénsque duas esse Personas

nas DEVM & Hominem, ita tamen, ut DEVS huic homini conjungeretur ſpecialiſſimo affectu & gratiâ, vi cuius aliquo modo Homo ille diceretur DEVS: ad hoc, inquam, aſſerendum inducebatur Neſtorius, quòd exiſtimaret Naturam humanam & Perſonam eſſe adæquatè idem; unde intulit, & quidem
31 conſequenter, quòd cùm ex duabus Perſonis non poſſit fieri una, hoc ipſo nec poſſit fieri una Perſona per unionem humanæ naturæ cum Verbo.

Alter error, imò delirium fuit Eutychetis, qui cùm contra Neſtorium rectè ſenſiſſet, in Chriſto eſſe unam Perſonam, neque tamen
32 diſtingueret Naturam à Perſonâ, dixit, Naturam divinam fuiſſe per mixtionem & confuſionem cum humanâ Naturâ converſam in unam tertiam Naturam, ſicut elementa per confuſionem & mixtionem fiunt mixtum.

Prior error damnatus eſt in Concilio Epheſino primo, & Conſtantinopolitano V.
33 poſterior in Concilio Chalcedonenſi, & à Leone Papa. Contra priorem ſunt clariſſima Scripturæ teſtimonia matth. 16. *Tu es Chriſtus Filius DEI vivi.* Joann. 1. *Verbum Caro factum eſt: & vidimus gloriam eius gloriam quaſi Vnigeniti.* Poſterior error apertè abſurdus eſt, cùm faciat Naturam divinam

corrupti-

corruptibilem: & ijsdem testimonijs Scripturæ, quibus asseritur Christus esse *Homo DEVS*, asseruntur etiam duæ Naturæ incorruptæ.

§. II. *De Vnione hypostaticâ.*

VNIO hypostatica non est vocanda accidentalis, tametsi suis extremis contingenter accidat; sed substantialis, quia extrema sunt substantialia, & per hanc unionem faciunt unum substantiale Ens completum. quomodocunq; explicetur substantiæ conceptus, de quo unusquisque consulat suam philosophiam. 34

Est quoad substantiam supernaturalis, utpote excedens omnes vires creabiles, estque radix *ut quo* donorum supernaturalium. Quando verò à SS. PP. vocata est *naturalis*, id factum est ad significandum, quòd sit physica, & non merè moralis, ut volebat Nestorius. 35

Controversia est, an Vnio sit realiter distincta ab extremis unitis, vel an sit mera formalitas tenens se ex parte naturæ humanæ, vel denique an sit quædam divina terminatio ab æterno quidem existens, sed non faciens effectum formalem uniti, nisi positâ humanitate. 36

§. III. *De terminis Vnionis.*

IMprimis non est dicendum, quòd Verbum assumpserit *Hominem*, sed *Humanitatem*.

Nam licet ab initio Ecclesiæ usurpatus sit à Patribus ille loquendi modus, nunc tamen est alia ratio, postquam scilicet invaluit usus huius vocis: *Humanitas* significantis abstractè Naturam ut distinctam ab hypostasi; hanc enim solam, & non hypostasin assumpsit
37 Verbum.

Porrò ex parte Naturæ humanæ veniunt anima, corpus, & utriusque unio. De anima habetur Matth. 26. *Tristis est anima mea.* Joann. 10 *Potestatem habeo ponendi animam.* ibid. 12. *Nunc anima mea turbata est.* de Corpore vero, & non merè phantastico, ut vole-
38 bant Manichæi, aut cœlesti, ut Gnostici, Jo. 1. *Verbum Caro factum est.* Lucæ. 14. *Videte, quia Spiritus carnem & ossa non habet.* De unione verò, ex eo quòd Christus mortuus sit. *An autem hæc unio fuerit assumpta immediatè, vel tantùm mediatè, controvertitur.*

De sanguine, sive sit, sive non sit animatus
39 (quæ est lis philosophica) tenendum est esse immediatè assumptum. Verbum enim assumpsit omnes partes humanitatis supplendo earum naturalem subsistentiam atqui sanguis est pars humanitatis. *Trid. sess. 13. c. 3.* Idem dicendum de cæteris tribus principalibus humoribus, scilicet, phlegmate seu pituitâ, bile atrâ, & flavâ: sunt enim non minùs pars hominis,

minis, imò sanguis prout habet rationem partis, est quoddam mixtum ex omnibus.

De capillis & unguibus communior etiam affirmat, ob eandem rationem; si enim non essent partes humanitatis integrales, non esset ratio, cur per concomitantiam ponerentur 40 in Evchariſtiâ, sicut nec tempore cœnæ ponebatur chilus vel saliva.

Controversia est de sanguine effuso, an in triduo manserit hypostaticè unitus Verbo saltem quoad eas partes, quas Christus in resurrectione erat reassumpturus.

Si quis adhuc sanguis reperitur vel in Spinis, vel Sudario, Cruce, &c. non amplius 41 est unitus Verbo; quia non habet amplius ordinem ad humanitatem Christi; imò illæ maculæ non sunt amplius sanguis.

CAPVT V.

DE SANCTITATE HVMANITATIS CHRISTI.

HVmanitas Christi non solùm est 42 sancta sanctitate creatâ, hoc est, gratiâ habituali; sed etiam sanctificatur formaliter ab ipsâ sanctitate increatâ & substantiali: de hâc enim intelligunt Patres sacram Scripturam Daniel. 9. *Vngetur Sanctus Sanctorum.* Pari modo Concilium Florenti-

num in Decr. unionis dicit, Humanitatem DEI fuisse à Verbo Deificatam: *Deificari* autem minùs esse non potest, quàm *sanctificari*. Ratio est, quia per illud habetur formalis sanctitas, per quod habetur stabilis & habitualis formalis repugnantia cum peccato
43 mortali, jus ad visionem beatificam, radix donorum supernaturalium, filiatio DEI, ac denique amabilitas amore amicitiæ divinæ: atqui hæc omnia longè nobiliore modo præstantur à Verbo unito, quàm à gratiâ sanctificante. Nam vi unionis hypostaticæ natura humana Christi est impeccabilis non solùm
44 lethali, sed etiam veniali culpâ, & ita quidem, ut non possit unionem hanc peccando destruere, quemadmodum purus homo potest gratiam: item dat jus ad beatitudinem: unde Christus etiam in hâc vitâ fuit comprehēsor, & præditus visione beatâ: est radix donorum supernaturalium, etiam ipsius gratiæ sanctificantis; ipsi enim unioni tanquam communi-
45 cationi maximæ, ex summo amore profectæ debetur gratia habitualis cum cæteris donis supernaturalibus. constituit denique Christum etiam ut hominem, Filium naturalem, adeóque objectum dignissimum amore amicitiæ: quæ omnia probabuntur in progressu.

Controversia est prima in assignando discrimine, quare videlicet humanitas accipiat à Verbo

bo effectum formalem Sanctæ (sicut & subsistentis) *& non pariter effectum formalem* Immensæ, Æternæ, Omnipotentis, Omniscię.

Controversia secunda est: An Humanitas sanctificetur formaliter a naturâ divinâ, ut virtualiter à Personalitate distinctâ, vel ab hâc, vel ab utrâque.

Vnio hypostatica non sanctificat Humanitatem ut *Quod*, sed tantùm ut *Quo*, sicut vnio Gratiæ sanctificantis. Ratio est, quia unio modalis, quæ est vinculum inter duo, unicè ad hoc est instituta, ut tollat extremorum indifferentiam, & ut unum ab altero accipiat effectum formalem, cuius est capax: ergo ille effectus formalis non tribuitur formaliter ipsi unioni. 46

Gratia habitualis etiam fuit in Christo. Vel enim hæc distinguitur realiter à Charitate, vel non. si non? ergo requirebatur ut principium connaturale eliciendi actus charitatis: si distinguitur, requirebatur ut connaturalis & immediata radix cæterorum habituum supernaturalium, & quidem quoad certum determinatum gradum. 47 48

Congruentia ulterior est; quia decebat ut Christus etiam esset sanctus eo genere sanctitatis, quod in homines volebat derivare: *de ipsius* enim *plenitudine omnes accepimus* Jo. 1. & ipse dicitur vitis, nos palmites.

CAPVT VI.

DE SCIENTIA CHRISTI.

QVADRVPLEX scientia examinatur. Prima. Visio beata. Secunda. Scientia per se infusa. Tertia. Scientia
49 acquisita & abstractiva. Quarta. Scientia experimentalis.

§. I. *De Visione beatâ.*

SCientia beatificans differt ab alijs generibus scientiarum per suum objectum formale, quod est ipse DEVS clarè visus, & in eo, ut in medio creaturæ tanquam objectum materiale (ex communiore sententiâ, de quâ
50 in primâ Parte.)

Hæc existit in Christo ante resurrectionem. Joann. 3. *Quod scimus, loquimur, & quod vidimus, testamur*, testabatur autem de Baptismo conferendo in nomine sanctissimæ Trinitatis. Joann. 1. *DEVM nemo vidit unquam, unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse e-*
51 *narravit*: ubi se Christus excipit.

Imò hæc visio fuit in Christo statim à primo instanti conceptionis. Non enim erat ulla ratio tardiùs conferendi; cùm non sit collata in præmium, sed tanquam debita Filio naturali, cui debetur visio sui Patris: item debebatur illi hæreditatis possessio, quia mors Patris

non

non erat exspectanda, sicut in humanis. Denique visio beata non pendet ab organis, nec à speciebus.

Controversia est, an Christus videat in Verbo omnia futura, per unam, eandémque visionem.

§. II. *De Scientiâ infusâ per se.*

52 SCientia infusa, prout abstrahit ab infusâ *per se*, & *per accidens*, est habitus cognoscitivus non ministerio actuum acquisitus. Infusa per se est, quæ ex suâ & subjecti naturâ petit infundi sine ministerio actuum. Per accidens infusa est, quæ connaturali quidem cursu comparanda esset medijs actibus frequentatis, sed tamen hîc & nunc huic sub-
53 jecto miraculosè infunditur: & ita creduntur infusæ Adamo omnes artes & scientiæ.

Differt autem Scientia per se infusa à visione beatâ per hoc, quòd per suos actus tendat directè in ipsas creaturas: visio autem beata tendat directè & immediatè in DEVM, tâquam objectum formale cognoscendi creaturas. Differt item à nostris scientijs acquisitis,
54 quòd illa tendat in suum objectum sine ullâ conversione necessariâ ad phantasmata & imaginationes; sicut Angeli, & animæ separatæ.

Hæc itaq; scientia infusa etiam tribuenda est Christo, cùm nõ repugnet visioni beatæ, nec statui Redemptoris, ut probant Scholastici.

§. III. *De scientiâ acquisitâ & experimentali.*

NOmine scientiæ acquisitæ intelligitur illa, quæ dependenter ab operationibus sensuum & phantasiæ acquiritur in nobis, cuius ministerio cognoscimus etiam res spi-
55 rituales, sed ænigmaticè ad instar rerum materialium, componendo, dividendo, &c. Experimentalis verò est, quæ in suo objecto formali includit ipsam experientiam præsentem, vel præteritam sensibus externis haustam.

Hanc fuisse in Christo supponunt Theologi. Vtebatur enim sensibus, quorũ actus reliquerunt post se species sui cõmemorativas, &
56 sensus internus eas reflexè cognoscebat, & sic deinceps, prout contingit in nobis. Fuit ergo in Christo scientia nostræ similis; sicque facilius intelligitur illud ab Hebr. 5. *Didicit ex ijs, quæ passus est, obedientiam.* Lucæ 2. *Proficiebat sapientiâ & ætate.* Neque hæc cognoscendi
57 ratio affert indecentiam Christo in statu mortalitatis constituto.

Controversia tamen est, an scientia per se acquirenda fuerit Christo per accidens infusa statim ab initio conceptionis, saltem illorum objectorum, quæ sensibus Christi nunquam fuerunt applicata.

CAPVT

CAPVT VII.

DE IMPECCABILITATE CHRISTI, ET CARENTIA FOMITIS.

VERITAS Catholica, contra blasphemos hæreticos est, Christum nunquam peccâsse. Isa. 53. *eò quòd iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore eius.* Joann. 8. *Quis ex vobis arguet me de peccato.* ad Hebr. 4. *Tentatum per omnia pro similitudine absque peccato;* & ibid. 9. *Semetipsum obtulit immaculatum DEO.* c. 7. dicitur· *Pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis factus.* 1. Petri 3. *Qui peccatum non fecit.* 58 59

Sed neque peccare potuit, propter visionem beatificam, necessitantem ad amorem DEI perfectum, cui displicet, quidquid displicet DEO.

Controversia est prima. An, & in quo rigore Christo repugnet peccatum propter unionem hypostaticam secundùm se, & independenter à visione beatâ. 60

Controversia secunda. An unio hypostatica possit per peccatum destrui vel impediri, ita ut peccatum præcederet pro priori naturæ destructionem vel negationem unionis hypostaticæ.

In Christo non fuit fomes peccati. Per fomitem intelligimus appetitum sensitivum, expeditum, & proximè instructum concursu causæ primæ ad illos motus eliciendos, quibus prævenit rationem superiorem, illíque resistit, & bellum movet inclinando ad objecta
61 illicita: adeóque superaddit ipsi appetitui carentiam illius rectitúdinis debitíque ordinis ac subjectionis ad superiorem rationem, quâ gaudebat in statu innocentiæ. Hinc fomes dicitur aliquando ligatus, aliquando penitus extinctus. Ligatus tunc esse dicitur, quando DEVS per extrinsecam providentiam removet objecta, quæ possent ad huiusmodi motus ex-
62 citare. Extinctus dicitur, quando etiam præsentibus occasionibus non potest exire in motus prevenientes rationem illíque contrarios, sed tantùm in illos, in quos recta ratio consentit: an autem hoc proveniat ab aliquâ qualitate supernaturali, exigente talem gubernationem, vel habeatur merè per decretum DEI
63 extrinsecum, huc non pertinet, sed est quæstio pluribus huiusmodi effectibus communis. His explicatis

Probatur assertio. Ex miserijs & imperfectionibus consequentibus ad peccatum originale illas solas habuit & admisit Christus, quæ illi serviebant ad finem redemptionis, & præbebant ansam meriti & satisfactionis: atqui

qui fomes ad hoc servire non poterat. Nam in Christo non fuit potentia proxima ad peccandum: ergo non potuit illi fomes præbere occasionem certaminis & victoriæ, inferendo vim rationi, eámque ad illicita pelliciendo, sic enim jam adesset actus primus proximus ad peccandum. Cùm ergo motus fomitis ex se 64
sint voluptuosi, non serviebant Christo ad finem Redemptionis, si eas per rationem superiorem approbâsset & admisisset; nam admittere id, quod voluptuosum est, non est difficile, nec ansa meriti.

Econtrario, cùm ad finem Incarnationis, condignæ satisfactionis, emundationis, & il- 65
luminationis generis humani plurimùm conduceret assumptio carnis passibilis, & permissio doloris ad animam usque medijs sensibus penetrantis; ad hoc autem necesse esset, ut anima medijs sensationibus caperet experimentalem notitiam doloriferam, hinc Christus assumpsit carnem, permisit in se tristitiam Matth. 26. & lacrymas in suscitatione Lazari 66
ac supra civitatem Jerusalem, & iram in ejiciendis e templo vendentibus, &c. Hujusmodi autem passiones caruerunt in Christo triplici imperfectione, seu potiùs vi nocivâ, quam in nobis exercent. Primò enim nos inclinant æquè ad inhonesta, atque ad honesta: Christum ad sola honesta. Secundò, in nobis

sæpe

sæpe præveniunt rationem, & sunt motus primò primi, non item in Christo. Tertiò, in nobis turbant rationis usum, & suâ vehementiâ ita debilitant animam, ut non possit quietè rebus supernaturalibus & æternis attendere, prout vellet; non item in Christo ob plenum
67 dominium partis superioris in inferiorem.

CAPVT VIII.

DE LIBERTATE CHRISTI.

§. I. *De Libertate circa mortem subeundam.*

68 SUB hoc titulo venit gravissima præsentis tractationis difficultas, quâ scilicet ratione possint conciliari in Christo hæc tria: Libertas moriendi: (si enim hæc non fuisset, mors non fuisset meritoria) Impeccabilitas, & Obedientia Christi in morte exercita: hæc enim videtur supponere præceptum, & Scriptura sæpe facit mentionem
69 præcepti moriendi. Joann. 14 15. 18. præceptum autem non potest violari sine peccato; ergo ubi est impossibilitas peccati, est necessitas servandi præceptum, ergo nulla libertas. Ideo

Controversia prima est. An hæc tria conciliari possint, admissâ solâ libertate mortis quoad circumstan-

circumstantias, v.g. accelerationis, crudelitatis, &c. & an salvâ Scripturâ possit negari libertas mortis quoad substantiam.

Controversia secunda. Utrum Christus habuerit præceptum theologicè sumptum, obligans in conscientiâ. & an ratione impeccabilitatis 70
fuerit capax talis præcepti. vel potiùs, an præceptum obligatorium essentialiter supponat in obligato capacitatem transgressionis.

Controversia tertia. An excluso præcepto theologico possint omnia conciliari per præceptum juridicum, seu merè comminatorium non quidem alicuius pœnæ, sed duntaxat privationis alicuius boni indebiti.

§. II. *De Conformitate Christi cum voluntate divinâ.* 71

IN aliquo sensu voluntas Christi fuit semper conformis voluntati Patris. Psal. 39. *Ut facerem voluntatem tuâ. DEVS meus volui.* Joann. 4. *Meus cibus est, ut faciam voluntatem eius, qui misit me.* Joann. 8. *Ego, quæ placita sunt ei, facio semper.* Joann. 6. *Qui descendi de* 72
cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me.

Eadem veritas habetur in 6. Synodo act. 4. in Epistolâ Agathonis Papæ: *Prædicamus duas naturales voluntates, non contrarias (juxta quod impij asserunt hæretici) sed sequentem eius*

eius humanam voluntatem, & non resistentem vel reluctantem, sed potiùs subjectam divinæ eius atque omnipotenti voluntati. Ratio est clara. quia Christus semper fuit beatus: atqui non fuisset beatus, si contra voluntatem DEI efficacem aliquid voluisset, quia *beatus est,* (inquit S. Augustinus lib. 1. de Trin. cap. 5. 73 *qui habet quæcunque vult, & nihil malè vult.*

Certum tamen etiam est, habuisse Christum in aliquo sensu voluntatem contrariam voluntati DEI. Matth. 26. *Non sicut ego volo, sed sicut tu.* Lucæ 22. *Non mea, sed tua voluntas fiat.* Unde S. Augustinus ostendit contra Monothelitas, in Christo fuisse non solùm divi- 74 nam, sed etiam humanam voluntatem. Pro conciliatione harum veritatum

Observandum primò. Voluntatem aliquando accipi pro appetitu sensitivo, communiter tamen, & magis propriè pro rationali. Appetitus sensitivus fertur in objectum, prout est sensibile, & sensibus gratum vel in- 75 gratum; dirigitúrque à cognitione solius bonitatis physicæ, & nullo modo conferente hoc bonum cum approbatione, vel improbatione DEI, seu Legis superioris. hinc fit, hunc appetitum ferri eodem modo in objectum, sive licitum, sive vetitum sit: quapropter non est absurdum, imò necessarium concedere in Christo huiusmodi appetitum adversantem

tem divinæ voluntati: quoad ea, quæ DEO magis placebant. Voluit enim DEVS, Christum subesse molestijs sensationum, ut haberet occasionem meriti: ad hoc autem erat necesse, ut appetitus refugeret.

Observandum secundò. Appetitum rationalem subdividi in appetitum necessarium, & in electivum. quandocunque enim voluntati proponitur aliquod obiectum bonum, naturaliter & necessariò elicit voluntas actum simplicis complacentiæ, quo prævenit omnem deliberationem & electionem: si verò proponitur malum, elicit displicentiam; & in his dicitur voluntas operari per modum naturæ, & sæpe per complacentiam versatur circa prohibita, & per displicentiam circa id, quod DEO placet. 76 77

Observandum tertiò. Respectu Christi DEVM nihil voluisse voluntate signi præceptivâ, & inductivâ obligationis violabilis à Christo: quæ autem DEUS voluit voluntate signi consultivâ, necessitabatur Christus moraliter ad se conformandum voluntate superiore, ut sequenti §. dicetur. 78

Observandum quartò Neminem nisi stultum aut blasphemum posse velle resistere voluntati divinæ efficaci beneplaciti sibi cognitæ & perspectæ: neutrum potest Christo convenire.

Obser-

Observandum quintò. Conformitati nostræ voluntatis cum divinâ nihil obesse, si quid velimus solùm sub conditione, si voluntati divinæ non sit contrarium: pari modo non obest, si voluntas divina à nobis existimatur esse conditionata, v. g. pro casu, quo
79 homo non deprecabitur, qualem habuit respectu Ninivitarum.

Ex his constat, nullam aliam difformitatem in Christi voluntate cum divinâ admitti posse, quàm in appetitu sensitivo, & voluntate rationali quoad simplices complacentias & displicentias.

80 **§. III.** *De Libertate quoad imperfectiones morales.*

CHristus habuit necessitatem, ad minimum moralem faciendi semper id, quod cognovit DEO magis placere. Colligitur ex Joann. 8. *Ego, quæ placita sunt ei, facio semper.* Quod autem semper fit, censetur ex morali
81 necessitate fieri. Dixi *ad minimum.* Nam

Controversia est, an Christus habuerit ad hanc necessitatem physicam, & consequenter an Christus solùm fuerit liber ad actus æqualis perfectionis.

CAPVT

CAPVT IX.

DE PRÆMIIS MERITORVM CHRISTI.

IBI ipsi promeruit Christus gloriam corporis, & exaltationem Nominis sui, hoc est, *Salvatoris.* 82
Ratio est, quia licet aliqua gloria corporis deberetur Christo propter unionem hypostaticam (ob quam causſam non accepit in præmium, sed solo titulo hæreditatis gratiam sanctificantem, & visionem beatam) specialis tamen gloria, quæ corpori Christi accessit ex Redemptione, quatenus in illo refulgent glorioſissima signa victoriæ, 83
præsupponit merita provenientia ex corpore non glorioso, sed passibili.

Humano generi promeruit Christus, quantum ex suâ parte est, & quoad sufficientiam remissionem peccatorum, & sic pro omnibus mortuus est, & non solùm pro Prædestinatis, ut definivit Innocentius X. in 84
Const. quæ incipit: *Cùm occasione.* habetúrque in Epist. Can. 1. Joann. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi.* 1. ad Cor. 15. *Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur.* ad Hebr. 2. *ut gratia DEI pro omnibus gustaret mortem.*

Quemadmodum ergo DEVS se solo produxit prima rerum omnium principia, in hunc finem, ut cooperando divinæ omnipotentiæ producerent ulteriores semper & ulteriores effectus, ita Christus per merita sua solus in nobis sine nobis prima salutis semina jacit, in hunc finem, ut cum acceptâ
85 gratiâ cooperemur aliquos gratiæ & gloriæ fructus. Et sicut quandoque contingit, ut causæ secundæ non consequantur effectus intentos, non ex defectu omnipotentiæ, aut divinæ voluntatis, sed ob impedimenta aliunde intervenientia, ita etiam respectu meritorum Christi, præter eius intentionem sæpe interponuntur impedimenta partim
86 naturalia, partim voluntaria & materialiter vel formaliter libera, quibus respectu plurium impeditur propositio Fidei, Sacramentorum administratio, proxima utriusque possibilitas, tum denique felix ad finem usq; progressus; tametsi prædicatio Evangelica
87 cum Sacramentis ita sit instituta, ut omnes & singulos indiscriminatim, quantum est ex se, hoc est, cum virtute generali respiciat.

Omne auxilium gratiæ excitantis, quâ reddimur potêtes nos disponere ad gratiam, quantumvis remotè, est præmium meritorum Christi, ad Ephes. 1. *Qui benedixit nos omni benedictione spirituali in cælestibus in Christo*, ad

sto. ad Tim. 1. *Vocavit nos vocatione suâ sanctâ, quæ data est nobis in Christo IESV.*

Controversia est, an Christus aliquid meruerit Angelis, sive illud fuerit prima sanctitas, sive perseverantia, sive aliquid aliud.

CAPVT X. 88

DE SERVITVTE ET ADOPTIONE CHRISTI.

AN Christus secundùm Humanitatem dicendus sit servus DEI, est inter Catholicos mera lis de nomine *Servi*: si enim significatum huius vocis intrinsecè & essentialiter 89
includit negationem æqualitatis in dignitate & throno, Christus hoc sensu non est servus. Si verò significatum *Servi* plus non importat, quàm id, quod requirit Aristoteles, videlicet, ut sit *organum animatum, separatum* (saltem secundùm naturam & voluntatem) *alterius homo existens* vel clariùs: quòd sit 90
homo efficaciter ordinabilis ab alio ad quidvis, ad quod libuerit; ut sic Christus est servus DEI, fuit enim obediens usque ad mortem.

Dixi: inter Catholicos: si qui enim hunc loquendi modum usurparent animo resuscitandi hæresin Nestorij, (ut insimulantur Elipandus & Felix reprehensi ab Adriano

Papâ, apud tales esset hic loquendi modus vitandus.

Christus quà homo non est filius adoptivus. Filius enim adoptivus est, qui cùm per naturam, hoc est, per naturalem generationem non sit filius, sed extraneus, voluntate tamen & affectu optatur esse filius, & pro tali habetur. Atqui licet humanitas Christi in abstracto considerata nihil includat eiusmodi, quia tamen ut sic considerata non est persona, ideo ut sic non est filius naturalis nec adoptivus. Porrò Persona Christi quà homo est, includit ipsum Verbum, ratione cuius non est amplius persona extranea: ergo Christus quà homo non potest intelligi filius adoptivus; sed etiam sub hâc reduplicatione dicendus est Filius naturalis; non quasi humanitas sit ratio filiationis, sed quia Verbum includitur.

91

92

Controversia tamen est, an hæc filiatio non sit alia filiatio, quàm illa ipsa æterna Generatio Verbi, vel an hoc totum complexum importet aliquam filiationem naturalem distinctam ab illâ Generatione æternâ, vi cuius possit dici Filius naturalis totius Trinitatis, prout Adrianus Papa appellavit in Epist. ad Episcopos Hispaniæ.

93

CAPVT

CAPVT XI.

DE ADORATIONE CHRISTI.

§. I. *De Adoratione in genere.*

ADORATIO communiter definitur ex S Damaſceno, animi cedentis, ſubmiſſi atque humilis ſignificatio. 94
Unde infertur primò. Adorationem non exhiberi niſi ſuperiori. Secundò, non tantùm DEO & Sanctis, ſed etiam perſonis profanis, ut Regibus, Principibus exhiberi poſſe adorationem civilem & politicam.

Adoratio ſacra dividitur in *Latriam, Duliam, & Hyperduliam.* Latria antehac ſervitutem in genere ſignificabat; nunc uſu Eccleſiaſtico ſignificat ſpecialem Adorationem ſoli DEO convenientem ratione ſupremæ & infinitæ excellentiæ. Dulia ſignificat adorationem, quæ exhibetur ſanctis DEI amicis: quia verò inter hos eminet Beatiſſima Virgo propter Maternitatem, ideo ſpecialis cultus illi conveniens eſt Hyperdulia. 95 96

Differt adoratio ab Humilitate, quòd adorationis cultus ſit virtus ad alterum, humilitas non item, & ideo Humilitas reducitur ad Temperantiam, ut ſuprà dictum, Adoratio ad Juſtitiam tanquam pars poteſtativa illius. Humilitas itaque præcisè at-

tendit honestatem in non tribuendo nobis plus, quàm conveniat, & sic consequenter in se non extollendo supra alios, &c. at verò adoratio attendit honestatem in tribuendo alijs, quòd ipsis convenit, agnoscendo videlicet illorum supra nos eminentiam, & volendo se respectu illorum collocare inferiùs:
97 unde plus est adorare, quàm se humiliare, licet adoratio humilitatem aliquo modo vel includat, vel præsupponat.

§. II. *De adoratione latriæ Christo debitâ.*

98 DE Fide est, hunc hominem seu Personam, quæ est Christus, adorari cultu latriæ Joann. 5. *Vt omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem.* Joann. 20. Thomas adorans dixit: *Dominus meus, & DEVS meus.*

Porrò hæc adoratio non terminatur ad solum Verbum, sed etiam ad Humanitatem,
99 quæ dicitur *coadorari*: ita loquuntur sancti Patres, sufficiat sanctus Augustinus, qui, cùm serm. 58. de verb. Dom. sibi objecisset, quasi creaturam adoraremus cultu latriæ, respondet: *Ego dominicam carnem, imò perfectam in Christo humanitatem propterea adoro, quòd à divinitate suscepta, atque Deitati unita est, ut non alium atque alium* (ut Nestoriani) *sed unum*

unum eundémque DEVM & hominem DEI Filium confitear.

Tametsi itaque cultu *Latriæ absolutæ* solus DEVS simpliciter adoretur, eâdem tamen adoratione coadorantur etiam illæ partes, quæ sunt divinitati physicè unitæ (& non merè moraliter ut vestes) hoc est, sicut per illam unionem humanitas Deificatur, ita virtute illius unionis meretur cultum nulli alteri creaturæ convenientem. Porrò cultus Latriæ differt maximè à cultu Duliæ per hoc, quòd cultu Duliæ præferamus quidem Sanctos nobis, sed non propterea unum alteri: cultus hyperduliæ præfert Beatam Virginem omnibus cæteris creaturis puris non habentibus dignitatem Matris DEI, at verò Latriæ cultus ita se submittit DEO, & cuicunque per unionem Deificato, ut protestetur, à se supra omnes creaturas efferri, & consequenter est cultus soli DEO debitus, quia est *coadoratio*, essentialiter includens adorationem DEI. 100 101

Hinc patet hanc coadorationem realiter identificatam cum adoratione Verbi, si formaliter consideretur, esse in modo adorandi inæqualem; adoratur enim humanitas non propter excellentiam identificatam, sed propter unitam, quod est imperfectius, quàm habere identificatam 102

§. III. De adoratione Sanctorum & Imaginum.

OCcasione adorationis Christi, brevissimè aliquid de Adoratione & Invocatione Sanctorum & Imaginum dicemus, referendo Catholicarum veritatum fundamenta, prolixiorem disputationem Controversistis relinquendo. 103

Imprimis autem pro fundamento supponendum est, animas Beatorum frui beatitudine & visione DEI ante extremum Judicij diem, ut definivit Benedictus XII. Florent: Concil: sess. ult. decr: union. paulò ante finem, & Trid. sess. 25. De Invocat. Sanctorum, & habetur 2. ad Cor. 5. ubi dicitur animas esse præsens Domino non per fidem, sed per speciem, etiam dum peregrinatur à corpore. & Lucæ 23. promittitur Latroni Paradisus. & ad Ephes. 4. *Ascendens Christus in altum captivam duxit captivitatem.* hoc supposito. 104 105

Est Catholica veritas prima. Sanctos rectè coli cultu Duliæ, propter dona supernaturalia adeóque plus, quàm cultu civili. Num. 22. Propheta Balaam adoravit Angelum. & Josue. 5 c: idem fecit. 3. Reg. 18. Abdias vir sanctus adoravit Eliam, ut prophetam ac hominem DEI sanctum. 4. Reg. 2. Filij Prophetarum adorârunt Elisæum propter

pter ſpiritum Eliæ. Dan. 2. Nabuchodonoſor Rex adorat Danielem propter donum interpretationis acceptum à DEO.

Secunda veritas Catholica eſt, Sanctos orare pro vivis non ſolùm in genere, ſed etiam in particulari. Probatur à paritate Angelorum, qui pro nobis orant in particulari. Tob. 12. Zachar. 1. Dan. 10. Pſal. 90. Matth. 18. Apocal: 8. 106

Tertia eſt, Sanctos utiliter à vivis invocari, & licitè. Probatur etiam à paritate Angelorum & Sanctorum adhuc in terris verſantium. Gen. 48. *Angelus* (inquit Jacob) *benedicat pueris iſtis.* 1. Reg. 7. dicunt Iſraelitæ ad Samuelem: *Ne ceſſes pro nobis clamare ad Dominum.* Job. ult. *Ite ad ſervum meum Iob. ille orabit pro vobis.* Ad Rom. 15. *Obſecro,* (inquit Paulus) *ut adjuvetis me in orationibus pro me ad DEVM.* 107

Quarta eſt, Imagines Chriſti & Sanctorum, imò & ipſius DEI rectè haberi & coli tam extra, quàm intra templa. Trident. ſeſſ. 25. quidquid ante hoc Concilium dixerint quidam Catholici, Imaginem Divinitatis non rectè fieri, nec ab Eccleſiâ probari, ſed tolerari. Certè ſæpius legitur DEVS apparuiſſe in figurâ corporeâ: atqui Imagines aliud non faciunt, quàm ut DEVM repræſentent in figurâ corporeâ, ſine cuius imaginatione nihil 108

possumus in hâc vitâ concipere, licet optimè sciamus, nec DEVM, nec Angelos esse corpora. Pari modo Scriptura sæpe describit DEVM secundùm figuram corpoream, tribuendo figuratè membra humana, dum dicit, DEVM stare, sedere, ambulare, dum nominat
109 eius oculos, digitos, brachia, &c.

Porrò cultus iste, qui Imaginibus exhibetur verè est cultus ipsius Imaginis, non quidem absolutus, sed respectivus, hoc est, cum respectu ad ipsum exemplar, adeóque non est merus cultus ipsius exemplaris ad præsentiam Imaginis, ut quidam voluerunt, quorum opinio post Trid. non toleraretur.

110 *Controversia tamen est, an ad ipsam Imaginem non solùm terminetur cultus externus, sed etiam affectus internus submissionis.*

CAPVT XII.

DE COMMVNICATIONE IDIOMATVM.

111 IDIOMA Theologis hîc idem est quod *Prædicatum*: Communicatio verò idiomatum aliud non est, quàm quòd prædicata, quæ Christo conveniunt formaliter ratione unius Naturæ, dicantur de illo, ut expresso nomine alterius Naturæ; v. g. convenit illi *esse passum, mortuum,*

tuum, &c. ratione humanæ naturæ; hæc per communicationem Idiomatum dicuntur de Christo significato per Nomen DEVS, ita ut rectè dicatur DEVS esse passus, mortuus, &c. & econtrario etiam dicitur homo esse Creator, Dominus universorum, quæ conveniunt ratione Naturæ divinæ. 112

Omnis huiusmodi prædicatorum vicissitudinaria communicatio fundatur in veritate huius propositionis: *DEVS est Homo. Homo est DEVS.* de cuius proprietate licet minùs rectè senserit Durandus, ab omnibus tamen, etiam hæreticis nostri temporis admittitur, & est definita in Concil. Ephesino adversus Nestorium negantem, B. Virginem esse Deiparam. 113

Controversia est, an sicut Homo *dictus de Christo importat in recto subsistentiam divinam, ita etiam dictus de puro homine importet subsistentiam, vel an sit discrimen, & quod sit huius discriminis fundamentum.* Ut autem cognosci faciliùs possit, quænam prædicata admittant huiusmodi prædicationem, sit 114

Regula prima. Prædicata, quæ conveniunt naturæ in abstracto quâ tali, non possunt nec in abstracto, nec in concreto prædicari de altero, v. g. non potest dici: *Verbum est assumibile*, aut *assumibilitas*: *Homo est communicabilis Verbo.*

Regula

Regula secunda. Nulla prædicatio seu communicatio prædicatorum quorumcunque & quomodocunque propriorum unius naturæ fieri potest cum reduplicatione restringente suppositum ad alteram naturam determinatè: v. g. non licet dicere, nec verè
315 dici potest: *Homo ut homo est DEVS; DEVS ut DEVS est mortalis.* Ratio est, quia ex communi usu & impositione, per reduplicationes significamus prædicatum convenire subjecto vi naturæ reduplicatæ, seu importatæ ex parte subjecti.

Regula tertia. Sicut huiusmodi prædica-
316 tiones negativæ adjectâ reduplicatione sunt veræ, ita sine reduplicatione sunt falsæ: unde licet verum sit: *DEVS quà DEVS non est Homo*, omissâ tamen reduplicatione est falsum dicere: *DEVS non est Homo.* Ratio est, quia negatio est malignantis naturæ, destruens totum, quod sequitur secundùm omnem suam rationem: unde hæretica est
317 hæc propositio. *Verbum non est natum ex Virgine.*

Regula quarta. Universim tunc rectè fit huiusmodi communicatio idiomatum, quando Natura, cui prædicatum est proprium, importatur in obliquo in resolutione illius prædicati: v. g. prædicatum *Passus* resolvitur in habens naturam recipientem in se vulnus

vulnus vel dolorem; & ideo potest dici: *Verbum est passum.*

Regula quinta. Quando tamen est dubium, attento communi sensu & modo loquendi, an prædicatum dicto modo resolvatur, tunc non debent huiusmodi prædicationes simpliciter fieri, sed cum adjectâ reduplicatione 118
cadente supra Naturam, cui tale prædicatum est proprium; v.g. dubium est, an *esse creaturâ* sit resolvendum in *habens naturam creatam*, vel potiùs in *habens creationem immediatè ad se terminatam*: ideo non est nudè dicendum: *Verbum est creatura*, quæ propositio sapit Arrianismum. Ex simili causâ non debet 119
nudè proferri hæc: *Christus est ubique*: propter Ubiquistas, qui eâ utuntur ad asserendum, etiam secundùm humanitatem esse ubique.

Regula sexta. Illorum idiomatum communicatio non est usurpanda sine ulteriore explicatione, quæ vel ex aliquâ peculiari hæresi, vel ex alio capite est suspecta de sensu falso, nempe quasi prolata esset in sensu 120
formali & reduplicativo. Hinc inferunt docti moderni, rectè quidem dici, *DEVM esse mortuum*, non autem: *DEVM esse mutatum*. Licet enim *mori* sit *mutari*; nemo tamen hæreticus dixit, DEVM esse mortuum secundùm divinitatem, sicut aliqui dixerunt, secundùm divinitatem esse mutatum.

Regula

Regula septima. Præscindendo à periculo erroris, quæcunque nomina solent à nobis tribui supposito ratione naturæ humanæ vel divinæ, possunt affirmari promiscuè de DEO & de Homine.

TITVLVS II.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

121

CAPVT I.

DE NATVRA SACRAMENTI DOGMATICE ACCEPTI.

122 NOMEN *Sacramentum* non est primitus institutum ad significandas illas Ecclesiæ cæremonias, quas hodie Sacramenta vocamus: apud profanos enim Scriptores usurpabatur pro Juramento: aliquando significabat pignus litigātium apud Pontifices in loco sacro repositum: denique 123 significabat rem secretam & occultam seu mysticam propter aliquam excellentiam: quo sensu maximè utitur vetus ac novum Testamentum. Tob. 12. *Etenim Sacramentum Regis abscondere bonum est.* Ad Ephes. 1. *Vt notum faceret Sacramentum voluntatis suæ.* & c. 3. *Quæ sit dispensatio Sacramenti abscon-*
diti. Tandem

Tandem verò à Patribus & Doctoribus Ecclesiæ rigidiorem significationem accepit, ut illas septem species cæremoniarum Novæ Legis, ac etiam quasdam antiquæ Legis tanquam figuras futurorum, ut Circumcisionem, consecrationem Sacerdotum, esum Agni Paschalis, &c. nomine *Sacramenti* exprimeremus. 124

Ad rationem Sacramenti in sensu theologico requiritur imprimis, ut sit signum sanctitatis, & quidem sanctitatis veræ, hoc est, gratiæ habitualis. quod videtur etiam supponi in Tridentino *sess. 13. Decr. de Evchar. c. 3. initio*, ubi ait, Evchariſtiæ hoc commune esse cum cæteris Sacramentis, quòd sit 125 symbolum rei sacræ, & gratiæ invisibilis forma visibilis.

Præterea ad rationem Sacramenti communiter etiam requiritur, ut sit signum practicum, sive caussa alicuius sanctitatis. Est autem sanctitas alia propriè dicta, nempe Gratia habitualis, alia impropriè, nempe figura veræ sanctitatis, & vocatur sanctitas 126 legalis; atque huiusmodi sanctitatem legalem caussabant in susciepiente Sacramenta veteris Legis, v.g. Circumcisio sanctificabat efficiendo membrum populi electi Dei, ut gauderet specialibus favoribus illius populi, & admitteretur ad legalia: Consecratio Sacerdo-

cerdotum eos specialiter reddebat eximios; & conferebat potestatem offerēdi victimas, edendi panes propositionis, &c. Purificationes & expiationes removebant ea; quæ impediebant vigore Legis à cultu divino. Sacramenta verò novæ Legis causſant ve-
127 ram sanctitatem, ut infrà dicetur; hæc enim est sanctitas proportionata novæ Legi, quæ est Lex gratiæ, & perfecta, cuius umbra & figura erat Lex antiqua.

Tertiò ad rationem Sacramenti requiritur, ut sit symbolicum, hoc est, habens in se
128 similitudinem & imaginem sanctitatis significatæ, v.g. Ablutio cum absterſione peccati originalis & aliorum; unctio cum roboratione & fortitudine in Fide, &c. colligitur ex S. Augustino, qui Epist. 23. paulò ante finem hoc clarè asserit his verbis: *Si Sacramenta quandam similitudinem earum rerum,*
129 *quarum Sacramenta sunt, non haberent; omnino Sacramenta non essent.*

Quartò non malè à plerisque requiritur, ut sit signum aliquo modo stabile, hoc est, quod aliquandiu sit in usu; non tamen est necesse, ut duret toto tempore, quo durat Ecclesia vel Religio, in quâ reperitur: nam in Lege naturæ, priusquam existeret Lex scripta Moysis, dabatur Sacramentum pro masculis contra peccatum originale, quod tamen

men cessavit apud populum Israëliticum, quando fuit instituta Circumcisio, & tamen adhuc durabat Lex naturæ quadringentis ferè annis. Item Circumcisio non cœpit cum Lege naturæ.

Controversia est, an Sacramenta veteris & novæ Legis possint unâ definitione univocâ definiri, vel an conveniant tantùm Analogicè, sicut conveniunt sanctitas vera & legalis in ratione sanctitatis. 130

Sacramenta novæ Legis in hoc differunt principaliter à Sacramentis veteris Legis, quòd illa contineant gratiam, & dignè suscipientibus eam conferant, vetera verò non causabant gratiam, sed solùm per Passionem Christi dandam figurabant, ut loquitur Conc: Florentinum Decreto Fidei post sess. ult. 131

Itaque ex dictis Sacramentum novæ Legis ita definitur cum Magistro. *Sacramentum est invisibilis gratiæ visibilis forma, eiusdem gratiæ similitudinem gerens & caussa existens.* 132 vel cum S. Thoma. *Est signum practicum rei sacræ sanctificantis homines.* vel: *est invisibilis gratiæ visibile signum ad nostram justificationem institutum.* vel: *est signum sanctitatis symbolicum practicum, à DEO pro hominibus institutum.* quæ omnes reipsâ conveniunt.

CAPVT II.

DE MATERIA ET FORMA SACRAMENTORVM NOVÆ LEGIS IN GENERE

133 MNIA novæ Legis Sacramenta tribus perficiuntur, rebus tanquam materiâ, verbis tanquam formâ & intentione Ministri. teste Florentino *Decr. unionis* §. *quinto.* quænam autem singulorum sit materia & forma, ad singulorum tractationem spectat. Illud in Matrimonio speciale est, quod regulariter quidem per verba celebretur, possit tamen per alia quoque signa fieri. Christus enim ad rationem Sacramenti
134 elevavit contractum eo modo, quo priùs fieri poterat, & ideo etiam inter absentes valet.

Materia & forma Sacramentorum est aliquo modo à Christo ita designata, ut sit invariabilis ab Ecclesia. Designavit enim Christus certa quædam prædicata rerum, secundùm
135 quæ & per quæ essent materia; sine quo prædicato non est sufficiens materia. Sunt quidem aliqui casus, in quibus videri posset Ecclesia mutare materiam; sed revera non mutat: solùm enim facit, ut aliquid habeat, vel non habeat illud prædicatum, quod Christus designavit: sed hoc fusiùs declaratur in scholis, &

lis, & utcunque patebit ex dicendis de materia & forma singulorum Sacramentorum.

Controversia est, quanta debeat esse variatio materiæ vel formæ, ut non sit amplius idonea, & qualis in hoc puncto sit regula præ oculis habenda.

CAPVT III. 136

DE SACRAMENTORVM CAVSSALITATE ET EFFECTIBVS.

THEOLOGI distinguunt duplicem modum obtinendi fructus ad salutem æternam conducentes, unum 137
vocant *ex opere operantis*, alterum *ex opere operato*. Ex opere operantis tunc dicimur obtinere, quando fructus commensuratur tanquam præmium seu congruum, seu condignum nostro operi secundùm operis meritum. Ex opere operato dicimur obtinere effectum, quando datur non intuitu meriti nostri, si quod forte tunc intercessit, sive, quando in 138
largitione talis effectûs præcisè attenditur opus, sine respectu ad meritum nostrum quà tale, vel illius, qui tale opus immediatè operatus est.

Sacramenta novæ Legis caussant gratiam sanctificantem in susscipiente non habente obicem, ex opere operato. *Trid. sess. 7. can. 8.*

& quidem clara sunt Scripturæ testimonia; Joann. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu sancto.* Ad Ephes. 5. *Christus dilexit Ecclesiam, & tradidit semetipsum pro eâ, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ:* in quæ verba sanctus Augustinus Epist. 58. *Quidquid ab*
139 *hominibus quarumcunque culparum contrahitur, propter ipsum lavacrum remittitur.* 1. Pet. 3. *Salvos nos fecit Baptisma.* ad Titum 3. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis* Act. 2. *Baptizetur unusquisque vestrûm in remissionem peccatorum.* Testimonia pro alijs Sacramentis suo loco afferentur. Hæc pro Baptismo sufficiant ad redarguendum hæreticorum erro-
140 rem, volentium, Sacramenta nõ habere aliam vim, quàm excitandi objectivè in nobis Fidem in Christum, quâ deinde Fide justificemur. Accedit, quòd Scriptura sæpe requirat Baptismum præsuppositâ jam Fide. Act. 8. *Si credis ex toto corde, licet baptizari.* Marci ult. *Prædicate Evangelium omni creaturæ, qui crediderit,*
141 *& baptizatus fuerit, salvus erit.* Act. 19. jubentur baptizari, qui jam crediderant.

Diversis Sacramentis correspondent etiam gratiæ diversæ: in hunc enim finem ea Sacramentorum diversitas est instituta, ut videlicet unum significaret per modum nutritionis, aliud per modum confirmationis, aliud per modum ablutionis, &c. attentâ nimirum naturali

turali quadam proportione, quæ illis ineſt ac aptitudine ad ſignificandum ſpecialiter talem diverſum effectum ſpiritualem. Præterea etiam formæ ſignificant aliquam diverſitatem gratiarum, ut patet ex formâ Diaconatûs: ubi dicitur: *Accipe Spiritum ſanctum ad reſiſtendum diabolo & tentationibus eius, &c.* 142

Controverſia eſt prima. In quonam hæc gratiarum ſacramentalium diverſitas realiter conſiſtat, & in quo differat gratia ſacramentalis à non ſacramentali.

Controverſia ſecunda. An Sacramenta cauſſent vel poſſint ſaltem cauſſare phyſicè Gratiam per potentiam obedientialem: vel potiùs an eam cauſſent moraliter, objectivè movendo DEVM. 143

Controverſia tertia. Pro quo inſtanti cauſſent Gratiam.

Controverſia quarta. Vtrum Sacramentum Circumciſionis fuerit cauſſa Gratiæ, vel conditio, vel neutrum, reſpectu parvulorum.

Præter Gratiam ſanctificantem eſt & alius effectus Sacramentorum non quidem omniũ, ſed trium, nempe Baptiſmi, Confirmationis, & Ordinis, *Character*, ut habetur in Florentino Decr. Vnionis & Trid. ſeſſ. 7. can. 9. 144 Eſt autem Character ſacramentalis ſignum quoddam ſpirituale Sacramenti vel poteſtatis acceptæ, & per potentiam ordinariam indelebile, animæ impreſſum.

Quare autem hæc tria, non item cætera imprimant Characterem, tametsi fundamentaliter sit in arbitrium Dei revocandum, congruentia tamen hæc reddi solet, quòd in illis tribus Sacramentis fiat specialis deputatio talis hominis ad speciale munus & officium,
145 certásque functiones spirituales exercendas, quibus promoveatur cultus Dei, ad quas alij carentes illo charactere non sunt ita deputati; sicut & in militia & aulis Principum certis quibusdam signis discernuntur diversi officiales. In Baptismo datur Character, quo quis in familiam Christi adoptatur, accipiens jus
146 & potestatem ad alia Sacramenta recipienda, &c. In Confirmatione datur Character militaris, quo ex familiâ assumitur in militem, cuius speciale munus sit fortiter contra Fidelium hostes pugnare, &c. In Sacramento Ordinis datur Character, quo designatur quasi in Ducem aut unum ex Magistratu, qui tanquam minister Christi specialiter operatur ea, quæ
147 ad supremum cultum & populi gubernationem pertinent, dona, id est, Sacramenta dispensęt, &c.

Controversia est, an Character sit quædam Potentia activa, saltem quæ instar speciei impressæ concurrat loco objecti, hoc est, Sacramenti & potestatis acceptæ, quam representat.

CAPVT

Caput IV.

DE CAVSSA EFFICIENTE TAM PRINCIPALI, QVAM MINISTERIALI SACRAMENTORVM.

§. I. *De Authore Sacramentorum.* 148

SOLVS DEVS potest authoritativè & voluntate efficaci instituere Sacramentum. Solus enim DEVS habet in potestate suâ Gratiæ collationem: & nemo potest fieri filius adoptivus, & amicus DEI cum jure ad possidendum ipsum DEVM, nisi accedat voluntas & authoritas DEI. 149

Christus verò ut homo instituit Sacramenta tanquam caussa meritoria, item declarando voluntatem DEI, conferendi Gratiam per talia signa. Et quidem omnia septem fuerunt à Christo Domino immediatè instituta, nullum mediantibus Apostolis; quidquid aliqui senserint de Confirmatione, Pœnitentiâ, 150 & extremâ Unctione: nam hæc fuit mens Patrum Concilij Tridentini, quam clariùs expressérunt agentes in specie de extremâ Unctione sess. 14. can. 1. de quâ maximè litem movebant hæretici; hanc enim ait Concilium, esse à Christo Domino institutam, & ab Apostolo Jacobo promulgatam. Colligi-

tur etiam ex seſſ. 21. c. 2. ubi ait, perpetuò in Eccleſiâ fuiſſe auctoritatem diſpenſandi in accidentalibus, non tamen in ſubſtantiâ Sacramentorum.

Quodſi, ut poſſet, faceret DEVS creaturæ poteſtatem deſignandi quædam ſigna ad
151 conferendam gratiam, tunc quidem creatura poſſet dici inſtituere, ſed minùs principaliter.

§. II. *De Convenientiâ inſtitutionis Sacramentorum.*

CONvenientia inſtitutionis Sacramentorum tanquam ſignorum ſenſibilium
152 rei præſtantiſſimæ ſupernaturalis & inſenſibilis, nempe gratiæ, deſumitur imprimis ex dependentiâ cognitionis humanæ à ſenſibus & ſenſibilibus; deinde ex eo, quòd humana natura per lapſum primi parentis à ſtatu innocentiæ dejecta, & rebellioni partis inferioris obnoxia, vel maximè rebus ſenſibilibus, erga quæ nimis immoderatè afficitur,
153 ad ruinam ſpiritualem, & gratiæ jacturam trahatur. nihil ergo convenientiùs divinæ Sapientiæ & Providentiæ eſſe poterat, quàm ut in hoſtem infenſiſſimum ipſius hoſtis arma converteret, *& medelam ferret inde hoſtis, unde læſerat*, ut habet hymnus Eccleſiæ. Addunt ingenioſi Recentiores aliam congruentiam,

tiam, inde desumptam, quòd sicut Originale peccatum, radix totius rebellionis, in nos derivatur ex Adamo, actione corporali, generationis, ita quoque Gratia, quæ est radix actionum supernaturalium prævalentium contra sensualitatem, derivanda esset ex Christo secundo Adamo in filios adoptionis 154
per corporalem actionem divinæ regenerationis, augmentationis & conservationis.

§. 111. *De numero Sacramentorum novæ Legis.*

DE Fide est, nec plura, nec pauciora esse quàm septem, ut habetur in Florent. & 155
Trid, in quo conveniunt Græci & Latini, ac proinde hoc semper fuit dogma totius Ecclesiæ, cui contradicere, est insolentissimæ insaniæ, teste Augustino Epist. 118.

Convenientia huius numeri, ac diversitatis inter se desumitur ex comparatione vitæ corporalis cum spirituali: sicut enim primò 156
per generationem vita corporalis inchoatur, ita vita spiritualis per *Baptismum*, quod est *Sacramentum regenerationis*. Secundò, sicut hominem genitum oportet crescere & roborari membris ac viribus; ita per *Confirmationem* homo in Gratia & Fide roboratur, unde à sanctis Patribus complementum Baptismi vocatur, & olim solebat im-

mediatè post Baptismum conferri, atque etiam ipsius effectus *Virtutis* seu roboris nomine exprimitur à Christo Lucæ 24, *donec induamini virtute ex alto.* Tertiò, sicut homo etiam postquam ad debitas vires pervenit, nihilominus opus habet nutrimento, quo
157 partes per naturalem calorem, ac primarum qualitatum pugnam deperditæ restaurentur, ita per *Evchariſtiam* tanquam cibum homo spiritualiter nutritur, & fervor charitatis diminutus reparatur. Quartò, quemadmodum homo morbis obnoxius indiget remedijs, quibus morbi pellantur, ita per *Pœnitentiam*
158 animæ vulnera morbique per peccata contracti curantur. Quintò, quia etiam morbo sublato reliquiæ remanere solent, quæ naturam debilem reddunt, donec ulterioribus fomentis emendentur, & sic sanitatis integra restitutio absolvatur, ita per *Extremam Vnctionem* reliquiæ peccatorum tolluntur, & homo pro ultimâ cum dæmone luctâ
159 roboratur. Sextò, cùm homo sit animal sociabile, & in communitate rectiùs vivat, in quâ debent alij alijs præesse, ac publica ministeria obire, hinc simili modo vitæ spirituali Fidelium expediebat, ut essent publici ministri, qui populum regerent & pascerent, qui constituuntur per *Sacramentum Ordinis.* Septimò denique, quemadmodum genus humа-

humanum, ne interiret, debebat propagari, ita per Sacramentum Matrimonij inter Fideles propaganda erat Christi Ecclesia, &c.

Controversia est, an hæc Sacramentorum divisio sit generis in species infimas, an subalternas.

§. IV. *De statu & intentione Ministri.* 160

MInister ordinarius Sacramentorum habens potestatem vi præsentis institutionis, in quantum ea est manifestata toti Ecclesiæ, non est nisi homo viator: verba enim, quibus legimus Sacramenta instituta; non nisi ad viatores sunt directa. Non tamen quilibet potest esse Minister cuiuslibet Sacramenti, sed ad aliquorum Ministros speciales conditiones requiruntur, ut in progressu de singulis dicetur. 161

Objectum Intentionis.

MInister, nisi habeat intentionem debitam, non facit Sacramentum, etiamsi actiones præscriptas, & à Christo institutas exteriùs ponat; & licet aliqui Catholici fuerint, qui existimârint, ad confectionem Sacramenti sufficere, si actiones externæ fiant, cum negatione manifestationis animi non seriò agentis, esto fortasse revera non seriò 162

agat,

agat, hæc tamen opinio reprobatur communissimè, utpote parùm conformis Tridentino requirenti animum serium faciendi, quod per tales actiones Ecclesia facit. Ratio autem est hæc. Illa intentio requiritur, quæ est apta constituere & denominare *Ministrum* Christi:
163 seu operantem nomine Christi, & ex commissione Christi: atqui talis non est intentio faciendi præcisè actiones externas: ergo hæc non sufficit. Major & minor propositio declarantur.

Duobus modis possunt illæ actiones fieri ab homine; vel nomine & authoritate propriâ,
164 vel nomine & authoritate Christi eas instituentis & cõstituentis Ministros: Primo
165 modo non sunt elevatæ ad rationem Sacramenti, sed secundo modo, ut liquet ex significatione formarum, & expressit Apostolus. 1. ad Cor. 4. *Sic nos existimet homo, ut Ministros Christi, & Dispensatores mysteriorum DEI:* Debent ergo actiones fieri nomine Christi, ut habeant rationem Sacramenti: nemo autem operatur alterius nomine, tanquam Minister & Procurator seu Mandatarius illius, nisi habeat intẽtionem saltem implicitam operandi ex potestate ab illo acceptâ: jam verò, qui nihil aliud intendit, quàm ipsas actiones, facit illas suo non Christi nomine: ergo talis intentio non sufficit ad rationem Sacramenti. *Contro-*

Controversia tamen & difficultas est, quid illud sit, quod Minister ex parte objecti debeat velle ultra actiones externas, & sine vitiosâ reflexione intentionis in seipsam.

Illud certum est, & utile pro praxi, non esse necesse, ut velit explicitè gratiam conferre, alioquin hæreticorum Baptismus non 166
valeret; sufficit ergo, eam velle implicitè; v.g. si velit eas actiones facere ad eum finem, quem Christus in illis instituendis intendit: quem intendit Ecclesia: ut solent fieri à bonis Ministris: ut omne bonum conferatur, quod per illas conferri ex cuiuscunque voluntate potest, ut prosint meliore modo quo pos- 167
sunt, &c.

Qualitas intentionis sufficientis.

REstat videre, qualisnam in specie Intentio requiratur, & sufficiat ad valorem Sacramenti. Quadruplex enim Intentio distinguitur à Theologis: Actualis, Habitualis, Virtualis: Indirecta seu Interpretativa. 168

Intentio actualis est, quando habeo actu de præsenti voluntatē baptizandi. v.g. & hāc certum est sufficere. Intētio Habitualis prout à virtuali distinguitur (aliqui enim confundunt nomina) nihil est aliud, quàm intentio præterita non revocata. Intentio virtualis est, quæ quidem est aliquo modo præterita,

manet

manet tamen in aliquâ virtute post se relictâ, per quam influit in actiones; talis Intentio dicitur esse in distracto continuante actionem ordinatè, v.g. recitationem Breviarij. *De hâc autem Intentione est in Philosophiâ difficultas, in quo consistat, an in tenui, & non advertibili volitione spirituali, an in solâ*
169 *appetitione sensitivâ, vel aliquo alio.*

Intentio indirecta est, quando quis vult causam, ex quâ prævidet effectum secuturum: ut si quis sciens se in ebrietate solere exercere actiones sacramentales, hoc non obstante se inebriaret. His animadversis

Certum est primò, Intentionem merè
170 habitualem seu merè habitualiter perseverantem in negatione retractationis, non sufficere ad valorem Sacramenti, etiamsi postea actiones ponantur. Ratio est, quia actiones postea positæ nullo modo, hoc est, nec immediatè, nec mediante aliquo effectu procedunt ex intentione actuali præteritâ, ut
171 supponimus: ergo non possunt ab intentione præteritâ denominari *factæ Nomine Christi.*

Certum est secundò. Intentionem virtualem sufficere: nisi enim hæc sufficeret innumera Sacramenta essent dubia; Fideles innumeris scrupulis essent expositi; & obligatio administrandi Sacramenta esset res difficil-

lima

lima supra communes hominum vires; quotusquisque enim est ita immunis à periculo distractionum, ut non frequenter ex postfacto deprehendat, se non nisi cum intentione virtuali operatum esse? *Iam autem monui, litem philosophicam potiùs, quàm theologicam esse, an possit in homine sobrio tanta esse distractio* 172
cum actuali operatione externâ, quæ excludat omnem operationem intellectûs & voluntatis rationalis. & Theologi est ostendere, quòd, si id fieri potest, adhuc sufficiat: & declarare discrimen inter distractum & ebrium.

Certum est secundò. Nullum Sacramentum (matrimonio secundùm multos excepto) posse validè conferri sub conditione de futuro contingente propriè tali. Ratio est. Vel enim Minister intenderet suspendere effectum Sacramenti, non item valorem, vel etiam ipsum valorem Sacramenti usque ad adventum conditionis: primum non est in potestate Ministri: Sacramento enim absoluto, nullo obstante obice in suscipiente, 174
statim confertur fructus ex divinâ institutione. Secundum dici non potest, quia falsificaretur forma, quæ prout à Christo præscripta est, significat intentionem absolutam de præsenti; nec potest illi aliquid adjici inducens suspensionem in futurum; sic enim forma substantialiter mutaretur. In Matri-

monio

monio est alia ratio, quia nulla forma est præscripta, sed omnis illa est sufficiens, quæ sufficit ad contractum: contractus autem potest fieri per verba significantia suspensionem in futurum eventum contingentem.

175 *Controversia esse potest, an Sacramentum valeat, adjecta conditione, quæ quidē de præsenti purificatur, sed nobis non potest sensibiliter innotescere, ut: si es prædestinatus, te absolvo.*

Certum est tertiò. Indirectam intentionem non sufficere ad valorem Sacramenti.

Ratio est, quia si verba non intenduntur directè à loquente, hocipso non dicitur per
176 illa loqui, aut suam mentem manifestare humano modo: debent enim proferri animo manifestandi mentem: ergo debent intendi ut medium, adeóque directè.

Controvertunt hîc quidam moderni, an ad valorem Sacramenti sufficeret intentio directa quidem, sed per medium privans usu rationis, v.g. mediante ebrietate, quia quis, v.g. sciens se solere in ebrietate facere tales actiones sacra-
177 *mentales, in hunc finem se inebriaret.*

Intentio conditionata.

EST adhuc alia Intentionis divisio, in Conditionatam & Absolutam, de quâ in præsenti agendum. Intentio itaque ex intrinseco modo tendendi aliquando est conditiona-

ditionata, hoc est, alligata certæ conditioni, sine quâ non vult habere efficaciam. Conditionum autem duo sunt genera, aliquæ dicuntur ex naturâ rei *inesse*, hoc est, requiri ad effectum volitum: & hæ semper subintelliguntur, esto non exprimantur: v. g. *Ego te absolvo, si es baptizatus, si peccâsti, si habes dolorem, &c.* Aliæ sunt quasi extraneæ, sine quibus posset à Ministro intendi, & confici Sacramentum, ut: *si Turca vivit*, ego *te baptizo.* 178

Item, conditiones vel sunt de præterito, vel de præsenti, vel de futuro. Quando conditio est de præterito vel de præsenti, & revera datur, seu purificatur, tunc intentio, quæ ex modo tendendi est conditionata, fit extrinsecè absoluta, & quoad effectum perinde est, acsi in modo tendendi fuisset absoluta, hoc est, ad nullam conditionem restricta. 179

Quando verò conditio est de futuro, v. g. *si cras pluat*, tunc cavenda est æquivocatio. aliquando enim videntur esse de futuro, & revera sunt de præsenti: ut: *Absolvo te, si DEVS scit, cras fore pluvias.* nam sic non tam pluviæ, quàm scientia Dei adhibetur pro conditione, quæ utique est de præsenti. Communiter tamen adjectio huiusmodi conditionum habet sensum suspensivum: v. g. *si cras veniat nuntius, dono tibi librum.* fit quidem donatio hodie, sed non pro hodie, sed pro crastino, 180

acsi dicerem: *dono tibi in crastinum pro illo momento, quo aderit nuntius.* his observatis.

Certum est primò, valere Sacramenta sub conditione, quæ inest ex naturâ rei. Nam cap. 2. de Baptismo, jubentur illi, quorum Baptismus dubius est, baptizari sub conditione, *si non es baptizatus.*

181

Controversia est, an validè administretur Sacramentum sub conditione, quæ non insit, & de cuius verificatione minister non constat. Et licet Suarez affirmativam vocet certissimam, moderni tamen negativam amplectuntur.

Contrarietas Intentionum.

182

COntingere potest, ut Minister in administratione Sacramenti habeat Intentiones implicitè contrarias, & tunc videndum est, utra prævaleat, ut fiat, vel non fiat Sacramentum. Tunc autem dicuntur Intentiones esse implicitè contrariæ, quando Minister per errorem existimans duo prædicata

183

esse separabilia, seu non identificata, vult efficaciter unum, & alterum non vult: v. g. hæreticus existimans, Baptismo nullam conferri gratiam, vult Baptismum, sed non vult gratiam: alius existimat Matrimonium posse fieri sine Sacramento, vult Matrimonium, sed non Sacramentum.

In his casibus illa Intentio prævalet, quæ est

est appretiativè major: sive, respectu cuius altera est merè conditionata: v. g. in exemplo allato Baptismus hæretici præsumitur ab Ecclesiâ validus, quia intentio non conferendi gratiam censetur esse conditionata, scilicet: si Baptismus non est ad gratiam conferendum institutus, ut putant hæretici: intentio verò 184
Baptismi est absoluta, quia si sciret esse collativum gratiæ, adhuc eum vellet. Pari modo in secundo exemplo præsumeretur pro valore matrimonij, nisi aliunde probaretur, intentionem matrimonij fuisse omnino alligatam huic conditioni: *si potest fieri sine Sacramento.*

CAPVT V. 185

DE SVSCIPIENTE SACRAMENTVM.

AE QVALITER dispositis æqualis confertur gratia sacramentalis per idem specie Sacramentum: non 186
enim causant gratiam, nisi quam & quatenus significant: atqui pro æqualiter dispositis non significant inæqualem gratiam: ergo nec causant.

Inæqualiter verò dispositis, ut, per majorem devotionem, inæqualis confertur gratia etiam ex opere operato. Colligitur ex Tri-

dentino seſſ. 6. c. 7. ubi cùm dixiſſet, Baptiſmum eſſe cauſſam inſtrumentalem noſtræ juſtificationis, id quaſi explicando addit: *Juſtitiam in nobis recipientes unuſquiſque ſuam, ſecundùm menſuram, quam Spiritus ſanctus partitur ſingulis, prout vult, & ſecundùm propriam cuiuſque diſpoſitionem & cooperationem.*

187 Et ſanè congruum erat, à Chriſto ſic inſtitui Sacramenta, ut hac ratione ſtimularentur homines ad ſe diligentiùs diſponendos & præparandos: Idem videmus fieri in cauſſis naturalibus, ut applicatæ paſſo capaci effectùs ſuſcipientis magis & minus, quò paſſum

188 eſt aptiùs diſpoſitum, approximatione, denſitate, ſiccitate, diaphaneitate, &c. producant intenſiorem effectum: atqui ſupernaturalia conformantur naturalibus, unumquodque in proprio genere, ut habet commune Theologorum axioma: ergo cùm gratia ſuſcipiat magis & minùs, & Sacramenta ex meritis Chriſti habeant virtutem, quodammodo infinitam, in ſubjecto meliùs diſpoſito, & inten-

189 tionaliter magis applicato, plus quoque gratiæ cauſſabunt.

Solet hîc à pluribus tractari de reviviſcentiâ Sacramentorum collatorum cum obice. Nos commodiùs infrà de Baptiſmo, de quo hoc principaliùs quæritur.

In adultis requiritur ad validè ſuſcipiendum

dum Sacramentum consensus positivus. Colligitur ex Concilijs Carthaginensi & Arausicano, permittentibus solùm conferri Baptismum illis, qui saltem per alios habent testimonium voluntatis suscipiendi, (sicut & Rituale Romanum Pauli V.) & prohibentibus conferri illis, qui non petito priùs Baptismo incidunt in amentiam. Congruentia est, quia per Baptismum subijcitur quis novæ Legi irrevocabiliter, quod nemo invitus subire debet. Quoad Confirmationem congruum erat, ut insignis favor & honor, quo quis deputatur specialiter ad spiritualem militiam, non conferretur nisi desideranti: quæ congruentia potest etiam Sacramento extremæ Unctionis & Ordinis applicari. In Matrimonio & Pœnitentiâ clarum est requiri intentionem, alterum enim accusatione, alterum consensu perficitur. 190 191

Quoad infantes, quibus cætera Sacramenta possunt validè conferri, nempe Baptismus, Confirmatio, & Ordo, est alia ratio. Nam licet Baptismus afferat onus novæ Legis, simul tamen etiam tanta commoda affert, ut infanti optabilius sit baptizari, quàm non baptizari, & ideo eius voluntas suppletur ab Ecclesiâ, ut per alienam voluntatem possit à servitute diaboli liberari, cui per alienam est subjectus. Quoad Confirmationem & Ordi- 192

nem, quia illi nullum ferè onus afferunt, sed potiùs honorem (non enim teneretur infans ordinatus servare castitatem, nec teneretur Ordines exercere) congruum erat, ut infanti validè conferri possent, esto non licitè ob alia inconvenientia.

193 Tametsi, ut suprà vidimus, in Ministro requiratur ad minimum intentio virtualis, hoc est, actus aliquis præsens descendens ex actuali intentione præteritâ, in suscipiente tamen sufficit Intentio habitualis superiùs explicata: neque enim suscipiens habet se respectu Sacramenti ut Minister Christi, & operans nomine alterius, sed merè passivè. Passum autem
194 in ordine ad beneficium accipiendum potest disponi dispositione morali & moraliter tantùm præsenti, hoc est, in memoria Dei.

Caput VI.

DE SACRAMENTALIBVS.

195 Præter actiones illas, quæ sunt de substantiâ Sacramenti, gerentes munus Materiæ & Formæ, atque immediatè à Christo institutas adhibentur in Sacramentorum administratione ritus accidentales, ideóque sacramentales dicuntur, & aliud non sunt, quàm actiones exteriores religiosæ ab Ecclesiâ approbatæ, conferentes

ad

ad decentem & devotam administrationem, & susceptionem Sacramentorum.

Author horum rituum est Ecclesia habens hanc instituendi potestatem à Christo, ut colligitur ex 1. ad Corinth. 11. ubi Apostolus agens de dispensatione Eucharistiæ dicit: *cætera autem cùm venero, disponam.* 196

Instituuntur autem hi ritus, ut excitetur devotio, & significentur auxilia opportuna, quæ Ecclesia adjunctis precibus petit à Deo, non autem sunt collativa ex opere operato Gratiæ sanctificantis, ut malè quidam sunt opinati: hic enim effectus solis Sacramentis tribuitur. 197

Ratio autem suadens Ecclesiæ huiusmodi cæremoniarum institutionem præcipuè duplex est. Prima, ut apud Christianum populum etiam rudiorem Sacramenta in debitâ veneratione & æstimatione sint, omnésque de illis tanquam rebus sacratissimis altè sentiant. cùm enim eorum substantia consistat in paucissimis verbis, & actione brevissimâ, 198 rebúsque quoad exteriorem apparentiam planè vilibus, nisi cæremoniarum apparatu vestirentur, & spectantium etiam rudissimorum animus elevaretur ad aliquam admirationem, & arcani magni latentis cogitationem, facilè fieret, ut despicerentur, & vilescerent,

rent apud illos, qui maximè sensibilibus ducuntur. Secunda ratio est, quia serviunt ad Mysteria præcipua nostræ Fidei Fidelibus in memoriam sæpius revocanda; unde inter illas Crucis signum frequentiùs adhibetur.

199 # TITVLVS III.

DE BAPTISMO.

CAPVT I.

DE BAPTISMI NATVRA, INSTITVTIONE ET PARTIBVS.

200 **§. I.** ***Definitio Baptismi.***

BAPTISMVS definitur à Catechismo Romano *Sacramentum Regenerationis per aquam in verbo vitæ.* Aliqui magis metaphysicè & scholasticè sic definiunt.

201 *Est Sacramentum remissivum omnium præcedentium peccatorum etiam quoad totam pœnam & characteris impressivum per ablutionem corporis sub præscriptâ formâ verborum.* Hinc patet eius differentia, à Pœnitentiæ Sacramento (& clariùs à cæteris) hoc enim nec omnem pœnam remittit, nec peccatum originale, nec cætera ante Baptismum commissa.

§. II.

§. II. *Institutio.*

AN Baptismus fuerit ante vel post Passionem Christi institutus, etsi sancti Patres non conveniant, multis opinantibus fuisse institutum Matth. ult. cùm dixit Christus: *Baptizantes eos, &c.* jam tamen conveniunt Theologi, fuisse institutum ante Passionem, 202
& quidem satis tempestivè: nam Christus intra primos menses suæ Prædicationis & Discipulorum vocationis baptizavit Joann. 3. atqui non est usus Baptismo Joannis: nam Baptismum Christi præfert ipse Joannes suo. Matth. 3. & Joann. 1. imò conquerentibus suis Discipulis de Baptismo Christi silentium imponit dicens, esse illi datum de Cælo, & esse super 203
omnes, & omnia esse data in manus eius tanquam dilecti Filij à Patre.

Controversia tamen est, an fuerit institutus Baptismus tunc, quando Christus ipse à Ioanne baptizatus est, vel an paulò pòst.

§. III. *Materia Baptismi.*

MAteria Baptismi duplex est, remota, & 204
proxima. Remota est aqua naturalis seu elementaris apta ad abluendum. Joann. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ, &c.* dicitur materia remota, non quasi non etiam intrinsecè constituat Sacramentum, sed quia est minùs determinata ad esse Sacramenti, & est

id, in quo, vel per quod exercetur actio illa, quæ procedit à ministro, & quæ significatur immediatiùs per formam, nempe ablutio.

Convenientia huius liquoris præ alijs redditur triplex: Primò, quia est materia facillimè parabilis, & Baptismus est Sacramentum
205 summè necessarium. Secundò, quia ablutio per aquam principaliter solet fieri ad abstergendum & emundandum: alij verò liquores adhibentur ob alios effectus. Tertiò, quia ratione frigoris sibi naturaliter convenientis, item ratione aptitudinis ad fœcundanda alia ac denique ratione diaphaneitatis & capaci-
206 tatis lucis aptissimè symbolizat effectus huius Sacramenti, cuius est, abstergere peccata, mitigare fomitem, & concupiscentiæ ardorem, ac denique, quatenus est Sacramentum Fidei, reddere hominem supernaturalium illuminationum magis capacem, & aggregare credentibus; unde ad Hebr. 6. baptizati vo-
207 cantur *Illuminati*.

Ablutio duo dicit, motionem scilicet localem à Ministro procedentem, quâ vel moveat aquam, vel corpus baptizandi; & præterea applicationem seu allisionem aquæ ad corpus; sine his enim non denominatur homo ablutus ab homine.

§. IV.

§. IV. *Forma Baptismi.*

IN Latinâ Ecclesiâ est hæc. *Ego te baptizo in nomine Patris,& Filij, & Spiritûs sancti.* Et quidem invocatio explicita Personarum Trinitatis est modò de essentiâ, quidquid sit de probabilitate opinionis S. Thomæ & quorundam, ab initio Apostolos ex speciali dispensatione baptizâsse solùm invocato nomine JESV. ita enim definitum est à Zachariâ Papâ, ut refertur can. *in Synodo 83. de consecr. dist. 4.* & à Pelagio *can. si revera 30.* & *can. multi sunt. 82. ead. dist.* conformiter verbis & præcepto Christi Matth. ult. Baptizantes eos in nomine Patris, &c. & explicârunt ipsi Apostoli can. 49. reijcientes Baptismum per verba: *in morte Christi, Non enim*: inquiunt, *dixit Christus, in morte meâ baptizate eos, sed euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.* Congruentia est, quia cùm hoc sit Sacramentum Fidei, convenit perfici invocatione explicitâ illius Mysterij, quod est præcipuum,& fundamentum cæterorum. 208 209 210

CAPVT II.

DE MINISTRO, ET PATRINIS.

VNIVERSIS homo ratione præditus,& quarus formæ potest validè baptizare,

zare, si habeat intentionem suprà requisitam, etiamsi sit hæreticus, imò ethnicus, ut est definitum in Flor. decr. Eugenij. Congruum sanè fuit, ut sicut ob summam huius Sacramenti necessitatem materia universalissima assumpta est, ita & minister.

211 Licitè tamen extra casum necessitatis administrat Baptismum solus Parochus seu Pastor ordinarius, & quivis Sacerdos ex illius commissione: Sacerdos enim, hoc ipso, quòd per Sacerdotium acceperit potestatem in Corpus Christi, censetur idoneus, cui conferatur potestas ordinaria in Corpus Christi mysticum aliquo modo conficiendum seu au-
212 gendum, efficiendo membrum Ecclesiæ.

Diaconis non potest nisi in defectum Sacerdotum committi potestas delegata solenniter baptizandi. & hoc modo intelligenda sunt verba in ordinatione Diaconi usurpari solita: *Diaconum oportet ministrare, baptizare, &c.*

213 In necessitate hic ordo servandus est, ut minùs dignus cedat digniori, Sacerdoti Diaconus, huic Subdiaconus, (& hi quidem sub peccato mortali) huic Clerici inferiores, his laici; viro fœmina, baptizato non baptizatus, non excommunicato etiam laico excommunicatus etiam Sacerdos: & si obligantur ex decentia, quia de his nihil statuitur in jure.

Quemad-

Quemadmodum qui carnaliter genitus
est. indiget nutrice, & pædagogo, ita qui per
Baptismum spiritualiter genitus est, opus
habet instructore in rebus Fidei: quâ de causâ
semper in Ecclesiâ observatum est, ut consti-
tueretur, qui solenniter baptizandum e sacro
fonte levaret, qui Patrinus seu Compater 214
dicitur, de quorum obligatione extat canon,
vos ante omnia 103 de consecr. dist. 4. *Vos* 3
*ante omnia tam mulieres, quàm viros, qui filios
in Baptismo suscepistis, moneo, ut vos cognoscatis
fidejussores apud DEVM extitisse pro illis, quos
visi estis de sacro fonte suscipere. ideóque semper
eos admonete, ut castitatem custodiant, justitiam* 215
*diligant, charitatem teneant. Ante omnia Sym-
bolum & Orationem Dominicam, & vos ipsi
tenete, & illos, quos suscepistis, de sacro fonte
ostendite.* Quia verò in partibus Fidelium pa-
rentes & tutores per se vel per alios hoc fa-
cturi prudenter præsumi possunt, hinc est,
Patrinos plerumque excusari.

Quoad numerum & cognationem spiri- 216
tualem Patrinorum exstat statutum Triden-
tini sess. 24. cap. 2. de Reform. Matr. *ut
unus tantùm, sive vir, sive mulier. juxta sacrorũ
canonum instituta* (nempe cap. non plures de
consecr. dist. 4. c: quamvis de cognat. Spirit.
in 6.) *vel ad summum unus & una baptizatum
de Baptismo suscipiant, inter quos, ac baptiza-*

tum

tum ipsum, & illius Patrem & Matrem; nec non inter baptizantem & baptizatum baptizatique Patrem ac Matrem tantùm spiritualis cognatio contrahatur.

CAPVT III.

217

DE PROPRIETATIBVS BAPTISMI, IRREITERABILITATE ET REVIVISCENTIA.

BAPTISMVS semel validè collatus non potest iterari, ut definitum est in Flor. & Trid. & colligitur ex Hebr. 6. *Impossibile est,*
218 *eos, qui semel illuminati sunt, &c. & prolapsi sunt, iterum renovari ad pœnitentiam.* ubi non excluditur Sacramentum Pœnitentiæ, quòd est secunda post naufragium tabula, ergo excluditur Baptismus. Deinde etiam ex eo, quòd imprimat characterem indelebilem.

Ex hac irreiterabilitate emergit altera proprietas Baptismi, nempe *Reviviscentia.* Quan-
219 do ergo contingeret in adulto, ut reciperet Baptismum validè quidem, sed sine gratiæ fructu, ob impedimentum gratiæ, quod est peccatum mortale antè commissum, & non retractatum, vel omissio debitæ dispositionis, de quâ infrà cap. 4. (dicitúrque tunc Baptismus phrasi theologicâ, fictè, seu cum obice susce-

susceptus) tunc remoto obice, hoc est, positâ postmodum conveniente dispositione Baptismus reviviscit, id est, illius intuitu confertur effectus Baptismi, qui collatus fuisset, si sine obice fuisset susceptus. Hæc reviviscentia nititur auctoritate sancti Augustini agentis contra Donatistas rebaptizantes baptizatos ab hæreticis. 220

Idem clarissimè tradit Cyprianus sermone de Passione Domini, dicens: *ubi redierint ad cor, constat ablutionis donum, & redit effectus munerum, nec aliàs quæri aut repeti necesse est salutiferum Sacramentum.*

Quodsi homo post Baptismum fictè susceptum superaddit aliud peccatum mortale, tunc, ut Baptismus reviviscat, non sufficit sola 221
attritio; cùm enim unum mortale non remittatur sine altero, Baptismus autem non possit remittere peccatum postea commissum, necesse est, ut accedat aliud medium aptum, delere peccatum commissum post Baptismum commissum, cuiusmodi est Sacramentum pœnitentiæ, vel contritio, vel etiam (in quo- 222
rundam sententiâ) aliud Sacramentum potens ex attrito facere contritum. *Et hæc sententia est longè communior, quamvis aliqui non ignobiles Theologi putent esse etiam probabile, sufficere solam attritionem, ut Baptismus reviviscens indirectè remittat peccata postea commissa.*

Revi-

Reviviſcentia Baptiſmi eſt certior, quàm aliorum Sacramentorum, pro quibus non ſtat tam clara auctoritas Patrum. De illis tamen quæ characterem imprimunt, Confirmatione nimirum & Ordine, etiam communiter affir-
223 matur.

Congruentia eſſe poteſt, quia Character ordinat permanenter & intrinſecè ad finem, ad quem eſt neceſſaria gratia ex naturâ rei; ergo etiam ex naturâ rei inducit gratiam
224 tunc, quando removetur impedimentum: divina enim & ſapientiſſima ordinatio alicuius ad finem utique ſubminiſtrat media ſufficientia ad ponendum illum finem pro caſu, quo non adeſt impedimentum ex parte illius, qui
225 ad finem ordinatur.

De cæteris Sacramentis eſt controverſia, an reviviſcant.

Controverſia etiam eſt, an peccatum in ipſo inſtanti Baptiſmi commiſſum deleatur per Baptiſmum directè, vel potiùs pertineat ad Sacramentum Pœnitentiæ.

CAPVT

CAPVT IV.

DE SVSCIPIENTE BAPTISMVM EIVSQVE DISPOSITIONE.

INFANTES rectè baptizari definitum est in Trid. sess. 5. can. 3. & colligitur ex 1. ad Cor. 16. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur*: ad Rom. 5. *Si unius delicto mors regnavit per unum, multò magis abundantiam gratiæ, & donationis, & justitiæ accipientes in vitâ regnabunt per unum* JESVM *Christum*: unde redditur ratio. quia infantes ratione peccati originalis, propter quod primariò est institutus Baptismus, sunt capaces effectuum Baptismi. 226 227

In illis nulla requiritur prævia intentionalis dispositio, cuius rationem jam suprà reddidimus. Quod verò hæretici finxerunt, infantes tunc intelligere, quid circa illos agatur, ut sic tueri possent alium suum errorem, videlicet, Baptismum non prodesse, nisi per modum concionis excitantis ad Fidem, est figmentum non minùs ridiculum, quàm si dicerem, eo tempore, quo asina Balaam locuta est, omnes asinas fuisse loquaces. 228

In adulto ad validam receptionem Baptismi requiri consensum, ex supradictis liquet.

Non est autē necesse, esse cōsensum supernaturalem; imò sufficit omnis ille, qui ex naturâ rei sufficit ad valorem contractûs, cuiusmodi censetur etiam ille, qui ex gravi metu præstatur, modò non desit omnis libertas.

229 *Controversia tamen est, an sufficeret saltem pro casu extremæ necessitatis voluntas confusa, & generalis servandi omnia præcepta, vel desiderium serium salutis, sicut ad receptionem extremæ Unctionis sufficit generalis voluntas vivendi & moriendi more Christianorum.*

Vt autem fructuosè recipiat adultus Baptismum, insuper requiritur actus Fidei, ob
230 dicta superiùs de necessitate Fidei ad salutem, & in specie Matth. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.* Requiritur etiam actus Spei, ut colligitur tum ex illo ad Rom. 8. *Spe salvi facti sumus*, tum. 1. Joann. 3. *Omnis, qui habet hanc Spem, in eo sanctificat se.* tum denique ex eo, quòd requiratur Fides
231 *Remuneratoris* quà talis, ut loc. cit. dictum est.

Tertiò ex communi DD. teste Dicastillo hîc n. 127. post S. Thomam requiritur in adulto non habente ullum peccatum mortale personale etiam propositum servandi totam Legem Dei: & meritò; nemo enim censetur aptè dispositus ad amicitiam cum altero ineundam, nisi velit amicitiam conservare,

servare, adeóque nihil eorum perpetrare, quæ cum amicitiâ pugnant.

Si verò baptizandus, ut ferè semper fit, commisit mortale personale, requiritur insuper formalis pœnitentia, saltem ex motivo attritionis, vel certè amor DEI super omnia, qui est virtualis pœnitentia. 232

Controversia esse potest, an sufficeret tunc virtualis pœnitentia inclusa in proposito servandi omnia præcepta, & licet negativa sit communior, de eâ tamen dubitat Conink.

CAPVT V.

DE SPECIALIBVS EFFECTIBVS BAPTISMI. 233

TRES sunt effectus, ad quos conferendos principaliter & per se est institutus Baptismus: Character, remissio omnium præcedentium peccatorum, omnisque pœnæ, collatio habituum supernaturalium. 234

De charactere intelligi potest illud 2. ad Cor. 1. *Qui unxit nos, DEVS est, & qui signavit nos, & dedit pignus Spiritûs in cordibus nostris.*

Eius effectus formalis est, adscribi hominem populo Christiano, *ut non amplius sit hospes & advena, sed civis Sanctorum & domesticus*

sticus DEI ad Ephes. 19. unde & Legibus ac Jurisdictioni Ecclesiæ subijcitur, & ad recipienda alia Sacramenta habilis efficitur, argumento illius 1. ad Cor. 5: *Quid enim mihi de illis, qui foris sunt, judicare?*

Remissio plenissima peccatorum præcedentium colligitur ex illis Scripturæ locis,
235 ubi dicitur *lavacrum regenerationis* ad Tit. 3. Joann. 30. & disertè definitur in Florent. Decret. Eug. his verbis. *Huius Sacramenti effectus est remissio omnis culpæ, originalis & actualis; omnis quoque pœna, quæ pro ipsâ culpâ debetur.*

Infusio gratiæ cum cæteris virtutibus
236 asseritur ad Tit. 3. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abunde.* & deducitur ex secundo effectu, nam defacto nullum peccatum remittitur sine infusione Gratiæ, ut suo loco dictum est.

237 *Controversia esse potest, quantum Gratiæ conferat Baptismus comparatus cum cæteris Sacramentis.*

CAPVT

CAPVT VI.

DE DIVISIONE BAPTISMI IN BAPTISMVM FLUMINIS, FLAMINIS ET SANGVINIS.

DIVISIO hæc fundatur in eo, quòd actus perfectæ Charitatis, & Martyrium habeant etiam vim justificativam ab omnibus peccatis, tam originali, quàm personali, qui est effectus primarius Baptismi, ut jam dictum. unde amor DEI *Baptismus flaminis*, hoc est, ardoris erga DEVM, Martyrum verò *Baptismus sanguinis*, quia plerumque fit cum sanguinis effusione, vocatur. De actu Charitatis jam alibi dictum, & dicendum in Sacramento Pœnit. 238 239

Martyrio tribuitur dictus effectus Marc. 8. *Qui perdiderit animam suam propter me, salvam faciet eam.* Lucæ 4. *Quicunque perdiderit animam suam propter me, vivificabit eam.* 240

Controversia est, an Martyrium justificet ex opere operato independenter ab actu perfectæ Charitatis prævio, vel an præcisè ratione actûs Charitatis, ut volebat Vasq.

CAPUT VII.

DE NECESSITATE BAPTISMI.

DUPLICITER potest aliquid esse necessarium ad aliquem effe-
241 ctum; *necessitate Medij*, & *necessitate præcepti*. quæ divisio superiùs explicata est, quando actum de necessitate Fidei.

Utraque hæc necessitas convenit Baptismo, vel in re suscepto, vel in voto, hoc est, salus à nemine, etiam inculpabiliter igno-
242 rante institutionem Baptismi, obtineri potest, nisi vel realiter baptizetur, vel eliciat actum amoris DEI (qui est Baptismus flaminis) in quo includitur votum, hoc est, desiderium Baptismi, quia scilicet, est voluntas servandi omnia præcepta, Baptismus autem est à Christo præceptus.

Necessitas medij asseritur Joann. 3. *Nisi*
243 *quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum DEI.* & alibi sæpius vocatur *Regeneratio*, quo vocabulo indicatur, quòd sicut generatio corporalis est medium necessarium ad vitam naturalem, ita Baptismus ad vitam æternam.

Porrò hæc necessitas est intelligenda juxta cursum ordinarium, & secluso speciali privilegio

vilegio concesso Martyrio etiam parvulorum.

Necessitas præcepti provenit tum ex præcepto naturali, tum ex positivo divino. Ex naturali præcepto charitatis erga se obligatur utique homo reddere se habilem & capacem eorum fructuum, & donorum, quæ 244
homo baptizatus, per alia Sacramenta consequi potest, & quæ sine manifestâ temeritate in negotio salutis non potest negligere: redditur autem habilis per Baptismum in re susceptum, & nullo alio modo: ergo. Præceptum positivum insuper exstare definit Trid. sess. 7. can. 5. & colligitur ex Joann. 3. 245
Oportet vos nasci denuo. & nisi quis renatus fuerit.

Titulus IV.

DE CONFIRMATIONE.

Caput I. 246

DE HVIVS SACRAMENTI INSTITUTIONE ET ESSENTIA.

EXISTERE hoc Sacramentum in Ecclesiâ est definitum in Conilijs sæpe nominatis. Et licet nullo claro Scripturæ textu

probari posset, sufficeret constans Traditio. Nam Clemens Romanus S. Petri discipulus lib. 3. Constit. cap. 16. *Episcopus*, inquit, *Baptizatos Chrismate ungat.* S. Dionysius c. 4. de Eccles. Hierarch. illud ipsum agnoscit, quemadmodum & alij antiquissimi Pontifi-
247 ces S. Vrbanus & Melchiades, apud Controversistas videndi.

Nihilominus etiam ex Scripturâ clarè deducitur. Christus enim promisit Spiritum sanctum Baptizatis signo sensibili & stabili conferendum: atqui hoc sufficit ad rationem Sacramenti, nec potest intelligi de ullo alio ex cæteris Sacramentis: ergo de Confir-
248 matione intelligendum est.

Quòd Christus promiserit Spiritum sanctum stabiliter, habetur Joann. 14. *Alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum.* Quòd hoc sit intelligendum de signo sensibili, constat ex modo, quo postea Spiritus sanctus fuit baptizatis collatus ab
249 Apostolis Act. 8. *Tunc imponebant manus super illos* (jam ante baptizatos ut ibid. dicitur) *& accipiebant Spiritum sanctum.* Actor. 19. *his auditis baptizati sunt in nomine Domini, & cùm imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus S. super eos.*

Quòd denique hoc non possit intelligi de ullo ex cæteris Sacramentis, est nimis clarum,

rum, & inde patet, quòd hæc manuum impositio fuerit exhibita communiter omnibus Baptizatis. Ex quo etiam patet, non posse intelligi de solo dono gratis dato linguarum; hoc enim non erat commune.

Definiunt aliqui hoc Sacramentum, *quo homo baptizatus spiritualis gratiæ augmentum* 250
ac robur accipit per Chrismatis in fronte unctionem, sub certâ verborum formâ. Meliùs alij, quòd sit *Sacramentum perfectivum Baptismi per augmentum virtutis ad constantem Fidei professionem.*

Controversia est, an fuerit institutum post Dominicam Cœnam, in sermone habito ad Apostolos, ubi teste Fabiano Papa docuit Chris- 251
matis confectionem, vel potiùs post Resurrectionem Joann. 20. *quando illos Episcopos ordinavit, & insufflando dixit* Accipite Spiritum sanctum.

CAPVT II.

DE MATERIA ET FORMA CONFIRMATIONIS. 252

MATERIA remota est Chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiæ, & balsamo, quod odorem significat bonæ famæ, per Episcopum benedicto. Ita Flor. in Decr. Euge-

nij. Unde communis est sententia verbis Concilij planè conformis (licet non certa de Fide) tam oleum, quàm mixtionem balsami, ac benedictionem Episcopalem esse de substantiâ & essentiâ huius Sacramenti. Neque ex eo quòd Innocentius III. *cap. 1. de Sacram. non iter.* 253 rescripserit, nihil iterandum esse circa illum, qui solo oleo delinitus erat, sed supplendum, quod erat omissum, infertur, balsami mixtionem non esse nisi cæremoniam accidentalem: sciebat enim Pontifex, hoc Sacramentum non esse iterabile, & ideo rectè dixit, non esse iterandum, sed supplendum, quod omissum est, quod veri- 254 ficatur etiam, quando aliquid substantiale omissum est.

Omnium harum partium convenientia aliqua assignari potest. Olei imprimis, quod significat gratiæ abundantiam, quo sensu dicitur Christus *unctus oleo lætitiæ Psal. 44.* item oleum est roborativum, in quem finem athletæ se ad luctam inunxerunt. Balsamum 255 odore suo significat bonum exemplum, quod forti confessione præbetur proximo juxta illud 2. ad Cor. 2. *Christi bonus odor sumus.* Benedictio Episcopi constituit Chrisma in esse rei sacræ; & quòd essentialiter requiratur ideo sufficienter conveniens est, quia sine ullo inconvenienti poterat in huius Sacramenti

menti materiâ requiri potiùs, quàm in materiâ Baptismi adeò necessarij, & materiâ Evchariſtiæ non ita asservabili.

Controversia est, an Apostoli, ex Christi concessione, ab initio solam manuum impositionem aliquando adhibuerint, vel semper etia Chrisma.

Materia proxima est Unctio in formam 256
crucis, & quidem essentialiter (ex communi sententiâ) in fronte. nec immeritò, nam ex fronte maximè apparet absentia timoris & verecundiæ in confessione Fidei.

Forma est hæc (vel illi æquivalens) *Signo te signo crucis, & confirmo te Chrismate salutis* 257
in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs sancti. Explicatur ergo impressio signi militaris, & insuper Mysterium Crucis, & sanctissimæ Trinitatis, in quorum utpote præcipuorum confessione vel maximè exercetur fortitudo.

Hanc formam videtur insinuâsse S. Paulus 2. Cor. 1. dicens; *Qui confirmat nos vobiscum* 2.
in Christo, & qui unxit nos DEVS, & qui signavit nos, & dedit pignus Spiritûs in cordibus nostris.

Controversia tamen est, an explicita invocatio Trinitatis sit de essentiâ, arbitrantibus nonnullis modernis, sufficere invocationem solius Spiritûs sancti.

CAPVT

CAPVT III.

DE MINISTRO CONFIRMATIONIS.

DVPLEX est illius Minister, Ordinarius, & Delegatus. Ordinarius est Episcopus, cui huius Sacramenti administratio valida vi Ordinis Episcopalis
259 convenit. Ita est definitum in Flor, & Trid. & satis colligitur ex Act. 3. ubi ad Samaritanos jam baptizatos missi sunt Petrus & Joannes, ut illis manus imponerent & Spiritum sanctum conferrent. Congruentiam reddunt moderni. Nam Confirmatio est perfectiva Baptismi, ut jam dictum est: ultima
260 autem perfectio operis eximij de viâ ordinariâ reservatur Artifici supremo, qualis est Episcopus spectatâ potestate Ordinis.

Delegatus, non quidem à quovis Episcopo, sed à Romano Pontifice potest esse quivis Sacerdos; ut in ijsdem Concilijs, & praxi antiquissimâ Ecclesiæ docetur: & hoc
261 exigebat tum Episcoporum in quibusdam Provincijs raritas, tum huius Sacramenti pro ijsdem locis vel necessitas, vel summa utilitas, quo plurimi carere deberent, si facultas illud conferendi non posset Præsbyteris committi.

CAPVT

CAPVT IV.

DE SVBIECTO ET EFFECTV CONFIRMATIONIS.

SVBIECTVM capax est omnis & 262
solus Baptizatus necdum confirmatus, etiam infans (ut jam suprà dictum) & etiam moribundus; nam licet istis non sit adeò necessaria Confirmatio, utpote brevi discessuris, nec pugnæ exterioris occasionem habituris, expedit tamen illis, tum ob gratiæ augmẽtum, tum etiam pro ultimâ luctâ contra hostem invisibilem.

Tametsi in antiquâ Ecclesiâ infantibus 263
statim post Baptismum fuerit collata Confirmatio, (baptizantibus tunc Episcopis non nisi bis in anno) & hoc ex caussâ rationabili, nimirum quòd infantes essent certissimi de consecutione effectûs, utpote nullâ indigentes aliâ internâ dispositione; ex alijs tamen pluribus & gravioribus caussis postmodum consuetudo & ordinatio Ecclesiastica ob- 264
tinuit, ut nonnisi postquam usu rationis præditi sunt, admitterentur; nimirum quia ob multitudinem Fidelium vix posset evitari, quominus multi immemores, an accepissent in infantiâ Confirmationem, denuò accederent: item ab intelligente fructuosiùs accipitur:

tur: nec urget illius necessitas, sicut Baptismi.

Effectus huius Sacramenti, sicut & Baptismi duplex est, Character (de quo suprà satis dictum) & gratia tribuens jus ad auxilia opportuna ad defendendam fortiter
265 usque ad mortem Fidem Christianam contra eius externos adversarios; in quo differt à Baptismi gratiâ, specialiter tribuente auxilia contra hostes internos.

Patrinus denique, sed non nisi unus, vir vel fœmina adhibetur, de quo nil attinet dicere ultra ea, quæ de Patrino baptizati di-
266 cta sunt.

TITVLVS V.

DE EVCHARISTIA.

EX ijs, quæ deinceps dicenda sunt, Evchariſtia definiri potest
267 *Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi sub speciebus panis & vini, collativum augmenti gratiæ cum generali abundantiâ auxiliorum & fervore speciali charitatis.* cuius definitionis posterior pars non esset necessaria in ordine ad distinguendum hoc Sacramentum ab alijs Sacramentis defacto institutis, servit tamen ad distinguendum à quibusdam possibilibus, ut confideranti facilè patet. CAPVT

CAPVT I.

DE MATERIA REMOTA, *CIRCA QVAM* EVCHARISTIÆ.

MATERIA remota, & *circa quam* est panis triticeus, & vinum de vite; & quidem est necessaria necessitate Sacramenti, ita ut in aliâ materiâ conservari non possit. 268

Nomine autem Tritici non solùm venit illa nobilissima species, quæ presse & magis specificè *triticum* dicitur. sed etiam aliæ, quæ cum *tritico* maximam similitudinem & cognationem habent tam similitudine naturæ, quàm usu hominum communi; quamvis quando possunt haberi hostiæ ex tritico presse sumpto, non deceat adhibere ex farinâ inferioris notæ, propter minorem certitudinem. 269

Panis autem ex farinâ triticeâ debet esse, & retinere nomen panis *usualis*, adeóque nullo alio liquore, quàm aquâ naturali, simpliciter loquendo, subactus. 270

Materia calicis est vinum de vite, quamdiu retinet nomen vini usualis, & liquoris compellabilis ac designabilis nomine *vini*.

Omnia hæc sunt definita in Florentino, & dedu-

deducuntur ex eo, quòd Christus in his substantijs instituerit hoc Sacramentum Eucharistiæ in ultimâ cœnâ Matth. 26. Marc. 14. Lucæ 22, & materiam illius his ipsis nominibus expressérit semper Ecclesia; nec unquam agnoverit potestatem sibi factam, aliâ
271 materiâ utendi. Convenientia autem huius materiæ vel ex hoc uno satis desumitur, quòd sint substantiæ *aptæ ad repræsentandam unionem Fidelium inter se & cum Christo, quatenus utraque ex multis granis in unum redactis efficitur, & per separationem unius speciei ab alterâ Passionem Christi, Sanguinisque à Corpore sejunctionem
272 repræsentant; ac præterea denique effectus huius Sacramenti aptè symbolizant, panis quidem tanquam commune qnoddam nutrimentum, & omnium aliorum ciborum condimentum, vinum verò tanquam exhilarativum &c.

Differentia inter panem azymum & fer-
273 mentatum (quocunque tandem usus sit Christus, in quo dissentiunt Latini à Græcis; & est lis scripturistica) est merè accidentalis, nec ad alterutrum prædicatum Christus materiam alligare voluit, sicut nec ad vinum album potiùs, quàm rubrum, quod ipsa praxis Ecclesiæ declarat.

Vino ante consecrationem admiscenda est aqua,

âquâ, exemplo Christi, ut testatur S. Jacobus, & S. Marcus in suis Liturgijs. Significatio huius mixtionis est duplex. Prima, ad significandum, quòd de latere Christi fluxerit sanguis & aquâ. Secunda, ad significandam unionem Ecclesiæ seu populi cum Christo, & Humanitatis cum Deitate. 274

Hæc tamen mixtio non est de necessitate Sacramenti, sed solùm præcepti, ut communiter Theologi contrà Armacanum colligunt ex verbis Florentini Concilij dicentis: *cui* (vino) *antè consecrationem modicissimâ aquâ admisceri debet.* clariùs Tridentinum sess. 22. c. 7. dicit, præceptum esse ab Ecclesiâ Sacerdotibus, ut âquam vino miscerent. 275

Controversia est prima. An hæc mixtio sit facienda ex præcepto divino, adeóque indispensabili ab Ecclesia, vel tantùm præcepto humano. 276

Controversia secunda. An hæc aquâ vino admixta debeat priùs naturali actione converti in vinum, ut per consecrationem convertatur in sanguinem; vel possit immediatè in sanguinem converti.

Caput II.

DE REALI PRÆSENTIA CORPORIS ET SANGVINIS CHRISTI IN HOSTIA ET CALICE.

277 REALIS præsentia Christi in Evcharistiâ definita est à decem Concilijs relatis à Bellarmino. In sacra Scripturâ quater reperiuntur illa consecrationis verba. *Hoc est Corpus meum, hic est Sanguis meus.* In tribus nempe Evangelistis paulò antè citatis, & in Apostolo Paulo 1. ad Co-
278 rinth. 11. quæ verba ob suam claritatem fassus est Lutherus, non potuisse se accipere tropicè, tametsi maximè cuperet.

Ratio verò cogens ad ea in sensu literali & proprio accipienda hæc est, quia sunt locutio DEI, & quidem de opere suo: atqui de opere suo non debet censeri DEVS locutus esse, nisi in sensu proprio: vel enim ad ea tro-
279 picè intelligenda cogeret repugnantia talis existentiæ, vel saltem summa difficultas illam credendi: primum non obstat; nec enim adversarij ullam repugnantiam adferre possunt: sed neque secundum: quando enim repugnantia non apparet, non debet esse magis durum credere hoc, quàm quidvis aliud à DEO non clarioribus verbis revelatum. Nam

licet

licet ex eo præcisè, *quòd non appareat repugnantia*, non possit logico rigore inferri: *ergo revera non repugnat* (multa enim non apparent, quæ tamen ita sunt, & fortè apparebunt postea) quando tamen illi non apparentiæ accedit tam distincta divina assertio, est utique creditu dignissimum; nullam subesse repugnantiam. Et mirum sanè est, hæreticos conqueri de difficultate credendi hoc mysterium, & non conqueri de Mysterio Trinitatis & Incarnationis, longè fortiùs inclinantibus intellectum sibi relictum ad suspicandam latentem repugnantiam, neque clarioribus verbis, hoc est, tropicum sensum excludentibus, quàm Mysterium Eucharistiæ, revelatis. 280 281

Eamdem veritatem expressit S. Paulus 1. ad Corinth. 10. *Calix benedictionis, cui benedicimus, nónne communicatio Sanguinis Christi est, & panis, quem frangimus, nónne communicatio Corporis Domini est?* & c. 11. *Qui manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat, & bibit non dijudicans Corpus Domini.* qui locus non potest stare cum doctrinâ hæreticorum, volentium, Christum non nisi spiritualiter per Fidem manducari. cùm enim, ut ipsi quidem tenent, Fides justificet hominem, quomodo potest Christus per Fidem manducari indignè. 282

Vlteriùs, quando Christus instituit hoc

Sacramentum, & primus omnium usus est illis verbis: *Hoc est Corpus meum.* non potest nisi absurdissimè dici tropicè fuisse locutus, ut sensus esset: *Hæc est figura Corporis mei.* seu: *significat Corpus meum.* Tametsi enim imago Cæsaris soleat vocari Cæsar ab illis,
283 & apud illos, qui jam antè sciunt, esse imaginem: quando tamen aliqua figura aut signum arbitrarium primò instituitur, ineptissimè & præter omnem consuetudinem prædicaretur de illo figuratum, v. g. dicendo de hederâ. *hoc est vinum vendibile.*

Denique incredibile cuivis homini prudenti penitus est, potuisse in universalem Ecclesiam irrepere errorem de præsentiâ realí Corporis Christi, si unquam fuissent illa
284 verba consecratoria tropicè intellecta; facillimum enim fuisset Ecclesiæ illum tropum etiam rudissimis explicare, qui utique faciliùs caperent institutionem figuræ, quàm realis præsentiæ.

Existit autem Christus totus sub qualibet
285 hostiæ & calicis parte, ut habetur in Trident. sess. 13. c. 3. Ratio est, quia alioquin per specierum divisionem fieret in effectu id, quod fieri deberet per novam consecrationem, ut nempe Christus existeret sæpius in universo sacramentaliter, quàm extiterat ante divisionem. Hic verò modus existendi receptâ hodie

die phrasi theologicâ vocatur *Præsentia definitiva* hoc sensu, quòd instar ubicationis Angelicæ ponat totum in toto, & totum in quavis parte spatij, & sic differt à præsentiâ Christi in cælo collocante singulas partes extra locum cæterarum.

Controversia prima est, an hæc præsentia sit entitas realiter superaddita Corpori Christi, eiúsque connexioni cum accidentibus, quæ controversia deciditur ex generalibus principijs philosophicis de ubicatione aliarum rerum. 286

Controversia secunda, an sit supernaturalis quoad modum, vel quoad substantiam.

Controversia tertia An Christus sub illâ præsentiâ possit aliquid agere vel pati, vel sensu attingi. 287

CAPVT III.

DE CONVERSIONE PANIS IN CORPVS, ET VINI IN SANGVINEM CHRISTI.

HANC conversionem definit Trident. sess. 13. c. 4. additque eam convenienter & propriè *Transsubstantiationem* appellari: & meritò, quia succedit Substantia Substantiæ in officio sustentandi accidentia illa, quæ priùs erant accidentia panis, & vini, Ut autem hæc conversio meliùs 288

intelligatur, repetenda cuivis scholastico sunt ea, quæ de *conversione* in genere traduntur à Philosophis *in lib. de generat.*

Hæc Conversio & Transsubstantiatio colligitur efficaciter ex verbis Christi, ut eodem loco asserit Tridentinum. Et quidem ex verbis Christi rectè inferri, quòd Substantia panis
289 & vini desinat subsistere illis accidentibus consecratis, facilè declaratur. Sensus enim horum verborum: *Hoc est Corpus meum.* non esset alioquin verus; cùm sensus illorum sit, *Quidquid subest* (intellige in fine enuntiationis) *istis accidentibus, est Corpus meum*, quod utique falsum esset, si adhuc subesset substan-
290 tia panis; sicut falsum esset ostenso ligno dicere: *hoc est materia prima.*

Imò si adhuc maneret substantia panis, illa sola designabilis esset per pronomen *Hoc* etiam præsente Corpore Christi: atqui sic Christus de substantiâ panis affirmâsset esse Corpus suum, quod est manifestè falsum: ergo
291 ut Christus non dixerit falsum, debet non amplius subesse substantia panis. Sequela probatur. pronomen *Hoc* applicari potest ad rem, quæ naturâ suâ, aut ex arte & usu hominum aliam continet; & tunc in significatione propriâ adhibetur ad designandam substantiam contentam sub aliâ substantiâ; ex. gr. hominem sub tali figurâ, pecuniam in marsupio,

marsupio, vinum in dolio. Quodsi applicetur
substantiæ, quæ nec à naturâ, nec ab arte aut
communi usu hominum ordinatur ad aliam
continendam, ut pomum, triticum, &c. tunc
in proprietate sermonis per pronomen *Hoc*
non potest designari, nisi illa substantia, quæ
proximè sub illis accidentibus continetur: 292
quia pronomen *Hoc* est signum sensibile de-
monstrans rem ad sensum, & non supponit
directè pro ipsis accidentibus, sed demonstrat
substantiam materialem sub accidentibus la-
tentem, ac proximè contentam. Quando ergo
talis substantia de se non est apta continere
aliam, tunc pronomine *Hoc* designatur illa
substantia, quæ sub accidentibus continetur. 293
Cùm ergo panis nec de se, nec ex hominum
usu communi sit ordinatus ad continendam
aliam substantiam, sequitur ex facto discursu,
quòd si unà cum Corpore Christi subesset
panis accidentibus, ille potiùs quàm Corpus
Christi demonstrandus esset.

Quando verò solùm Corpus Christi sub-
stat accidentibus, jam ex proprietate sermo- 294
nis ipsum demonstratur, quia pro casu ab-
sentiæ panis demonstratur id, quod illi suc-
cessit.

Si ergo quis in Philosophiâ suâ tenet, ad
conversionem formalem non requiri omni-
modam desitionem termini formalis *à quo* fit

transitus (prout aliqui sentiunt, existimantes, sufficere desitionem connexionis cum tertio communi) ex discursu facto clarè deducet, vi verborum Christi converti panem in Corpus Christi; & eadem est ratio de conversione vini in sanguinem.

295 Quia verò plures requirunt omnimodam desitionem termini formalis *à quo*, ideo laborant aliqui Scholastici Theologi, quâ ratione deducant omnimodam desitionem panis & vini ex veritate verborum Christi: quamvis non desint, qui existiment, mentem Concilij solùm fuisse definire, quòd saltem ea omnia
296 interveniant, quæ ab omnibus indubitanter ad conversionem requiruntur, nec fuisse solicitum de illis, quæ dubia sunt, an requirantur. Imò existimant, non voluisse definire conversionem formalem, sed solùm totalem, cùm non desint Philosophi & Theologi, qui velint solam conversionem totalem esse propriè dicendam conversionem.

297 *Controversia prima est de voce, an desitio substantiæ panis sit vocanda* Annihilatio.

Controversia secunda. An ad hanc conversionem requiratur nova productio termini ad quem, scilicet Corporis Christi.

Controversia tertia. Per quidnam formaliter connectatur Corpus Christi cum accidentibus,

ut

ut illis motis & ipsum moveatur; quandoquidem non informatur ab illis, ut possit denominari album, grave, &c.

CAPVT IV.

DE FORMA CONSECRATIONIS.

298 FOrma huius Sacramenti (inquit Concil: Florent. in litt. Eugenij ad Armenos) *sunt verba Salvatoris, quibus hoc conficitur Sacramentum. Sacerdos enim in personâ Christi loquens hoc conficit Sacramentum: nam ipsorum verborum virtute substantia panis in Corpus Christi cõvertitur, &c.* 299 cui definitioni tandem etiam acquieverunt Græci, quorum aliqui existimârunt, consecrationem fieri per quasdam preces seu invocationem sancti Spiritûs subsequentem ad prolationem verborum Christi.

Controversia est, an verba Christi proferantur tantùm recitativè seu narrativè & historicè, vel 300 *tantùm enuntiativè, & practicè, vel utroq; modo.*

Ad consecrationem Corporis Christi sub speciebus panis requiruntur essentialiter hæc verba: *Hoc est Corpus meum.* & etiam sufficiunt, nec requiruntur priora illa: *Qui pridie quàm pateretur.* hæc enim non sunt verba Christi, sed Evangelistæ, nec proferuntur nomine Christi.

Neque etiam illa verba: *Accipite & manducate ex hoc omnes*, tametsi sint verba Christi, pertinent ad essentiam consecrationis; nihil enim faciunt ad significandum effectum consecrationis.

Controvertitur tamen à Cardinale de Lugo
301 *hic tum n. 48. tum præcipuè n. 120. an proferantur in personâ Christi, adeóque non merè recitativè, sed neque etiam practicè.*

Consecrationis Calicis verba essentialia sunt: *Hic est Calix Sanguinis mei, vel his æquivalentia.*

Controversia est, an cætera verba: Novi & 302 æterni testamenti, mysterium Fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum: *an hæc, inquam, etiam sint essentialia, ut volunt communiter Thomistæ. vel saltem an in aliquo sensu sint substantialia, seu integralia, licet non operativa, sed jam præsupponentia præsentiam sanguinis vi verborum essentialium jam absolutorum, ut quidam mo-*
303 *derni defendunt.*

Est etiam difficultas scholastica, in quo sensu possint illa verba consecrationis esse vera, quandoquidẽ primùm in fine propositionis ponitur significatum. Item an & in quo sensu verum sit, quòd causserent suum significatum ut vera, quandoquidem eorum veritas videatur compleri ab existentiâ significati vel certè ab illâ determinari.

Denique

Denique controvertitur, an pronomina Hoc, Hic *habeant locum subjecti vel prædicati in formâ consecrationis.*

CAPVT V.

DE ILLIS, QVÆ VEL VI VERBORUM, VEL PER CONCOMITANTIAM PONVNTVR IN EVCHARISTIA.

304 TOtus Christus secundùm omnia, quæ substantialiter includit, quatenus est suppositum in duplici naturâ subsistens, sub quavis specie continetur, 305 ut sæpius est ab Ecclesiâ definitum, & colligitur ex Joann. 6. *Qui manducat me: Ego sum panis vivus.* & sanctus Andreas fertur respondisse tyranno se quotidie immolare Agnum immaculatum, qui postquam sumptus est, integer perseverat & vivus.

306 Ratio tradita à Tridentino est: quia physica connexio partium inter se facit, ut ubicunque ponitur unum extremum, debeat, si possit, connaturaliter & per concomitantiam poni & alterum, quod saltem verum est de illis, quæ pertinent ad naturale subjecti complementum. nam de alijs est controversum, & ad Philosophiam pertinet.

Factâ specierum divisione totus similiter Christus

Christus est sub quavis specierum parte, ut habet Trident. sess. 13. c: 3. & can. 3. neque enim species per divisionem amittunt consecrationem.

Non solùm autem caro, sed etiam ossa, nervi, ungues, capilli, dentes ponuntur in Evchariſtiâ, quia pertinent ad integritatem
307 Corporis. Neque solus ille sanguis ponitur, qui actu effusus est, sed etiam quem Christus in cruce adhuc in Corpore retinuit, sive intra venas, sive intra arteriam, sive in jecore, &c. & quem etiam reassumpsit, ac modò habet in cœlo.

Ex his autem aliqua sunt, quæ dicuntur, à Theologis poni *vi verborum formaliter*, ali-
308 qua verò *concomitanter*. Illa dicuntur *vi verborum* poni, quæ per verba consecrationis ita significantur, ut illorum quocunque non posito verba non essent vera.

Itaque vi verborum & formaliter ponitur sub speciebus panis Corpus Christi, sub speciebus vini, Sanguis Christi, ut definit Trid.
309 & ex verbis ipsis patet.

Controversia tamen est, quid significetur per nomen Corpus, *an sola materia prima an connotando formam substantialem, an ut informata formis partialibus ossis, carnis, nervi, &c. an Corpus prout est genus subalternum in lineâ predicamentali; an secundùm rationem communem*

tem abstrahentem à formâ viventis & mortui: an materia cum aliquâ organizatione disiunctim & indeterminatè sumptâ, scilicet vel substantiali vel accidentali: an denique Materia cum organizatione accidentali determinatè.

Sub speciebus vini vi verborum ponitur materia cum formâ substantiali sanguinis, si sanguis non est animatus: si est animatus; discurrendum est cum proportione ad ea, quæ quis tenet de significatione *Corporis*. 310

Divinitas & Personalitates divinæ sunt in Eucharistiâ per concomitantiam, sicut & anima: juxta Trid. sess. 13. c. 3. non enim harum præsentia requiritur formaliter ad verificanda verba: dicitur autè Divinitas esse præsens per concomitantiam, nam licet essentialiter ubique sit, propter admirabilem tamen illius cum Corpore & Animâ unionem est etiam peculiari titulo in Eucharistia. 311

CAPVT VI.

DE ACCIDENTIBVS PANIS ET VINI REMANENTIBUS IN EVCHARISTIA. 312

REALIA accidentia panis & vini remanent sine substantiâ post consecrationem, ut satis clarè exprimit Tridentinum, dicens, remanere duntaxat species panis, & Concil. Constantiense damnat propo-

propositionem Wicleffi asserentis, accidentia panis non manere sine subjecto. Porrò hæ definitiones utique debent intelligi in eo sensu, qui semper & antè & pòst fuit Fidelium, nempe manere illa, quæ ex parte objecti sensus judicant manere, ut, albedinem, saporem,
313 humiditatem: per hæc enim, & non per species merè intentionales denominatur Christus designabilis & sensibilis. Unde ad minus temeraria est quorundam modernorum persuasio, solùm intervenire species intentionales in aëre & sensibus, & quidem species ipsius Christi emissas à quibusdam particulis Corporis vel Sanguinis.

314 Repugnat hæc novitas non solùm intentioni Conciliorum & Fidelium sensui, sed etiam manifestæ rationi: sensus enim verborum Christi: *Hoc est Corpus meum*: est iste: *hoc, quod subest* (intellige in fine propositionis, quæ est practica) *istis accidentibus, quæ videtis toto locutionis tempore, est Corpus meum*. Ergo de-
315 bebant accidentia designata manere in fine propositionis, alioquin verba Christi sunt falsa.

Manent etiam ibi qualitates occultæ, si quæ sunt in substantiâ panis & vini: (quidquid sit, an hæc etiam comprehendantur definitione Conciliorum, in quo dissentiunt Theologi) nam etiam illæ sunt vel immediatè, vel mediatè sensibiles.

Virum

Virum accidentia sensibilia recipiantur in quantitate panis, est controversia philosophica.

Accidentia Eucharistica ita tandem corrumpuntur, ut Christus desinat esse sub illis, nempe per accidentia contraria substantiæ panis & vini, & huius expulsiva si illa adesset. Et quia hæc corruptio est alterius substantiæ 316
generatio, *v.g.* chyli, vermis, cineris, &c. ideo hæc generatio fit, quatenus in instanti generationis producitur materia prima, ex quâ educitur forma substantiæ genitæ.

Controversia prima est, in quo signo naturæ producatur materia, an præsuppositâ jam ultimâ dispositione ad novam formam, an potiùs pro priori signo. 317

Controversia secunda. An nova materia distincta ab eâ, quæ per consecrationem destructa est, producatur, vel destructa reproducatur.

CAPVT VII.

DE PARTIBVS, SEV INTRINSECE CONSTITVTIVIS SACRAMEMTI EVCHARISTIÆ. 318

IMPRIMIS Species Sacramentales sunt constitutivæ Eucharistiæ, ut habetur *cap: cum Marthæ §. distinguendum est, de celebrat. Missarum*. qui locus ut intelligatur, Scien-

Sciendum est, Theologos solere in pertinentibus ad Sacramenta novæ Legis tria distinguere (quæ tamen est quæstio de nomine) quorum unum vocant *Sacramentum tantùm*, alterum *Rem tantùm*, tertium *Rem & Sacramentum simul*. Sacramentum tantùm vocant illud, quod significat, & non signi-
319 catur, & hoc semper est aliquid intrinsecè pertinens ad rationem Sacramenti, utpote per quod Sacramentum constituitur in ratione signi. Alterum scilicet *Rem tantùm*, volunt esse illud, quod solummodo significatur, & non significat, & hoc non est intrinsecè pertinens ad rationem Sacramenti, sed potiùs est
320 primarius & universalis effectus Sacramentorum, nempe Gratia. Tertium, nempe *Sacramentum & Rem simul* volunt esse illud, quod & significat, & significatur; & hoc non est universim necesse, ut sit constitutivum Sacramenti in rigore sumpti, sed vocatur *Sacramentum* in largiore significatione: huiusmodi est character; item in Evchariſtia Corpus &
321 Sanguis Christi. In allegato itaque Capitulo Innocentius III. docet, Species visibiles esse *Sacramentum tantùm*. Ratio ulterior est, quia Evchariſtia seclusis speciebus non est signum sensibile: ergo nec Sacramentum.

Deinde etiam Corpus & Sanguis Christi intrinsecè constituunt Evchariſtiam. Christus enim

enim Joann. 6. loquens de hoc Sacramento tanquam de cibo spirituali, ait illum cibum esse suam Carnem & Sanguinem. Imò corpus & Sanguis importatur ad minimum in recto ab hoc Sacramēto (*quidquid sit de speciebus, de quibus aliqui negant*) dicitur enim à Trid. c: 5. Adorabile cultu latriæ absoluto, & à Patribus de hoc Sacramento prædicatur in recto esse Corpus carnem, & sanguinem Christi. 322

Controversia est prima de Verbis consecrationis, an sint pars huius Sacramenti, quod unicum ex omnibus est Sacramentum permanens, verba autem transeunt: vel an loco illorum sit pars constitutiva negatio revocationis verborum. 323

Controversia secunda. An intentio, & potestas Ministri, item diuina Institutio pertineant intrinsecè ad hoc Sacramentum, sicut (ut multi volunt,) pertinent ad alia Sacramenta, vel potiùs sit specialis huius Sacramenti exceptio.

Controversia tertia. An ipsa sumptio seu usus huius Sacramenti sit aliquo modo pars huius Sacramenti, ut multis contendit Dicastillo d. 1. à n. 37. 324

Controversia quarta esse posset, an hoc, quod est, substantiam panis & vini præcessisse, & substitisse accidentibus, sit pars constitutiva, ita ut si miraculosè darentur accidentia panis sine substantia, non possent consecrari.

CAPVT VIII.

DE VNITATE ET NECESSITATE EVCHARISTIÆ.



325 SACRAMENTVM Evchariſtiæ eſt una ſpecies infima etiam quatenus utramque ſpeciem complectitur. Si enim eſſent duæ ſpecies totales infimæ & atomæ, non eſſet ullâ ratione damnandus ille, qui diceret dari octo Sacramenta, quod repugnat verbis Tridentini ſeſſ. 7. can. 1. damnantis eum, qui dixerit eſſe plura, quàm ſeptem, & pari jure poſſet quis dicere dari
326 tantùm duo Sacramenta (intelligendo genera) ſcilicet unum vivorum, alterum mortuorum, ſi licet dicere Sacramentum Evchariſtiæ eſſe Genus, & non ſpeciem. Ratio verò eſt, quia utraq; ſpecies ſimul conſtituit completam ſignificationem convivij ſpiritualis, de cuius ratione eſt non ſolùm cibus; ſed etiam potus.

327 Evchſtariſtia nec in re, nec in voto eſt neceſſaria neceſſitate medij, ad juſtificationem. Nam ex primaria ſui inſtitutione ſupponit hominem juſtificatum. Loquendo verò de neceſſitate ex præcepto, & quidem imprimis ex præcepto divino

Conveniunt Doctores, Chriſtum præcepiſſe Evchariſtiæ ſumptionem illis verbis:

Niſi

Nisi manducaveritis carnem Filij hominis, &c. ubi tamen non præcepit sumptionem utriusque speciei, sed alterutram disiunctim, ut sensus sit: *si neque manducaveritis carnem, neque biberitis, &c.* sicut locutus est S. Petrus, dicens: *Argentum & aurum non est mihi.*

Quoties autem Eucharistia sumenda esset, 328
reliquit Christus Pastoribus Ecclesiæ determinandum attentis circumstantijs. Unde à Fabiano Papa fuit præcepta trina per annum Communio, videlicet in Paschate, Natali Domini, & Pentecoste, *cap: etiamsi non: de consecr. dist. 2.* Pro articulo verò mortis ex
ipsâ huius Sacramenti institutione infertur 329
sumendi obligatio, utpote per modum viatici ad iter æternitatis.

De cætero Innocentius III. in Concil. Lateran. decretum fecit (quod refertur cap; omnis utriusque. 12. de Pœnit. & Remiss.) ut *omnis Fidelis, postquam ad annos discretionis venit, reverenter ad minus in Paschà suscipiat hoc Sacramentum, nisi forte de proprij Sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab huiusmodi perceptione duxerit* 330
abstinendum; alioquin & vivus ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens Ecclesiasticâ careat sepulturâ.

CAPVT IX.

DE MINISTRO EVCHARISTIÆ.

331 SOLVM Sacerdotem posse conficere Evchariſtiam ſæpius à Concilijs definitum eſt, noviſſimè in *Trid. ſeſſ. 22. c. 7. & ſeſſ. 23. c. 1. & 4. & can. 1.* Ratio eſt, quia his ſolis legitur collata poteſtas à Chriſto, prout dicetur in Sacramento Ordinis. Deinde omnis Sacerdos poteſt validè conſecrare non obſtante quacunque irregularitate, hæreſi, degradatione, &c. ſemper enim retinet characterem ſacerdotalem, qui ad hoc ſufficit.

332

Illud in huius Sacramenti adminiſtratione ſingulare eſt, quod ex approbatione Eccleſiæ poſſint in certis caſibus plures Sacerdotes eandem hoſtiam conſecrare; nam in novo Rituali edito juſſu Clementis VIII. præcipitur, ut Præsbyteri ordinandi conſe-

333 crent eandem materiam cum Epiſcopo ordinante, item quando conſecratur aliquis Epiſcopus, debet ſimul cum ſuo Ordinante conſecrare; & uterque de utrâque ſpecie ſumere, cùm tamen Neomyſtis non niſi una ſpecies detur. Denique mos Græcorum Romæ approbatus eſt, ut ſemper cum Epiſcopo conſecret Præsbyter, licet neutram ſpeciem ſumat:

sumat: quam consuetudinem mirum est quosdam ausos fuisse improbare.

Difficultas est & controversia, qui hoc fieri possit, sine aliquo inconvenienti, ne videlicet vel Sacerdos consecret unam speciem non consecrando alteram, vel non sumat speciem à se consecratam, vel ne principalis consecrans, Episcopus non consecret utramque speciem; vel denique, ne aliquis proferat verba supra materiam jam consecratam. quæ omnia vix evitari possunt, & tamen communiter reputantur inconvenientia; licet non desint moderni negantes esse inconveniens, quòd unius vel aliquorum tantùm, & non aliorum consecratio sit valida physicè; sumat & offerat, qui non consecravit physicè aut econverso; satis esse arbitrantes, omnes consecrare moraliter; cuius doctrinæ declarationem præstat P. Martinus Esparza q: 68. in resp. ad 3. art. 5. 334 335

CAPVT X.

DE EFFECTIBVS EVCHARISTIÆ. 336

PRIMARIVS Eucharistiæ debito modo sumptæ effectus est augmentum Gratiæ: hoc enim augmentum significatur per modum cibi & potûs nutrientis.

In hâc Gratiâ, quâ sacramentali radican-

tur cæteri effectus, nimirum uberiora auxilia ad omnes operationes proprias vitæ spiritualis, cum fervore charitatis, qui est specialis effectus huius Sacramenti. ex quibus provenit præservatio à mortalibus juxta il-
337 lud Joann. 6. *Nisi manducaveritis, &c. non habebitis vitam in vobis,* id est, perseverantem. Delet etiam peccata venialia residua, ut tenetur Trid. c. 2. dicens, *Sacramentum hoc esse antidotum, quo liberamur à culpis quotidianis, & à mortalibus præservamur.* hoc autem præstat mediantibus actibus deletivis illorum peccatorum, ad quos excitamur.

Causat item Eucharistia, nisi inordinatis
338 affectibus impediatur, dulcedinem quandam spiritualem Psal. 67. *Parâsti in dulcedine tuâ pauperi DEVS.* Gen. 49. *Pinguis est panis, & præbebit delicias.* hi enim sunt etiam cum proportione effectus cibi & potûs.

Circa Corpus etiam communior est opinio, hoc Sacramentum operari diminutionem fomitis, motuumque carnalium; nam
339 Zachar. 9. vocatur *frumentum Electorum, & vinum germinans virgines.*

Eucharistia producit gratiam sanctificantem, non dum in ore existit (necdum enim censetur tunc esse manducata, manducationi autem promittitur gratia) sed causat, quamprimum per epiglottidem ad eum terminum

minum in Oesophago descendit, ut communi judicio hominum censeatur cibus manducatus, hoc est, unde non possit sine difficultate retrahi, esto quòd per accidens ejiciatur.

Controversia prima est, an hoc Sacramentum possit per accidens producere primam gratiam, & justificare.

Controversia secunda. An ambæ species sumptæ majorem gratiam conferant, quam una. 340

Controversia tertia. An in stomacho perseverans productâ jam prius gratiâ, nihil amplius operetur ex accessu novæ devotionis.

CAPUT XI.

DE DISPOSITIONIBVS PRÆREQVISITIS. 341

AD sacramentalem, hoc est. fructuosam, & non merè materialem sumptionem requiritur character baptismalis & status gratiæ. Ad Cor. 11. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat.* 342 In adulto (secùs in infantibus) requiritur insuper intentio hoc Sacramentum quà tale sumendi, saltem implicita & habitualiter perseverans; nulla tamen alia devotio est per se loquendo necessaria: cùm per gratiam sit homo sufficienter dispositus ad eius au-

gmentum, nec sanctus Paulus plus requirat.

Conscius peccati mortalis necdum confessi, obligatur per se loquendo (secluſis causſis excusantibus, de quibus Casistæ videndi sunt) ad confessionem sacramentalem, & quidem ex præcepto, quod in Eccle-
343 siâ jam ante Trid. exstitit, & ab hoc declaratum est sess. 14. c. 7. colligens illud ex traditione Ecclesiæ semper ita intelligentis verba Apostoli: *Probet autem seipsum homo.* addítque: *Si quis autem contrarium docere* (prout fecerunt aliqui) *prædicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publicè disputando defendere præsumpserit, eo ipso excommunicatus existat.*
344 *Hoc præceptum esse divinum tenet communis sententia, quamvis aliqui putent esse Apostolicum.*

De hoc præcepto eum suis exceptionibus, sicut & de naturali jejunio videndi sunt Theologi morales.

345 CAPVT XII.

DE EVCHARISTIA VT EST SACRIFICIVM.

SACRIFICIVM in genere plures diversimodè definiunt: Placet dicere, quod Sacrificium sit signum seu actio existens in re DEO oblatâ & immutatâ, quo

quo DEVM authorem vitæ & mortis profitemur.

Sacrificium Missæ est propriè dictum Sacrificium. Trid. sess. 22. can. 1. Malachiæ 2. prædicitur futurum, ut ab ortu solis usque ad occasum in omni loco sacrificetur & offeratur nomini Domini oblatio munda. 346
Daniel. 12. prædicitur futurum, ut tempore Antichristi auferatur juge Sacrificium. Ad Hebr. 7. dicitur Christus Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech: atqui non esset Sacerdos in æternum, si solum Sacrificium cruentum obtulisset: nec secundùm ordinem Melchisedech, nisi ex pane & vino Sacrificium instituisset, sicut Melchise- 347
dech sacrificavit. Act. 13. dicuntur Apostoli ministrare Domino, quòd græcè legitur λειτουργεῖν, *sacrificare.* Ad Hebr. 13. dicitur: *Habemus altare, de quo edere non habent facultatem, qui tabernaculo serviunt.* Et sanè convenientissimum utique fuit, Ecclesiam Christi non esse destitutam illo cultu divino, quem ipsum lumen naturæ dictat, & quo 348
nulla unquam gens quantumvis barbara caruit.

Cùm ergo ratio Sacrificij consistat in actione destructivâ rei oblatæ, laborat Theologi, quænam sit actio in Sacrificio Missæ, in quâ consistat sacrificatio. Et imprimis qui-

dem non consistit in fractione hostiæ, tum quia calix non frangitur, & tamen sacrificatur, tum quia sine fractione posset consistere sacrificium, v.g. si hostia caderet in calicem, ut monet rubrica Missalis. Consistit ergo in ipsâ Consecratione, quatenus vel per illam aliquo modo mysticè destruitur Christus,
349 dum vi verborum Corpus à Sanguine separatur (ut volunt multi) vel quatenus per illam Christus in tali statu ponitur, in quo non potest exercere actiones humanas, sed induit rationem cibi vel potûs, ut volunt alij.

Volunt insuper, ipsam quoque sumptionem pertinere ad integritatem huius Sacri-
350 ficij, quatenus per ipsam adhuc magis destruitur, prout fiebat antiquitus in Holocaustis per combustionem.

Controversia gravior est, an utriusque speciei consecratio sit de essentia huius Sacrificij, ex Christi institutione, ita ut pro nullo casu possit in hoc dispensari.

351 Principalis offerens hoc Sacrificium est Christus, utpote offerens, seipsum ministerio Sacerdotum, ut habetur in Trid. *sess. 22. c. 2.* Fideles verò dicuntur etiam aliquo modo offerre Sacrificium per manus Sacerdotum, præsertim quando Sacro intersunt.

Effectus huius Sacrificij quà talis non est collatio

collatio gratiæ ex opere operato. Est tamen *Impetratorium* quatenus offertur à Christo, & prout offertur ab Ecclesiâ per Ministrum, hic tamen effectus simpliciter loquendo non est infallibilis, sed sub conditione, videlicet, si interveniant illæ circumstantiæ, quæ à Christo requiruntur, ut hîc & nunc suo no- 352
mine petatur. Ratio huius limitationis erat, quia non aliter expediebat, alioquin occasio data fuisset hominibus sæpissime ex inordinato affectu vel ignorantiâ petendi & impetrandi, quæ maximè nociva essent.

Est etiam *Propitiatorium*, ut habetur in Trid. loco cit. quæ virtus potest à priore distingui formaliter in ordine ad diversas 353
perfectiones divinas. Propitiatio enim seu placatio non est aliud, quàm quod Deus desinat indignari seu irasci, & nolit inferre mala, quæ alioquin ob justam indignationem inferret, & sic placatio respicit *Clementiam* Dei, movendo illam ad deponendam indignationem in ordine ad neganda auxilia uberiora pœnitentiæ, quibus deinde conces- 354
sis delentur ipsa peccata. Virtus autem *impetrandi* respicit formaliter *Liberalitatem* Dei, in dando, quod petimus; & sic possumus directè impetrare eadem pœnitentiæ auxilia, quæ tamen propitiatio tantùm indirectè procurat.

Est

Est denique *Satisfactorium* tam respectu Vivorum, quàm respectu Animarum in purgatorio remittendâ infallibiliter aliquam pœnam remanentem illis, quibus applicatur, *Quoad alios audientes Missam, pro quibus tamen non offertur specialiter, est controversum, an conferat effectum satisfactionis.*

355

Controversum itidem est, an valor huius Sacrificij ex opere operato sit infinitus hoc sensu, ut quoad fructum satisfactionis perinde prosit singulis, quando offertur pro multis, ac quando offertur pro paucis.

356 Plura, quæ de Sacrificio Missæ dici possent sunt Juris positivi.

Titvlvs VI.

DE POENITENTIÆ VIRTVTE ET SACRAMENTO.

357 POENITENTIÆ Sacramentum in novâ Lege ita connexum est cum virtute Pœnitentiæ, ut nec Sacramentum hoc sine virtutis pœnitentiæ actu consistere possit, nec actus virtutis pœnitentiæ sine Sacramento pœnitentiæ, in re, vel in voto (prout de Baptismo in simili explicatum est) possit ad justificationem prodesse.

Hinc

Hinc factum est, ut Magistri Theologiæ Scholasticæ, priusquam ad ipsum Pœnitentiæ Sacramentum accedant; tractent de Virtute Pœnitentiæ, tum quia inde redditur facilius intellectu ipsum Sacramentum, tum quia necessitas virtutis Pœnitentiæ universalior est, quàm Sacramenti; virtus enim etiam in 358
Lege veteri necessaria fuit, non item Sacramentum. Hunc ergo titulum in duas partes dividemus, prima erit de Virtute Pœnitentiæ, secunda de Sacramento Pœnitentiæ.

Pars Prior.

DE POENITENTIÆ VIRTUTE. 359

Caput I.

DE GENERE ET DIFFERENTIA VIRTUTIS POENITENTIÆ.

POENITENTIÆ nomen & significatio derivata est à *Pœnâ*, ut idem sit *pœnitere* ac pœnam tenere: Unde plus est *pœnitere*, quàm præcisè mores emendare, quod malè negant hæretici; ipsâ scilicet Scripturâ teste Matth. 11. Tyrios & Sidonios commendante, quòd in cilicio & & cinere pœnitentiam egissent, si Christi 360

opera

opera vidissent, & prædicantem audijssent. Matth. 12. laudatur pœnitentia similis Niniviturum. S. Augustinus hom. ult. disertis verbis ultra emendationem vitæ requirit ad pœnitentiam *dolorem, humilitatis gemitum, contriti cordis Sacrificium.* Præterea etiam
361 evidenti ratione id constat. impossibile enim est, me efficaciter pœnitere illius, quod ago, dum ago; atqui dum pecco, possum habere voluntatem deinceps non peccandi: ergo pœnitere plus est, quàm velle mores deinceps emendare.

Vt autem natura & essentia Pœnitentiæ
362 melius intelligatur, imprimis pro certo statuendum est, honestum esse pœnitere de peccatis eo modo, quo pœnitentia à Theologis consideratur. Pœnitentia enim eligit illa media, quæ præcipiuntur, ad delendũ peccatum, & reliquias illius; agere autem id, quod præcipitur, est proculdubio per se, & seclusis finibus extrinsecis honestum. Et hoc sensu
363 etiam certum est esse Virtutem moralem in eo sensu, quo Aristoteles 2. Eth. c. 2. & 6. Virtutem definivit esse cum verâ ratione electivam, quidquid sit de alijs strictioribus definitionibus Virtutis, excludentibus à ratione virtutis illos actus, qui præsupponunt culpam.

Sciendum præterea est, omnes Virtutes, quatenus

quatenus per actus detestativos possunt retractare peccata sibi specialiter opposita, posse vocari Pœnitentiam. Verùm Pœnitentia in hoc sensu non est necessaria ad justificationem, ut enim aliquis justificetur à peccatis quamplurimis & diversissimis, non est necesse, dolere de commissis ex specialibus 364
motivis omnium illarum virtutum, quibus opponuntur, hac enim ratione redderetur multis justificatio moraliter impossibilis, ut consideranti liquet, præsertim illis, qui multorum peccatorum sunt penitus obliti. Debet ergo sufficere Pœnitentia ex motivo unius virtutis extendentis se ad omnia mor- 365
talia, & omnibus æquè oppositæ.

Huiusmodi virtutem esse charitatem Dei super omnia, est indubitatum, hæc enim etiam sine Sacramento Pœnitentiæ est justificativa. Verùm hanc determinatè necessariam non esse, est jam recepta Theologorum doctrina (ut infrà trademus) asserens, cum Sacramento sufficere actum virtutis inferio- 366
ris, qualis v.g. est actus Religionis, obedientiæ erga Deum, odium peccati ex metu pœnæ, vel spe præmij, &c. his enim virtutibus omnia peccata mortalia opponuntur, & ideo ex earum motivo omnia sunt retractabilia. Quia verò ex hoc ipso deducitur, non esse ullam urgentem causam, quare una ex his

præ

præ aliâ ſpecialiter vocetur Pœnitentiæ virtus, ideo

Controverſia eſt, an poſſit aſſignari Virtus aliqua ſpecialis, ex ſuo ſpeciali motivo contradiſtincta ab omnibus cæteris nominatis virtutibus, quæ ratione ſui motivi mereatur ſpecialiter no-
367 *minari Pœnitentia, & quodnam ſit huius virtutis motivum formale.*

Caput II.

DE OBIECTO MATERIALI, CIRCA QVOD UT EMENDANDVM VERSATVR POENITENTIA.

368

CONSTAT huiuſmodi objectum eſſe peccata perſonalia, cum ſuis effectibus pœnâ ſcilicet, praváque inclinatione relictâ ex peccatis perſonalibus: hæc enim dum quis deſtruere conatur, & ſic
369 errata præterita emendare, rectè dicitur *pœnitentiam agere.*

Nullum autem datur defacto peccatum, quod ex decreto DEI nullâ pœnitentiâ ſit delebile: in quo puncto non ſolùm graviter errârunt Cathari & Cataphrygæ, volentes peccata Chriſtianorum non eſſe delebilia, ſed etiam Tertullianus negans poſſe deleri peccata poſt pœnitentiam ſemel ritè peractam

ctam iterata. ac denique etiam Novatiani, & Armeni, qui certas peccatorum ſpecies, ut Apoſtaſiam à Fide, abnegationem Chriſti in tormentis, adulterium &c. excipiebant. Primus error damnatur in Concil. Lateran: *relato in cap. Firmiter de Summ Trinit.* & refellitur imprimis ex converſione S. Petri jam baptizati tunc, quando lapſus eſt, quidquid negaverit Origenes: deinde ex eiuſdem adhortatione ad Simonem Magum jam baptizatum; Act. 8. *Pœnitentiam age ab hac nequitiâ tuâ, & roga DEVM ſi fortè remittatur tibi hæc cogitatio.* Denique ex facto Pauli 1. ad Cor. 5. excommunicantis fidelem fornicarium, ut emendetur, & ſpiritus eius ſalvus fiat. 370 371

Secundus error refellitur ex verbis Chriſti Joann. 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* quæ cùm non ſint limitata, nec à nobis debent limitari ad unicam remiſſionem. Tertius error imprimis refellitur illis teſtimonijs, in quibus legimus eiuſmodi delicta remiſſa, huiuſmodi ſunt abnegatio facta à Petro, inceſtus graviſſimus *2. ad Cor. 2. & 7. & 2. ad Tim. 2.* Deinde, quemadmodum teſtimonia Scripturæ accipiuntur univerſaliter, quando aſſerunt, propter quodvis peccatum mortale perdi gratiam Dei, ita etiam teſtimonium Ezechielis. 18. *Omnium* 372

iniquitatum eius non recordabor, universaliter accipiendum est, & nullum quantumvis magnum excipiendum.

Controvertunt aliqui, an sit excogitabile peccatum essentialiter irremissibile à DEO propter essentialem dependentiam à revelatione, &
373 *decreto DEI de non dimittendo peccato.*

CAPVT III.

DE CONTRITIONE, VT EST PRÆCIPUUS ACTUS AD DELENDVM PECCATVM IDONEVS.

374 DISTINGVVNT Theologi *Contritionem* ab *Attritione* per hoc, quòd ille actus strictè loquendo dicatur *Contritio*, qui est connexus cum hominis justificatione, etiam sine ullo Sacramento in re suscepto: *Attritio* verò dicatur omnis illa peccati detestatio, quæ sine Sacramento in re susceptо non trahit per se & immediatè se-
375 cum justificationem.

Et quidem ex omnium classicorum Doctorum sententiâ Contritio nunquam habetur, nisi ex motivo perfectæ charitatis in DEVM, adeóque non sufficit motivum alterius virtutis, v.g Religionis, Obedientiæ, &c. ut quidam innominati sunt opinati. Tridentinum

tinum enim ſeſſ. 14. c. 4. expreſsè negat eſſe cõtritionem illum actum, qui peccatum deteſtatur præcisè ex turpitudine peccati; huiuſmodi autem ſunt actus aliarum virtutum, exceptâ Charitate; turpitudo enim peccati conſiſtit in privatione rectitudinis debitæ, hoc eſt, honeſtatis illius formalis, quæ invenitur in actu Religionis, Obedientiæ, &c. 376
adeóque qui movetur ab honeſtate objectivâ harum virtutum in deteſtatione peccati, attendit præcisè turpitudinem peccati: ergo talis actus ex mente Concilij non eſt Contritio, nec eſt charitate perfectus, prout ad Contritionem requirit Concilium, conformiter teſtimonijs Scripturæ Lucæ 7. *Cui* 377
minùs dimittitur, minùs diligit, hoc eſt, ei, qui nihil diligit, nihil dimittitur. Deut. 4. *Cùm quæſieris Dominum DEVM tuum, invenies eum, ſi tamen ex toto corde tuo quæſieris eum.* Joël. 2. *Convertimini ad me ex toto corde veſtro.* Iſaiæ 31. *Convertimini ſicut in profundum re-* 378
ceſſeratis.

Ex quibus colligi poteſt congruentia, cur Deus nullum actum alterius virtutis, præterquam Charitatis voluerit acceptare ad juſtificationem, ſecluſo privilegio Sacramenti Pœnitentiæ habentis vim ſupplendi defectum perfecti amoris. Decebat nimirum hominem, qui peccando auſus eſt ſe à Deo

ad creaturam ita convertere, ut eam sibi constitueret pro fine ultimo *Cui*, non reciperetur in gratiam, nisi se pari modo ad DEVM converteret, constituendo sibi DEVM pro fine ultimo *Cui*. hoc autem solus Charitatis actus facit, ut ex suprà dictis constat, & nemo negat.

379 *Controversia est, an & quo sensu malum culpæ sit majus malum, magisque detestabile per Contritionem, quàm malum pœnæ aternæ.*

CAPVT IV.

DE NECESSITATE POENITENTIÆ.

380 POENITENTIA alia est formalis, alia virtualis. Formalis est actualis detestatio, & retractatio peccati commissi per internam animi aversionem ab illo. Virtualis cōsistit in actu prosecutivo boni oppositi peccato, qui proinde est incompossibilis cum voluntate peccandi, & si
381 peccatum commissum memoriæ occurreret, determinaretur peccator ad formalem pœnitentiam.

Alterutra ex his disiunctim est necessaria ad salutem post peccatum personale commissum. *Trid. sess. 14. c. 4.* & innumeris Scripturæ testimonijs est assertum: clarissimè

Luc: 3.

Luc: 13. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* Ratio congruentiæ est, quia, cùm homo se liberè averterit à DEO, & converterit ad creaturam, indignus est, qui jungatur DEO, nisi liberè redeat à creaturâ ad DEVM, hic autem reditus consistit in motu intentionali efficaciter exclusivo affectûs peccaminosi. 382

Quod autem in casu, quo homo peccati commissi non recordatur, sufficiat virtualis pœnitentia, tradunt jam unanimiter Theologi contra Canum; nam actui charitatis est promissus à DEO reciprocus amor & reconciliatio. Prov. 8. *Vniversa delicta operit charitas. Ego diligentes me diligo.* 383

Controversia est, an de absolutâ DEI potentiâ possit dimitti peccatum sine potentiâ, ubi etiam aliqui disputant, an repugnet peccatum dimitti pro illo instanti, quo committitur.

Ex hac Pœnitentiæ necessitate nascitur obligatio naturalis agendi pœnitentiam saltem pro mortis articulo: tenetur enim homo Lege charitatis erga se procurare suum ultimum finem: ergo cùm pœnitentia sit medium determinatè necessarium ad hunc finem post commissum peccatum, tenetur homo ex eâdem Lege ad pœnitentiam. 384

Hæc tamen Lex non obligat ad pœnitentiam justificativam statim post commissum

peccatum : huiusmodi enim obligatio esset, spectatâ communi hominum inclinatione adeò difficilis, ut rarissimè observaretur, & per consequens plùs præjudicaret fini suo quàm ipsum promoveret. quid enim minùs
385 exspectari ab homine potest, quàm ut ex altissimo fine dilectionis DEI detestetur illud, quod immediatè priùs huic ipsi fini prætulit? sanè qui non exstimulatur ad pœnitendum ex periculo, in quo manet propter peccatum commissum, vix movebitur ex timore
386 peccati de novo committendi contra obligationem statim pœnitendi: ergo communiter illa obligatio esset potiùs ansa peccatorum novorum, quàm stimulus ad delendum commissum.

Controversia est prima, an præceptum naturale pœnitentiæ obliget
387 *solùm in periculo mortis, vel etiam intra certum spatium aliquot annorum, secluso omni periculo mortis.*

Controversia secunda. An post peccatum commissum sit obligatio naturalis ad statim retractandum peccatum saltem retractatione non justificativâ, prout existimant moderni quidam.

CAPVT

CAPVT V.

DE EFFECTIBVS POENITENTIÆ.

EFFECTVS Pœnitentiæ sunt deletio culpæ & pœnæ. Culpa mortalis deletur vel per Contritionem, vel per Sacramentum, de priore jam dictum est, de posteriore dicetur inferiùs. de Culpâ veniali paulò pòst. 388

Deletâ culpâ non hoc ipso deletur omnis pœna, ut definit Tridentin. sess. 14. c. 8. & ex Scripturâ est manifestum. 2. Reg. 12. Propheta Nathan significat Regi Davidi, dimissum quidem esse peccatum adulterij & homicidij, restare tamen pœnam, videlicet mortem filij ex adulterio concepti. Atque semper hic sensus Ecclesiæ fuit, imponentis pœnas pro peccatis, & agnoscentis purgatorium, animásque ibi detentas Fidelium suffragijs juvari. Ratio quoque congruentiæ non deest. Tametsi enim misericordiæ divinæ consentaneum sit, indulgere homini remedia, per quæ possit in momento justificari, & se à periculo summæ æternæque miseriæ liberare, non oportuit tamen esse tam facilem liberationem ab omni reatu pœnæ sensûs, ne sic peccatum vilesceret, à quo pœna sensûs plerumque magis absterret, quàm 389 390

pœna damni: præterea sic accedit stimulus ad frequẽtanda varia opera bona & satisfactoria, ac simul etiam promeritoria augmenti gratiæ.

Peccatum veniale potest per pœnitentiam deleri tam quoad culpam, quàm quoad pœnam, sine Sacramento pœnitentiæ, tam in re,
391 quàm in voto. Cùm enim Confessio venialium non sit sub præcepto, hoc ipso eorum Confessio non continetur in Contritione tanquam in voto.

Et quidem per Contritionem, quæ non solùm se extendat ad mortalia omnia, sed etiam ad aliqua venialia, deleri venialia retractata quoad culpam, est apud Theolo-
392 gos satis receptum, ex eo fundamento, quòd Contritio sufficiat ad delenda mortalia: ergo multò magis ad venialia, quæ sunt facilioris indulgentiæ, & quidem ab amico obtinendæ.

Controversia est, an quævis attritio hocipsum præstet, & an sit necessaria, vel aliquando suffi-
393 *ciat simplex displicentia, vel negatio complacentiæ, si accedat Sacramentum.*

Certum præ alijs remedium deletivum venialium est Evchariſtiæ sumptio teste Tridentin. c: 2. Congruentia est, quòd habeat rationem convivij; solent autem amici in convivijs offensas leviores dimittere: item

de

de ratione cibi est reparare, quæ per continuam contrariorum pugnam deperduntur.

De alijs Sacramentis res est incerta. De aquâ benedictâ & similibus, communis habet opinio, non aliter conducere per se ad remissionem venialium, quàm quòd Ecclesia 394
suis orationibus, quas applicat, impetret auxilia excitantia ad actus immediatè deletivos: neque hic effectus est infallibilis.

Defacto autem peccata per pœnitentiam ita tolluntur, ut nullo quantumvis gravissimo subsequente peccato redeant: nec enim divina Clementia dimissa peccata in ultio- 395
nem redire patitur, ait Gelasius Papa c: divina de pœnit. dist. 4. Ratio est, quia alioquin condonatio esset restricta vel conditionata, cùm tamen in sacris litteris condonatio sine restrictione promittatur.

Controversia est, an de potentiâ absolutâ possit peccatum absolutè condonatum redire tam quoad pœnam æternam, quam quoad tempo- 396
ralem.

Alius effectus summè æstimabilis Pœnitentiæ salutaris est Reditus seu reviviscentia Meritorum. Pro cuius intelligentiâ distinguunt Theologi opera hominis bona facta in peccato mortali ab illis, quæ fiunt in statu Gratiæ; priora vocant opera *mortua*, non quasi nihil possint de congruo mereri, sed

quia non merentur gratiam sanctificantem, sicut opera facta in gratiâ merentur de condigno augmentum Gratiæ, ut dictum est in loco. Hæc verò opera per subsequens peccatum mortale dicuntur mortificari, perditur
397 enim Gratia priùs quæsita per peccatum subsequens, quod deinde per suam habitualem perseverantiam resistit meritis præcedentibus tamdiu, donec per pœnitentiam removetur, & tunc velut ablato obice merita præcedentia adhuc in divinâ memoriâ exi-
398 stentia dicuntur redire, & reviviscere in ordine ad restitutionem præmij per peccatum amissi. Hæc reviviscentia colligitur ex Ep. ad Gal. 3. *Tanta passi estis sine causâ, si tamen sine causâ.*

Controversia est prima. An redeat tota Gra-
399 *tia deperdita, vel secundùm certam proportionem ad præsentem dispositionem; vel an hæc reviviscentia sit mera multiplicatio tituli ad Gratiam.*

Controversia secunda. An per absolutam potentiam possit condonari culpa subsequens, quin redeant priora merita.

Pars Secvnda.

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

Caput I.

DE INSTITVTIONE ET PARTIBUS HUIUS SACRAMENTI.

EXISTENTIAM huius Sacramenti collegit semper Ecclesia ex verbis Christi Joann. 20. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. & quorum retinueritis, retenta sunt.* quibus verbis Christus 400
instituit in Ecclesiâ potestatem absolvendi & retinendi peccata per modum Judicij, in quo Judex discernit inter delictum & delictum, utrum dimittendum, an retinendum sit: quæ discretio fieri non posset, nisi præce- 401
deret cognitio delictorum: non posset autem haberi eorum cognitio, nisi patefierent propriâ confessione & accusatione: quapropter cùm peccata non remittantur in hâc 402
vitâ, nisi per infusionem Gratiæ, consequens est, quòd huius potestatis actus sit signum sensibile practicum Gratiæ sanctificantis; & sic adsunt omnia requisita ad conceptum

Potest hoc Sacramentum definiri metaphysicè hoc modo. *Est Sacramentum reconciliationis cum DEO post lapsum personalem per modum Judicij.* Physicè verò sic. *Est Sacramentum deletivum peccatorum post Baptismum commissorum constans contritione &*
403 *confessione pœnitentis de peccatis verè commissis, atque absolutione legitimi Sacerdotis, cum satisfactione injunctâ.*

Verba absolutionis sunt pars essentialis huius Sacramenti, utpote forma illius, & sententiam absolutoriam continens, & ultimò determinativa actuum pœnitentis ad esse
404 Sacramenti.

Dolor & Confessio sunt materia huius Sacramenti, & partes essentiales; vocantur enim partes à Concilijs: atqui non sunt partes merè integrales, cùm non supponant essentiam huius Sacramenti: ergo sunt partes essentiales, hoc est, tales, sine quibus non
405 habetur ratio Sacramenti. Et licet dolor in se non sit sensibilis, fit tamen sensibilis per confessionem. Satisfactio est pars integralis, ut constabit ex infrà dicendis.

Controversia est, an peccatum in esse præteriti, seu, an hoc, quod est peccatum præfuisse, sit pars constitutiva huius Sacramenti.

CAPVT

CAPVT II.

DE FORMA SACRAMENTI POENITENTIÆ.

FORMA huius Sacramenti est hæc. *Ego te absolvo à peccatis tuis in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs sancti.* Ex quibus sola illa: *Absolvo te.* sunt essentialia, utpote continentia plenam & sufficientem significationem effectûs sacramentalis; nam licet secundùm se sint indifferentia ad significandam absolutionem vel à peccatis, vel à censuris, determinatur tamen eorum sensus æquivocus ex intentione Ministri, prout etiam in alijs Sacramentis fieri fatendum est. Huic formæ præmittuntur preces in Rituali præscriptæ, & aliæ etiam postponuntur, quæ ibi videndæ sunt. 406 407 408

Controversia est, quomodo forma verificetur tunc, quando quis absolvitur à peccatis jam priùs remissis, cùm nõ videatur verè dici posse absolvi ille, qui immediatè priùs jam est solutus & non ligatus.

CAPVT

CAPVT III.

DE DOLORE AC PROPOSITO AD HOC SACRAMENTVM REQVISITO.

409 DOLOREM ex metu gehennæ conceptum cũ Sacramento sufficere ad justificationem, etsi antehac non pauci negârint, nunc autem ob Authoritatem Concilij Tridentini nemo amplius facilè dubitaverit: nam sess. 14. c. 4. distinguens Attritionem à Contritione ait, quòd quamuis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere nequeat, 410 tamen in Sacramento Pœnitentiæ ad Gratiam impetrandam disponat. Ratio etiam idipsum suadet, alioquin enim Sacramentum hoc nunquam justificaret, sed semper justificatum præsupponeret, & sic non mereretur dici Sacramentum mortuorum, & reconciliativum.

411 Definit etiam eodem loco Tridentinum, hanc Attritionem esse impulsum Spiritûs sancti, & donum DEI, adeóque contra hæreticos declarat esse actum honestum & laudabilem. cuius ratio est manifesta: nam DEVS in hunc finem pœnas minatur, eásque infligit, ut alij absterreantur: ergo placet illi,

pœnis

pœnis absterreri. Porrò, qui pœnis absterretur, non propterea ita comparatus animo est, ut statuat peccare, si pœna non esset: potest enim ab hoc præscindere, sicut qui comedit cibum propter voluptatem, non propterea dicit: *Si volupe non esset, non comederem*: sed abstrahit: fortè enim hoc voluptatis motivo cessante in alia motiva inquireret, & amore sanitatis vitæq; conservandæ comederet: sic in casu nostro. 412

Controversia est, an motivum pœnæ & præmij sufficiat in hoc Sacramento, secluso omni motivo Charitatis, vel debeat hoc etiam intervenire saltem ut partiale, id est quod hîc & nunc non movet independenter ab altero, adeóque non sufficit ad justificationem. 413

Non est autem necessarium, ut dolor vel tempore vel naturâ præcedat confessionem; id quod ipsâ praxi satis comprobatur. Ratio autem est, quia etiam quando subsequitur, adhuc fit sensibilis per confessionem, hæc enim significat animum faciendi omnia necessaria, & consequenter mediante hoc animo significat dolorem ponendum: omne enim illud fit per aliquod signum sensibile, cuius existentia probabiliter ex illo signo arguitur. 414

Controversia est, an dolor vel propositum debeat esse ex motivo universali extendente se ad

omnia

omnia mortalia etiam non commissa, vel an sufficiat motivum limitatum; & per consequens possit hoc Sacramentum ex defectu doloris vel propositi esse validum & informe, hoc est, sine effectu & fructu.

415 Ad fructuosam Confessionem peccatorum venialium non est necessarius dolor aut propositum extendens se ad omnia possibilia venialia; sed satis est, si propositum excludat voluntatem peccandi mortaliter, & insuper
416 illa venialia detestetur, quæ quis confitetur; ut manifestè colligitur ex praxi confitendi aliqua venialia cum actuali affectu ad alia, & ex eo, quod unum sine altero possit remitti. Rationem reddunt nonnulli: quia ad impetrandam veniam duo requiruntur &
417 sufficiunt. Primum est, velle efficaciter amicitiam illius, à quo veniam petimus: & hoc est propositum excludens voluntatem peccandi mortaliter: secundum: efficaciter excludere omnia illa, quorum veniam petimus; ad quod sufficit dolor ex motivo speciali.

CAPVT

CAPVT IV.

DE CONFESSIONE, EIVSQVE MATERIA CIRCA QVAM.

MATERIA *circa quam* sunt peccata personalia (nam de originali nemo se potest accusare; & per Baptismum præsupponitur destructum) tam venialia, quàm mortalia, sed cum hoc discrimine, quòd mortalium confessio sit sub præcepto, venialium non item, sed multis alijs medijs deleri possint; ut loquitur Tridentinum. 418

§. I. *De peccatis dubijs.* 419

COntingit autem, ut quis dubitet de peccato mortali commisso, & hoc dupliciter, vel dubio positivo, vel dubio negativo. Si dubitat dubio positivo, ita ut habeat rationem prudenter probabilem, se non peccâsse, non tenetur illud confiteri, non obstante probabilitate contrariâ. Ratio est, quia nimis dutum esset exigere certitudinem de peccato non commisso; & qui se probat innocentem, satisfacit Legi Charitatis erga DEVM. Talis tamen ex charitate erga seipsum teneretur ante mortem saltem procurare indirectam remissionem per Sacramentum Pœnitentiæ 420

illius peccati, quod probabiliter commisit, propter majorem securitatem huius remedij, quàm quæ habetur ex conatu Contritionis. Quodsi est dubium negativum, non pauci nec ignobiles Theologi conati sunt reddere speculativè probabilem opinionem negantem,
421 esse obligationem peccatum ut dubium confitendi: huic tamen opinioni praxis in Ecclesiâ semper observata potentissimè resistit, & incredibile reddit, induci potuisse in Ecclesiam tam falsam, & simul tam firmam persuasionem huius obligationis contra institutionem & voluntatem Christi, ut proinde non
422 immeritò conveniant Theologi, uno fortè Caramuele excepto, in praxi observandam esse sententiam affirmantem. *Congruentia huiusmodi institutionis à quibusdam allata ab alijs acriter impugnatur, ac proinde inter controversias scholasticas est nobis reponenda.*

§. II. *De Circumstantijs.*

423 NOn solùm est obligatio confitendi numerum & substantiam peccatorum mortalium, sed etiam circumstantias speciem peccati mutantes, pro cuius intelligentiâ

Observandum est, in actu peccaminoso reperiri varia prædicata inter se quidem realiter identificata, formaliter tamen distincta, & di-

& diversis virtutibus opposita, atque adeò actum in diversis speciebus peccatorum constituentia perinde acsi essent realiter distincta. Porrò ex huiusmodi prædicatis aliqua vocantur substantialia, seu ad substantiam actûs pertinentia, alia verò quasi accidentalia & ad circumstantias pertinentia: v.g. in parricidio 424
reperitur prædicatum homicidij contra justitiam, & peccatum Impietatis specialis, quæ vocatur *parricidium*: prædicatum *homicidij* constituit substantiam actûs, prædicatum *parricidij* circumstantiam; nam sicut in physicis dicitur substantia respectu accidentium se habere per modum radicis, & ad illa præsupponi, ita prædicatum *homicidij* logicâ 425
prioritate supponitur ad *parricidium*, nam omne parricidium est homicidium, non econtra. Quodsi contingat, reperiri duo prædicata, quorum neutrum ad alterum supponitur ex naturâ rei, v.g. qui animo fornicandi furatur (nec enim furtum præsupponitur à fornicatione, nec econtra) tunc utrumque prædicatum erit substantiale, sed hæc est quæ- 426
stio nominis.

Omnia ergo huiusmodi prædicata inducentia speciem diversam peccati sunt confitenda, ut expresè definitur in Tridentino, ubi etiam ratio insinuatur, alioquin enim non omnia peccata manifestarentur, nam duæ

ſpecies peccatorum quantumvis phyſicè identificatæ, formaliter tamen & theologicè ſunt duplex peccatum, nec ſine omnium ſpecierum diſtinctâ manifeſtatione redderetur ſtatus pœnitentis ſatis dijudicabilis à Confeſſario, ut ſcire poſſet, quænam ſint dimittenda vel
427 retinenda, ſicque inutilis redderetur poteſtas retinendi, & imponendi pœnitentias medicinales.

Prærer circumſtantias ſpeciem mutantes dantur & aliæ, quæ vocantur *aggravantes intra eandem ſpeciem*, & hæ ſunt duplicis generis, aliæ enim ſe tenent ex parte actûs, ut intenſio, duratio, major libertas proveniens
428 ex clariore cognitione malitiæ, vel ex minore tentatione, &c. aliæ ſe tenent ex parte objecti, ut eſt major quantitas rei furto ablatæ. & has circumſtantias objecti agnoſcunt & recipiunt communiter Theologi, uno vel altero recentiore contradicente; & volente, ex incremento objecti potiùs multiplicari numerum peccatorum, præſertim quando multi-
429 plicatio objecti non recipit aliquam vnitatem moralem, qualem aliqui putant recipere plures aureos in ordine ad conſtituendam unam ſummam majorem, non item plurium hominum occiſionem, alij tamen hoc ipſum diſcrimen negant.

Controverſia jam eſt, an circumſtantiæ notabiliter

biliter aggravantes sint necessariò confitendæ. Item, an, quod de circumstantijs tenentibus se ex parte actûs dicitur, etiam de circumstantijs tenentibus se ex parte objecti dicendum sit, vel potiùs negandum sit, has esse circumstantias.

§. III. *De sufficiente Confessionis integritate.* 430

INtegritas Confessionis duplex est, materialis, & formalis. Materialis est, quando revera omnia peccata commissa enarrantur, tam quoad numerum, quàm quoad speciem, tam interna, quàm externa: formalis integritas confessionis est, quando ea omnia dicuntur, ad quæ hîc & nunc dicenda obligor, esto omittam aliqua justâ ex causâ, v.g. quia non occurrunt memoriæ, aliisque mox referendis. Hæc porrò formalis integritas sufficit ad fructum Sacramenti, ut definitur in Trid. c. 5. & can. 7. tametsi maneat obligatio confitendi aliâ vice opportunâ ea, quæ omissa sunt. Ratio verò, cur formalis integritas sufficiat, insinuatur ab eod. Trident. ne scilicet hoc Sacramentum sit potiùs carnificina animorum, quàm solatium, & ne evadat potiùs petra scandali, & offensionis frequentioris, quàm remedium. 431 432

Jmprimis ergo excusat ab integritate materiali confessionis imminens grave & pru-

denter probabile damnum ex manifestatione peccati urgente interim necessitate confitendi. Secundò periculum accelerandæ mortis, si omnium confessio esset protrahenda: tertiò plurium commune periculum, v. g. tempore naufragij, incendij, pestis, &c. Quartò, impotentia confitendi aliquod in specie, tunc e-
433 nim sufficit dicere in genere, se peccâsse.

Controversia est, quid tunc directè remittatur, quandoquidem manet obligatio speciem exprimendi, ubi facultas erit.

Huc spectat casus, quo quis absente Confessario edidit signa pœnitentiæ, vel Confessa-
434 rium petijt, & illo superveniente sensibus est destitutus, tunc enim, ex indubitatâ hodie doctrinâ & praxi præscriptâ in Rituali Romano est absolvendus. non item ille, qui nullum signum pœnitentiæ edidit, (*quidquid nonnulli Recentiores nimis audenter asseruerint, qui in scholis fusiùs sunt reijciendi*) cùm desit essentialis pars huius Sacramenti, nempe con-
435 fessio.

Controversia est, an, quando species peccati non potest explicari, quin Confessario innotescat persona complicis, possit subticeri talis circumstantia peccati propter famam proximi.

CAPVT

CAPVT V.

DE NECESSITATE SACRAMENTI POENITENTIÆ

HOc Sacramentum est lapsis post Baptismum necessarium, sicut nondum regeneratis ipse Baptismus, 436
inquit Tridentinum sess. 14. c. 2. in fine. unde consequens est, Contritionem esse huius Sacramenti votum, sicut est Baptismi, adeóque hoc Sacramentum esse sub præcepto, alioquin Contritio non esset eius votum, quæ omnia patent ex alibi dictis.

Hoc verò divinum præceptum confitendi 437
sua peccata colligitur efficaci discursu ex verbis Christi Joann. 20. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Quicunque enim alium sibi Vicarium substituit conferendo illi potestatem faciendi in aliquo genere, quod priùs ipse sine Vicario faciebat, censetur traducere & transferre ad 438
illum ipsum Vicarium subditorum obligationem, quâ in tali genere tenebantur priùs ipsi Principi cooperari, ut posset eiusmodi potestatem exercere: atqui priusquam Sacramentum Pœnitentiæ institueretur, erat in peccatoribus obligatio accusandi se coram DEO,

& sic impetrandi veniam, & Christus in hoc puncto constituit suos Vicarios: ergo hæc obligatio est traducta per institutionem huius Sacramenti ad vicarios Christi. Minor probatur ex propositione copulativâ Christi, quâ conferebat non solùm potestatem *remitendi*
439 peccata, sed etiam *retinendi*, ita ut quæ ipsi retinerent in terrâ, essent quoque retenta in cœlo: cùm ergo homo obligetur facere, ut sua peccata non retineantur in cœlo, hoc ipso obligatur petere à Vicarijs Christi remissionem. Ulteriùs, verba Christi *Quorum retinueritis* significant potestatem retinendi & non
440 absolvendi, si ita videbitur etiam in casu, quo peccator petit absolutionem: ad hanc autem potestatem est necessaria cognitio culparum, de quibus deliberandum est, an expediat absolvi, vel suspendi absolutionem: ergo trahit secum in subditis obligationem declarandi delicta.

441 Denique potestas retinendi delicta etiam tunc exercetur, quando Judex vult quidem dimittere delicta, sed non nisi cum onere & præcepto alicuius satisfactionis præstandæ; ut autem hanc possit taxare, debet cognoscere gravitatem delictorum: ergo à primo ad ultimum rectè dixit Tridentinum, quòd obligationem confitendi omnes species & numerum peccatorum semper collegerit Ecclesia

ex

ex Institutione huius Sacramenti. Et hæc de præcepto divino. Ecclesiasticum præceptum confitendi semel in anno exstat in cap *Omnis utriusque sexus de pœnitentijs & remissionibus.*

CAPVT VI.

DE MINISTRO SACRAMENTI POENITENTIÆ, EIUS APPROBATIONE, ET RESERVATIONE PECCATORVM.

442 SOLI Sacerdotes sunt Ministri idonei ad absolutionem sacramentalem impertiendam, ut habet Tridentinum sess. 14. cap. 6. Congruentia cum pro- 443 portione eadem est, imò fortior, quæ pro ministro tum Baptismi, tum Evchariſtiæ superiùs allata est, & ibi videri potest. Porrò Sacerdos accipit in suâ ordinatione potestatem quandam saltem incompletam & omnino requisitam ad absolvendum sacramentaliter, significatam per verba: *Accipe Spiritum sanctum.*

Potestas autem Ordinis sola necdum sufficit ad validam absolutionem, sed insuper 444 requiritur potestas Jurisdictionis, quæ duplex est, ordinaria & delegata. Ordinaria competit personæ ex officio, cui à Jure annexa est, & ratione talis officij dicitur quis Pastor pœnitentis: cuiusmodi sunt Summus Pontifex

& ratio redditur: quia ad rectam populi Christiani disciplinam spectat, non quęvis à quovis Sacerdote posse absolvi, cùm humanitus sperari non possit, ut omnes, in eo numero, quo sunt Pastores necessarij, habeāt eam peritiam, quæ requiritur ad cuiusvis peccatoris directionem, & præterea difficultas in adeundo Superiore est frenum opportunissimū, quo sublato plurimi sine verecundiâ se gravioribus 448
sceleribus implicarent.

Ne autem Superiores hâc reservandi potestate abuterentur, præscripsit terminos Clemens VIII. in Constitutione quæ refertur inter Constitutiones Vrbani VIII. in ordine 26. ubi Religionum Superioribus adimitur potestas universalis, & restringitur ad cer- 449
tos casus, non quidem quasi deberent esse reservati, sed quòd possint hi & non alij reservari, nisi Generalis Capituli in toto Ordine, aut Provincialis in Provinciâ maturâ discussione & consensu. In eadem Constit. insuper statuuntur sequentia 1. Ne liceat Superioribus Regularium confessiones subditorum 450
audire, nisi quando peccatum reservatum admiserint, aut ipsi subditi proprio motu id ab eis petierint. 2. Ut Superiores in singulis domibus deputent duos, tres, vel quatuor Confessarios pro subditorum numero majore vel minore, qui à non reservatis illos absol-

vant,

vant,& quibus etiam reſervatorum abſolutio committatur, ſi caſus occurrat, in quo eam debere committi. ipſe imprimis Confeſſarius judicaverit. 3. Quodſi Superior inſtante Confeſſario ordinario negaverit facultatem abſolvendi à reſervato, ſi Confeſſarius judicat
451 debere concedi, poſſit pro eâ vice abſolvere.

Pro articulo mortis nulla eſt caſuum aut cenſurarũ reſervatio, ſed poteſt quivis Sacerdos quemlibet pœnitentem à quibuſvis abſolvere, ut declarat Trid. ſeſſ. 14 c. 7. & meritò, ne videlicet huiuſmodi reſervationis occaſione ullius ſalus periclitetur. In hoc tamen
452 caſu obſervanda ſunt ſequẽtia. Primò, ſi caſus reſervatus habet annexam Excõmunicationem, eſt exigendum juramentum (ſi fieri & ſervari poſſit) ſiſtendi ſe Superiori, cui eſt reſervata cenſura, ſub pœnâ reincidentiæ in eandem cenſuram: *c: eos, qui de ſent. excom. in 6.* Secundò, exigenda cautio meliore modo, quo poteſt, de ſatisfaciendo parti læſæ. Tertiò,
453 exigendum juramentum ſtandi mandatis Eccleſiæ, vel Confeſſarij, ſi crimen eſt enorme.

Ad audiendas confeſſiones ſæcularium, ut alicui poſſit delegari juriſdictio, requiritur approbatio Epiſcopi Trid. ſeſſ. 23. c: 15. de Reform. & meritò; nec enim aliter vitari poterat periculum plurimos exponendi minùs

ad

ad hoc munus idoneos. Quapropter non possunt amplius parochi committere suas oves Sacerdotibus simplicibus non approbatis, sicut poterant ante Tridentinum.

Potest tamen committere Parochus suas oves non solùm alteri Parocho eiusdem Diœcesis, sed etiam diversæ, nisi Concilia provincialia aliud statuissent. Ratio est, quia Tridentinum circa Parochos nullum jus novum condidit, sed reliquit in statu priore. 454

Controversia est, cuiusnam Episcopi approbatio requiratur, an loci, ubi fit confessio, an pœnitentis, an Confessarij.

Et in praxi omnino videtur observanda sententia requirens approbationem Ordinarij Confessarij. Nam licet in Tridentino non exprimatur ullo vocabulo, quòd requiratur *Ordinarius* (in quo se perperam quidam recens author fundat) semper tamen in Bullis dantibus pro Jubilæo facultatem, eligendi Confessarium, limitatur ad approbatum ab Ordinario; & universim quando Episcopis aliqua potestas tribuitur, vel eorum requiritur authoritas, intelligitur de Ordinario. Accedunt duæ declarationes Cardinalium, quæ etsi non ita munitæ sint, ut vim Legis habeant, habent tamen adjunctam authoritatem Pontificis, cuius jussu emanârunt, videríque possunt apud AA. 455 456

Pro-

Probabilissimum est, semel ab Ordinario approbatum, & ad aliam Diœcesin transeuntem posse ibi sine novâ approbatione positivâ eligi ad audiendas confessiones, quamdiu Ordinarius illius Diœcesis non resistit. Ratio est, quia nec Concilium, nec Declarationes
457 Cardinalium exigunt novam positivam approbationem à novo Ordinario, confirmarique potest ex decisione Pij V. Sicut enim in hac re se habent duo Episcopi in eodem Episcopatu sibi succedentes, ita se videntur habere duo existentes in diversis Episcopatibus respectu alicuius Sacerdotis, qui illis succes-
458 sivè subijcitur: ergo sicut Successor prioris in eodem Episcopatu non debet necessariò de novo approbare positivè, sed non revocando censetur satis approbare, ita nec in posteriore casu.

CAPVT VII.

DE SIGILLO CONFESSIONIS.

459 EXSTARE Sigillum confessionis, non revelandi scilicet audita in confessione habetur in cap. *Sacerdos de pœnit. dist. 6. & c: omnis utriusque sexûs de pœnit. & remissionibus.*

Est autem hoc sigillum rigidissimum, nec in ullo casu humanâ authoritate dispensabile,

bile, ceſſátque ſolo pœnitentis conſenſu, ſéque non ad ſolum Confeſſarium, ſed etiam ad illos, qui confitentem audiunt, vel à Confeſſario ex conſenſu pœnitentis conſuluntur, vel agunt interpretem, extendit, éſtque proinde multò univerſalius, quàm ſecretum naturále, ídque probat perpetuus Fidelium ſenſus. A quo rigore non eximit ullum imminens Reipublicæ detrimentum. Ratio eſt, quia Reſpublica non habuit jus ad confeſſionis inſtitutionem: jam verò ſi confeſſio non fuiſſet inſtituta, Respublica incurreret illud damnũ, quod incurrit ex obſervatione Sigilli, quia delictum maneret incognitum alteri: quid ergo conqueri de Sigillo poteſt? Vlteriùs ipſius Reipublicæ intererat inſtitui hoc ſigillum, ut cum eâ, quâ par eſt, confidentiâ, accederent peccatores, & remedium offendationis invenirent. Non ergo locum hîc habet illa regula, quòd bonum publicum ſit præferendum privato: cùm potiùs bonum publicum cum bono publico concurrat, & bonum Sigilli vincat. 460 461 462

Controverſia prima eſt. An ſuppoſitâ inſtitutione huius Sacramenti reſultet obligatio Sigilli cum toto ſuo rigore ex ipſo jure naturæ, vel ex jure poſitivo divino, vel ex utroque.

Controverſia ſecunda. An Confeſſarius poſſit uti notitiâ hauſtâ ex confeſſione ad quæſdam actiones

actiones vel omissiones ex se alioquin licitas, & quæ possent fieri hîc & nunc absque notitiâ confessionis.

CAPVT VIII.

DE SATISFACTIONE SACRAMENTALI.

463 SATISFACTIO prout hîc sumitur, est compensatio pœnæ temporalis debitæ propter peccata, consistens in operibus pœnalibus taxatis à Confessario.

Potest pro pœnitentiâ imponi opus merè
464 internum, ut meditatio de Passione Domini: fit enim sensibilis per ipsam impositionem Confessarij. Debet tamen opus satisfactorium esse pœnale: cùm sit vindicatio delicti commissi, & ordinetur ad correctionem tum ipsius satisfacientis, tum aliorum, ut absterreantur; ac denique succedat in locum pœnæ à DEO
465 infligendæ.

Casu, quo pœnitentia persolvitur in statu peccati, tunc quidem nihil operatur, reviviscit tamen postmodum, remoto obice. Est enim pars Sacramenti fructuosi, & caussat suum effectum ex opere operato.

Controversia est prima. An Pœnitentia possit imponi per modum consilij, sine obligatione: item an si præcipiatur, possit pœnitens eam nolle acceptare. Contro-

Controversia secunda. Quis possit pœnitentiam injunctam commutare in aliam.

Controversia tertia. An satisfactio Sacramentalis non solùm deleat pœnam residuam ex opere operato, sed etiam conferat augmentum gratiæ.

CAPVT IX.

DE SVFFRAGIIS ET INDULGENTIIS.

466

POSSE unũ pro alio satisfacere sensus est omnium Fidelium, fundatus in Symbolo Apostolorum; ubi *Sanctorum communionem* profitemur. Ut autem unius satisfactio & suffragium alteri prosit, 467
hæ conditiones requiruntur. Prima, ut alter actu indigeat: nam pro pœnâ culpæ necdum commissæ, sed committendæ non potest antecedenter condignè satisfieri, ne detur ansa liberiùs peccandi, quod est contra naturam pœnæ, quæ infligitur, ut reus retractet, & agnoscat culpam. Secunda conditio est, ut sit in statu gratiæ; nam peccatori debetur 468
pœna æterna, & non est dignus, cui ulla pœnæ pars remittatur. Tertia, ut culpa jam sit remissa, cuius reatus pœnæ per satisfactionem delendus est. Acceptatio enim satisfactionis est quædam indulgentia, favor & gratia: congruum autem est, ut DEVS priùs

placetur, quoad culpam, quàm gratiosè acceptet satisfactionem pro pœnâ. Quarta, satisfaciens debet habere intentionem applicandi pro alio; & quidem hæc intentio debet præcedere ipsum opus, alioquin illa satisfactio vel applicatur ipsi operanti, vel re-
469 ponitur in thesauro Ecclesiæ.

Indulgentia definitur. Pœnæ temporalis pro peccatis actualibus remissis debita relaxatio de thesauro communi Ecclesiæ ab eo, qui potestatem habet. Est duplex: totalis seu plenaria, quando omnis pœna remittitur, & partialis: quæ iterum subdividitur in indeterminatam, & determinatam. Indeterminata dicitur, quando, v.g. remittitur quarta,
470 vel tertia pars pœnæ residuæ, quæcunque illa sit: determinata est, v.g. una quadragena, vel septena.

Dividitur indulgentia rursus in Personalem, Localem, & Realem. Personalis est, quæ personæ conceditur, & eam comitatur. Localis loco annexa est: Realis, imagini, nu-
471 mismati, rosario, &c.

Ad lucrandas Indulgentias requiritur primò, ut homo baptizatus sit, alioquin non est subditus Pontificis. Secundò, ut sit in statu gratiæ, non quidem toto tempore, quo fiunt opera requisita, sed saltem in fine, quando effectus applicandus est. Tertiò, opera

injuncta

injuncta completè perficienda sunt; conceditur enim indivisibiliter pro toto opere, & in hoc differt à satisfactione sacramentali.

Titvlvs VII.

DE EXTREMÆ VNCTIONIS SACRAMENTO. 472

Caput I.

EXISTENTIA HVIVS SACRAMENTI.

EXTARE hoc Sacramentum in Ecclesiâ efficaciter satis ultrà perpetuam Traditionem, colligitur ex Epistolâ canonicâ sancti Jacobi c:5. *Infirmatur quis ex vobis? inducat Presbyteros, & orent super eum, ungentes eum Oleo in nomine Domini, & oratio Fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei.* Ecce! unctioni cum formâ deprecatoriâ tribuitur vis remittendi peccata, adeóque ex opere operato, quod est proprium Sacramentorum. 473 474

Convenientia autem huius Sacramenti imprimis ostendi potest ex ijs, quæ dicta sunt de Sacramento Confirmationis; servatâ enim debitâ proportione, sicut se habet Confirmatio ad Baptismum, tanquam huius perfectiva

fectiva, ita se habet extrema Unctio ad Sacramentum Pœnitentiæ tanquam perfectiva illius, tollendo reliquias peccati. Præterea, quemadmodum Christus auxilia maxima in Sacramentis alijs præparavit, quibus Christiani conservare se integros, dum viverent,
475 ab omni graviore Spiritûs incommodo possint, ita extremæ Unctionis Sacramento finem vitæ, tanquam firmissimo quodam præsidio munivit, quo tempore dæmon maximè insidiatur: quæ est ratio Tridentini.

Quo tempore hoc Sacramentum institutum sit, admodum incertum est. illud ferè
476 certum, esse institutum post Sacramentum Pœnitentiæ, utpote huius perfectivum, ut dictum est. Unde & à nonnullis definitur, *Sacramentum finaliter perfectivum remissionis peccatorum*.

CAPVT II.

477 DE MATERIA ET FORMA HUIUS SACRAMENTI.

MATERIA remota est Oleum olivarum ab Episcopo benedictum, de cuius congruentiâ cum proportione philosophandum est, sicut de materiâ Confirmationis. Materia proxima est Unctio, & quidem ex consuetudine Ecclesiæ in formam

nam crucis, neque tamen hoc est de essentiâ, imò nec sub gravi obligatione. Ex Florentino colligitur, Unctionem fieri posse in septem corporis partibus, videlicet oculis, auribus, naribus, ore, manibus, pedibus, renibus. Sed in renibus saltem fœminæ non unguntur, ob decentiam, nec ubique fit unctio in pedibus. Hinc 478

Controvertitur, an Unctio quinque sensuum sit de Essentiâ & necessitate Sacramenti ita ut Unctio v.g. oculorum sine reliquis nihil operetur, ne quidem accedente formâ significante, & exprimente omnes quinque sensus in genere. 479

Forma huius Sacramenti est deprecatoria, hæc. *Per istam sanctam unctionem, & suam pissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquisti per visum;* & sic de cæteris: ultimâ voce mutatâ. Porrò, quia hæc forma non habet sensum indicativum, sed deprecatorium, hinc aliqui moderni deducunt specialem rationem, quare hoc Sacramentum possit esse validum & informe, ex defectu dispositionis, nempe quia non falsificatur forma, etiamsi nullum effectum de præsenti conferat, sicut falsificaretur forma Sacramenti Pœnitentiæ, quæ est affirmativa. 480

CAPVT III.

DE MINISTRO, ET SVBIECTO CAPACI HUIUS SACRAMENTI.

481 SOLVM Sacerdotem posse validè administrare hoc Sacramentum, definit Florent. & Trident. Congruentia est; quia hoc Sacramentum est perfectius Sacramento Pœnitentiæ, utpote huius consummativum, & succurrens homini in majore necessitate: ergo Minister illius non debet esse inferioris Ordinis.

482 Quia verò hoc Sacramentum est imperfectius Confirmatione & Ordine, ideo non requirit Episcopalem dignitatem. Deficiente Parocho potest quivis alius Sacerdos licitè conferre. Probabilius etiam est, posse plures simul conferre, per diversarum partium unctiones & formas correspondentes, si periculum est, non posse ab uno absolvi.

483 Subjectum Extremæ Unctionis est homo baptizatus, qui aliquando doli capax fuit, cōstitutus in eâ corporali infirmitate, ut probabilius sit moriturum esse, quàm diu supervicturum. In eo requiritur per se loquendo status gratiæ, & voluntas saltem implicita hoc Sacramentum recipiendi. Quare si haberet peccatum mortale, nec posset illud confiteri,

confiteri, deberet saltem conari procurare statum gratiæ per contritionem: Est enim Sacramentum vivorum.

Quodsi solùm esset attritus, & in bonâ Fide, tunc valde communis est sententia, ineſſe huic Sacramento vim faciendi ex attrito contritum, hoc est, per accidens remittere peccata mortalia, & justificare: id, quod satis efficaciter colligitur ex verbis S Jacobi: *Et si in peccatis sit, remittentur ei.* Nam vox *peccatum* communiter pro mortali sumitur; & conditionales adhibentur, pro casu raro: non esset autem casus rarus, si tantùm remitteret venialia, & reliquias. 484

CAPVT IV. 485

DE EFFECTV ET NECESSITATE HUIUS SACRAMENTI.

PRIMVS effectus est Gratia sanctificans fundans auxilia, quibus ægroti animus alleviatur, confirmatur, & roboratur tum ad fiduciam de divinâ misericordiâ concipiendam, tum ad morbi incommoda & molestias leviùs ferendas, tum ad resistendum tentationibus dæmonis calcaneo insidiantis. Et hic quidem effectus obtineretur etiam ab illo, qui nullum unquam peccatum feciſſet: nam ex communi senten- 486

tiâ non est de essentiâ huius Sacramenti, peccatum præcessisse; ac proinde non prærequiritur essentialiter alia dispositio ad recipiendum augmentum gratiæ, quàm status gratiæ, & voluntas saltem habitualis recipiendi hoc Sacramentum.

487 Porrò auxilia illa actualia non obtinentur, nisi durante illo morbo; alioquin si pro totâ vitâ, & pro quocunque morbo subsequente obtinerentur, non esset ratio, quare in solo morbo conferretur, & novo morbo superveniente iteraretur.

488 Secundus effectus est remissio peccatorum, pœnæque temporalis in eâ mensurâ, quam Christus in suâ institutione taxavit. Tertius effectus est sanitas corporis, si saluti animæ expedierit.

Ex naturâ rei, & per se loquendo non est
489 gravis obligatio procurandi hoc Sacramentum. nam ad superabundantia auxilia, pro vitandis peccatis gravibus non obligamur per se loquendo.

Per accidens tamen potest esse gravis obligatio, vel ob incertitudinem justificationis acquisitæ, & deficiente occasione confitendi; vel ob scandalum aliorum.

TITV-

TITVLVS VIII.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

CAPVT I.

DE EXISTENTIA, ET NVMERO ORDINVM.

ORDO potest & solet accipi aliquando quasi passivè, hoc est, pro gradu ipso, v. g. Diaconatûs, Præsbyteratûs, &c. & hoc modo est effectus Sacramenti, & non Sacramentum, ut ex dicendis constabit: aliquando accipitur activè pro ipsâ actione, quâ confertur potestas, & hæc est Sacramentum, de quo agetur in præsenti. 491

Huius Sacramenti existentia colligitur ex Epist. 1. ad Timoth. 4. *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum præsbyterij.* Per vocem *Prophetiam*, ex probabili interpretatione denotatur forma verborum adhiberi solita in impositione manuum, & ordinatione Præsbyterorum, consuetâ nimirum sacræ Scripturæ phrasi vocantis *Prophetiam* omnem divinum sermonem. Quòd autem illa manuum impositio esset caussa gratiæ clarè confirmatur ex eodem Paulo 2. ad Ti- 492

moth. 1. *Admoneo te, ut resuscites gratiam DEI, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* Habemus ergo, saltem in collatione Præsbyteratûs intervenire signum sensibile caussativum gratiæ, adeóque totam essentiam Sacramenti.

493 Septem sunt Ordines seu gradus Ecclesiastici. Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, Acolytatus, Subdiaconatus, Diaconatus, Præsbyteratus, cuius complementum est Episcopatus. Tridentin. sess. 23. cap. 2. Hos Ordines à Concilijs & Patribus agnitos esse, videre licet passim apud Authores.

Congruentia huius numeri desumenda est
494 à fine, ad quem omnes hi Ordines instituti sunt, atq; deserviunt. Ostiarij enim officium est excludere Infideles, ne sint divinorum Mysteriorum spectatores, & irrisores, item excommunicatos, utpote à Fidelium communione præcisos. Lectoris est, instruere illos, qui de viâ salutis ineundâ, & Lege Christianâ amplectendâ cogitant. Exorcistæ est
495 Energumenos à dæmonis tyrannide liberare, ut cum majore fructu & decentiâ possint divinis Mysterijs interesse. Acolyti (qui etiam Ceroferarius dicitur) munus est præsentare materiam remotam calicis Subdiacono; item accendere ac deferre lumina in candelabris ad divina officia. Subdiaconi est, Calicem &

Patenam

Patenam præparare, & ad Altare deferre, eáque Diacono offerre, qui ea præbeat celebranti: item assistere Diacono ad infundendum vinum & aquam in calicem, cantare Epistolam in Missâ, &c. Diaconi est, proximè assistere & ministrare Sacerdoti Sacrificanti, legere Evangelium in Missâ solenni, & quandoque ministrare & dispensare Corpus & 496
Sanguinem Domini. Denique Præsbyteri est consecrare Evchariſtiam, qui est omnium Ordinum finis.

Præsbyteratus, Diaconatus, & Subdiaconatus dicuntur Ordines Sacri, seu Majores. ob eam rationem, quòd habeant annexum votum Continentiæ, per quod ita consecrantur Deo ordinati, ut non possint amplius suâ 497
sponte redire ad statum sæcularem, sicut possunt constituti in cæteris quatuor Ordinibus, qui proinde *Minores* Ordines vocantur.

Prima tonsura non est Ordo strictè loquendo, neq enim per illam confertur potestas specialis ad functionem certam, & specialem in cultu Dei & ordinatam ad peragendum 498
Altaris Sacrificium, sed solùm per illam constituitur Minister Ecclesiæ idoneus ad recitandas preces nomine Ecclesiæ (quod est omnibus Ecclesiæ Ministris commune) & est quasi aditus & dispositio, initiatio, & præparatio ad Ordines recipiendos, efficiens

Cleri-

Clericum & secernens à Laico, sicque tribuens privilegium immunitatis Ecclesiasticæ, & capacitatem beneficiorum.

Episcopatus non est Ordo distinctus à Præsbyteratu, sicut cæteri Ordines inter se ita distinguuntur, ut dicantur esse septem
499 Ordines. Ratio est, quia licet cæteri Ordines habeant inter se aliquam subordinationem vi cuius tanquam partes heterogeneæ constituunt unam speciem infimam Sacramenti, & per se loquendo non liceat recipere superiorem, non accepto priùs inferiore; hæc tamen Graduatio non est Ordinibus ita essentialis, ut collatio superioris non valeat
500 sine inferiore præsuppositio, *cap. unico de Clerico per saltum promoto;* & teste S. Thomâ in 4. dist. 24. q. 1. a. 2. q. 5. in primitivâ Ecclesiâ ordinabantur præsbyteri non acceptis priùs Ordinibus inferioribus, qui tamen omnia poterant, ac si inferiores priùs accepissent, quia inferior potestas comprehenditur in superiore. At verò Ordo Episcopatûs essen-
501 tialiter præsupponit præsbyteratum priùs collatum, & sic est modificativus huius, cui accedit sicut virilitas juventuti; ac proinde non est eadem caussa distinguendi Ordinem Episcopalem à Præsbyteratu, sed potiùs est fundamentum dicendi, quòd unum Ordinem constituant: sicut collatio potestatis absolvendi

solvendi non est Ordo distinctus à collatione potestatis consecrandi, cuius ille est modificativus, sed ambæ constituunt unum Ordinem Præsbyteratûs.

Non solùm Præsbyteratum (de quo jam dictum) sed etiam Diaconatum esse Sacramentum est unanimis sententia contra Cajetanum & Durandum: confertur enim etiam per manûs impositionem, & per verba: *Accipe Spiritum sanctum.* quæ significant collationem Gratiæ. 502

Controversia est de cæteris Ordinibus, an sint Sacramentum. Quamvis longè communior affirmet, præsertim verò post Tridentinum vocans Ordinem Sacramentum, nullo facto discrimine inter septem Ordines priùs enumeratos. Imò vix apparet, quî conciliari possit sententia negativa cum verbis Florentini. *Sextum*, inquit, *Sacramentum est Ordinis, cuius materia est illud, per cuius traditionem confertur Ordo, sicut Præsbyteratus traditur per calicis cum vino & patenæ cum pane porrectionem, Diaconatus verò per libri Evangeliorum dationem: Subdiaconatus per calicis vacui cum patenâ vacuâ suppositâ traditionem, & similiter* NB. *de aliis per rerum ad Ministeria sua pertinentium assignationem.* 503 504

Ex dictis conficitur hæc vel similis definitio

nitio huius Sacramenti. scilicet: *Est Sacramentum, quo specialis potestas traditur ordinata ad peragendum Altaris Mysterium.*

CAPVT II.

505 DE SINGVLORVM ORDINVM MATERIA ET FORMA.

OSTIARIVS, qui etiam Ædituus sive Ianitor vocatur: ordinatur per traditionem clavium templi. Forma est hæc. *Sic age, quasi redditurus DEO rationem pro his rebus, quæ his clavibus recluduntur.* & hæc sunt essentialia huius Ordinis, 506 non item cæremoniæ subsequentes, ut deductio ad fores templi aperiendas & claudendas, & ad pulsandam campanulam.

Lector ordinatur per traditionem libri Sacrarum lectionum: Forma est hæc. *Accipe, & esto Verbi DEI relator. &c.*

Exorcista ordinatur traditione libri Exorcismorum ad pellendos dæmones; Forma est 507 hæc. *Accipe & commenda memoriæ, & habe potestatem imponendi manus super energumenos.*

Acolytus ordinatur per duplicem quasi partem; primò per traditionem candelabri cum cereo extincto, sub hac formâ. *Accipe Ceroferarium cum cereo &c:* deinde per traditionem vrceoli sub hac formâ: *Accipe vrceolum*

lum ad suggerendum vinum & aquam in Eucharistiam sanguinis Domini.

Subdiaconus ordinatur traditione Calicis vacui & patenæ vacuæ, ut tradit Concil: Carthaginense quartum cap. 5. & Florent. sess. ult. in Decreto Eugenij. Forma, ex communiore sententiâ est: *Vide, cuius ministerium tibi traditur. Controversum est, an etiam traditio libri epistolarum per se & intrinsecè spectet ad integritatem huius ordinationis.* Diaconi Ordinatio duobus conficitur. primò impositione manûs sub hac formâ. *Accipe spiritum sanctũ ad robur & ad resistendum Diabolo & tentationibus eius.* Secundò traditione libri Evangeliorum sub hac formâ, *Accipe potestatem legendi Evangelium &c. Controversia est, an in alterutrâ solâ, an in ambabus simul consistat essentialiter hac ordinatio.* 508 509

Sacerdotis ordinationẽ præcedit vnctio manuum, quæ est ceremonia Ecclesiastica ad essentiam non pertinens. Triplex deinde actio intervenit: prima est impositio manuum Episcopi cum alijs sacerdotibus, sed sine verborum formâ: secunda est traditio panis & vini in patenâ & calice, cum hac formâ. *Accipe potestatem offerendi sacrificium in Ecclesiâ pro viuis & defunctis.* tertia est impositio manuum solius Episcopi cum hac formâ, *Accipe spiritum S. quorum remiseris peccata remittuntur* 510

tuntur eis. An autem omnes tres actiones sint de essentia, vel tantùm prima, vel posteriores duæ tantùm, est controversum.

Jn Episcopi Ordinatione plures actiones interveniunt. Vngitur illi caput sacro Chrismate, traditur liber Evangeliorum, & priùs quidem imponitur scapulis, deinde præbetur 511 manibus: traditur baculus pastoralis; immittitur annulus digito; Imponitur capiti mitra, ac denique imponuntur illius capiti manus à tribus Episcopis, sub hac formâ. *Accipe spiritum sanctum.* & in hoc vltimo consistit 512 adæquatè essentia huius Ordinationis, vt habet communior opinio.

Quæ hucusque dicta sunt, in Ecclesiâ latinâ observantur; aliter in Ecclesiâ Græcâ, in quâ sola manuum impositio adhibetur in ordinatione Diaconi, & Præsbyteri. Neque hinc sequitur, ab Ecclesiâ esse mutatam materiam à Christo designatam; placuit enim 513 Christo, materiam huius sacramenti determinare sub conceptu generico cuiuscunq; actionis aptæ ad significandam traditionem potestatis, & relinquere Ecclesiæ vltimam electionem determinatæ actionis. Elegit autem & superaddidit manuum impositioni Ecclesia latina pro magis explicitâ significatione traditionem instrumentorum.

CAPVT

CAPVT III.

DE MINISTRO ORDINIS

MINISTRVM Ordinarium huius Sacramenti esse Episcopum consecratum statuitur in Florentino & Tridentino. Ternarius numerus Episcoporum in Ordinatione Episcopi est à Pontifice dispensabilis, & defacto dispensatus. 514

Ex commissione Summi Pontificis potest simplex Sacerdos conferre Ordines minores, ut probant privilegia Abbatibus quibusdam concessa. De Subdiaconatu & Diaconatu idipsum nō ignobiles Theologi tenent ob privilegium Cistercienſibus concessum, quod tamen alij in dubium revocant. 515

De præsbyteratu negat etiam communis sententia. Ratio congruentiæ, cur solus Episcopus sit Minister ordinarius, est, quia Episcopus est quasi Princeps in Ecclesiâ, ad quem pertinet providere subditis inferiores ministros. Quare non possit simplex Sacerdos ex commissione conferre Ordinem præsbyteratûs, sicut potest inferiores, congruentia esse potuit sic instituendi, quia consecratio Evchariſtiæ est actio, quæ non potest fieri ex commissione ab ullo non habente ordinem Præsbyteratûs, sicut possunt fieri actio- 516

nes inferiorum Ordinum; neque Sacerdos consecrando agit ut Minister alterius Ministri, sed ut Minister Christi; & est ille, ad cuius ministerium ordinantur inferiores; congruum ergo erat, non posse potestatem consecrandi conferri ex commissione, quamvis congruum fuerit, posse Præsbytero committi à Summo Pontifice collationem inferiorum Ordinum. 517

CAPVT IV.

DE SVBIECTO CAPACI, ET EFFECTV ORDINIS.

518 FOEMINA non est capax Ordinis, ne quidem primæ tonsuræ, cùm hæc sit deputatio ad Ordines suscipiendos. Huius incapacitatis, quam Ecclesia semper agnovit contra hæresin Peputianorum, variæ congruentiæ solent afferri. Primò enim per ordinationem confertur offi- 519 cium quoddam publicum, & præeminentia quædam super alios, fœminæ autem ex Lege naturæ subijciuntur viris Genes. 3. Secundò Ordinatus debet esse idoneus, qui doceat populum in Ecclesiâ; hoc autem munus fœminas non decet 1. ad Timoth. 2. *Mulier in silentio discat cum omni subjectione: docere autem mulieri non permitto*: Tertiò, fœmina

non

non est idonea ad repræsentandum Christum, ut Sponsum Ecclesiæ: ergo nec debebat esse capax Episcopatûs: ergo nec reliquorum Ordinum, quibus homo disponitur ad Episcopatum.

Infantes esse capaces, ut validè ordinentur, jam suprà dictum est, ubi & congruentia reddita. Ex Lege tamen Ecclesiasticâ pro Ordinum diversitate diversa ætas requiritur, ut licitè recipiantur. Ad primam tonsuram (quæ juxta Tridentin: non nisi Confirmato conferenda est) non admittitur quis ante annos discretionis, qui communiter adsunt expleto septennio. Pro minoribus Ordinibus nulla certa ætas præscribitur. Pro Subdiaconatu requiritur vigesimus secundus annus, pro Diaconatu vigesimus tertius, pro Presbyteratu vigesimus quintus, scilicet inchoati, pro Episcopatu trigesimus completus, nisi dispensetur. Quodsi non observatis temporibus Ordo confertur, valet Ordinatio; cùm sit actus Ordinis, & non Jurisdictionis, adeóque nullâ lege, potest eius valor impediri, vel irritari. De cæteris prærequisitis, moribus, doctrinâ, beneficio, videantur Casistæ. 520 521 522

Effectus Ordinis sacramentalis est Gratia fundans auxilia opportuna ad functiones rectè obeundas, & Character, ut jam suprà dictum est.

Aliqua tamen ſpecialia circa Characterem hunc ex communiore Theologorum doctrinâ placet annotare. Primum eſt, Characterem Sacerdotalem totalem conſtitui duplici charactere partiali propter duplicem
523 poteſtatem, quam accipit, conſecrandi videlicet, & abſolvendi. Secundum: Ordinatione Epiſcopali etiam conferri characterem dependentem à charactere Præsbyterij: confertur enim peculiaris poteſtas ſpiritualis perpetua ordinandi Miniſtros Ec-
524 cleſiæ, confirmandi, &c: Tertium, Characterem partialem Præsbyterij collatum cum poteſtate abſolvendi dependere à charactere collato cum poteſtate conſecrandi, nec poſſe poſteriorem conferri non habenti priorem. Congruentia eſſe poteſt, quia ſicut Cor-
525 pus Chriſti verum præſupponitur ad Corpus Chriſti myſticum, ita congruum erat, ut poteſtas conficiendi Corpus Chriſti verum præſupponeretur à poteſtate diſponendi & præparandi proximè membra Corporis myſtici ad veri Corporis Chriſti communionem.

CAPVT

Caput V.

DE ORDINVM IMPEDIMENTO, HOC EST IRREGVLARITATE.

IRREGVLARITAS est Impedimentum 526
canonicum primò, & per se impediens Ordinis susceptionem, secundariò usum illius jam susceptí.

Dividitur primò in eam, quæ provenit ex defectu, & eam, quæ provenit ex delicto. Dividitur secundò in perpetuam, & temporalem, qualis est ex defectu ætatis.

Primus Irregularitatis effectus est, reddere 527
illicitam susceptionem primæ tonsuræ, & cuiusvis Ordinis. quodsi superveniat Ordini susceptο, reddit illicitum usum illius. Secundus effectus est privare licitâ beneficiorum consecutione, si sit Irregularitas absoluta.

In Tridentino sess. 24. c. 6. de Reform. 528
conceditur Episcopis potestas suos subditos absolvendi ab omnibus Irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, neque ad forum contentiosum deductis, exceptâ eâ, quæ oritur ex homicidio voluntario. Deinde ex privilegio à Pio V. concesso motu proprio possunt Prælati Regulares etiam locales Re-

ligionum exemptarum hoc ipsum erga suos Religiosos, quod Episcopi in suâ Diœcesi. Nomine Episcopi non venit Vicarius, venit tamen Capitulum sede vacante, item Abbates habentes Jurisdictionem quasi Episcopalem ex probabili sententiâ.

529 Defectus, ex quibus provenit Irregularitas, sunt: Bigamia, Illegitimitas, vitium corporis, aut animi, ut illiteratura, amentia, defectus ætatis, deformitas, duplicitas sexûs, mutilatio sui corporis, conditio servilis, defectus lenitatis.

Delicta inferentia irregularitatem sunt.

530 Homicidium vel mutilatio alterius, iteratio Baptismi, illicita Ordinum susceptio, vel administratio; ac denique Infamia, de quibus singulis copiosiùs agere spectat ad Canonistas, eorúmque accuratâ notitiâ Magistratus Ecclesiastici potiùs, quàm discipuli opus habent.

Caput VI.

531

DE PRIVILEGIO FORI, CLERICIS COMPETENTE.

PRIVILEGIVM fori est exemptio personæ Ecclesiasticæ à Judicio & Jurisdictione potestatis laicæ; habetúrque in varijs Juribus titulo de Judicijs & Foro

& Foro competente. Intelligitur autem de Clerico, ut Reo, si enim sit Actor, sequi debet forum Rei. Item de Clerico non prout gerit personam & obligationem ex se propriam laicorum, ut Feudatarij seu Vasalli.

Ex decreto Tridentini sess. 23. c. 6. de Reform. solus ille Clericus gaudet hoc privilegio, qui vel beneficium Ecclesiasticum habet, vel clericalem habitum & tonsuram deferens alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inservit, vel in Seminario Clericorum, aut in aliquâ Scholâ, vel Vniversitate de licentiâ Episcopi quasi in viâ ad majores Ordines suscipiendos versatur. Sub nomine *Beneficij* hîc etiam Pensio intelligitur, utpote in caussâ favorabili. Sufficit etiam habere titulum absque possessione, ex declarat. Cardinal. sacræ Congregat. 532 533

Vt Beneficiatus privilegium fori amittat per non gestationem habitûs & tonsuræ, debet ab Episcopo ter monitus incorrigibilem se ostendere, *c: in audientiâ: c; contingit: 45. de sent. excommunicat.* 534

Huic privilegio, si contraventum fuerit, acta sunt nulla, etiamsi Clericus Exceptionem declinatoriam Judicij non opposuerit; & incurritur Excommunicatio Bullæ Cœnæ.

TITVLVS IX.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

535 IN Matrimonio duo ſunt conſiderabilia prædicata, ſcilicet *Contractûs* & *Sacramenti*. De Matrimonio ut habet rationem Sacramenti ſpectat proprie ad Theologum diſputare; neque tamen continet multa ſpecialia examine digna. De Matrimonio, ut habet rationem
536 Contractûs, hoc eſt, reciprocæ obligationis conjugalis, agere proprium Juriſperitorum & Theologorum moralium eſt. Nos pro ratione noſtri inſtituti ea referemus, quæ diſcipulis ſuffectura videbuntur ad eum finem, quem intendimus.

CAPVT I.

537 INSTITVTIO ET ESSENTIA HVIVS SACRAMENTI.

MATRIMONIVM Fidelium eſſe unum ex ſeptem Sacramentis definitum eſt in Concilijs Florent. & Trid. ſæpe citatis. Id autem eſſe convenienter inſtitutum, evincunt difficultates, & gravamina maxima, quæ ſtatus matrimonialis ſecum communiter affert, nempe mutuam obligationem

tionem ad ſervandam fidem conjugalem, etiam caſu, quo alter conjugum inutilis redderetur ad ea præſtanda, quorum amore onus matrimonij ſubitur; ad amorem mutuum, & quidem perpetuum, inter quaſcunque adverſitates occurrentes, ad convenientem prolis educationem, &c. ad hæc, inquam 538
tum toleranda, tum agenda quis neget admodum deſiderabile & maximè opportunum eſſe medium cauſſativum gratiæ ſpecialis, & auxiliorum abundantiorum, non minùs, quàm ad fines ſpeciales aliorum Sacramentorum? Accedit, quòd Matrimonium ſpecialiter ſit repræſentativum conjunctio- 539
nis Chriſti cum Eccleſiâ ad Epheſ. 5 *Sacramentum hoc magnum eſt: ego autem dico, in Chriſto & Eccleſiâ.* decebat ergo, ut haberet efficaciam conferendi conjugibus gratiam ſpecialem ad ita ſe gerendos, prout decet repræſentantes coniugium ſpirituale inter Chriſtum, omnis gratiæ fontem, & Eccleſiam 540
ſibi per Gratiam copulatam.

Quando autem fuerit Matrimonij contractus ad rationem Sacramenti à Chriſto elevatus, non poteſt certò definiri: illud tamen probabiliſſimum eſt, fuiſſe inſtitutum hoc Sacramentum vel in nuptijs in Canâ Galilææ. vel quando Chriſtus Matth. 19 tuſtulit uſum libelli repudij, & polygamiæ, redu-

Ob primævâ insolubilitate, vel certè ante hæc tempora; quia, ut bene observârunt moderni, non est credibile, Christum interfuturum fuisse nuptijs purè profanis ac naturalibus, eásque illustraturum fuisse primo & insigni miraculo, præsertim cùm jam de-
541 crevisset hoc Sacramentum instituere; vel inducturum fuisse novum onus insolubilitatis & simplicitatis absque novo subsidio gratiæ specialis ad hoc onus sustinendum.

Definiri potest: *Sacramentum, quo legitimæ personæ* (hoc est, omni impedimento carentes) *ultro citróque obligantur ad individuam vitæ consuetudinem, conferens specialem gratiam ad*
542 *huiusmodi consuetudinis difficultates ritè subeundas.*

Forma huius Sacramenti non est necessariò vocalis, sed nutibus idoneis perfici potest, imò & Scripturâ, ac per procuratorem, & cum personâ absente. Ratio est, quia Christus nihil immutavit eorum, quæ prius suffi-
543 ciebant ad Matrimonium prout præcisè erat Contractus civilis. hic autem poterat sine vocibus absolvi, & cum absente per litteras aut procuratorem.

Materiam huius Sacramenti non expressit Florentinum, & ideo Theologiæ Magistris fas est diversimodè de illâ sentire. Conveniunt autem, quòd Corpora contrahentium habilia

habilia sint ad minimum materia remota, circa quam versatur Contractus. Dissentiunt tamen valde in assignandâ materiâ proximâ; alij enim assignant consensum internum, alij traditionem prout contradistinctam saltem formaliter ab acceptatione. Alij aliter discurrunt; & vix est lis, nisi de modo loquendi, cùm in re omnes eadem requirant ad contractûs & Sacramenti valorem. 544

Controversia est, an ex intentione Fidelium possit ratio contractûs separari à ratione Sacramenti.

CAPVT II.

DE MINISTRO. ET SVBIECTO HUIUS SACRAMENTI. 545

MINISTER huius Sacramenti non est Parochus, ut volebat Canus, sed sunt ipsi Contrahentes baptizati: quod quidem evidens est, tum à posteriori, tum à priori. à posteriori, alioquin nunquam valida fuissent matrimonia clandestina, nec 546 valerent matrimonia hæreticorum. à priori verò, quia contrahentes proferunt formam huius Sacramenti, nempe illa signa, per quæ significant mutuum consensum.

Hinc apparet primò, Ministrum adæquatum

tum huius Sacramenti esse binarium constans viro & fœminâ, eosdémque esse huius Sacramenti subjectum, ac consequenter sibi-ipsis ministrare, id, quod est in hoc Sacramento, sicut multa alia, peculiare, proveniens ex fundamento jam indicato, quòd scili-
547 cet retineat naturam contractûs.

Apparet secundò, saltem in ratione Sacramenti requiri in contrahentibus usum rationis; hic enim requiritur in omni ministro conficiente Sacramentum. An autem de ratione contractûs talis specialis, hoc est, tam difficilis, & facilè in præjudicium ine-
548 mendabile cedentis fit, non posse consensum ab alio suppleri, sicut potest suppleri consensus pupilli, non est quidem ita evidens, sed tamen communiter assertum.

Apparet tertiò in Ministrò huius Sacramenti sufficere intentionem habitualiter perseverantem, ut patet in casu, quo per litteras, vel procuratorem contrahitur. De-
549 bet tamen habitualiter perseverare, donec contractus per procuratorem absolvatur, quare si priùs, etiam solùm mentaliter revocaretur, non valeret matrimonium.

Apparet quartò, Matrimonium baptizati cum non baptizatâ, quod quidem defacto, saltem jure Ecclesiastico est nullum etiam in ratione contractûs, ob impedimentum *dis-*

paris

paris cultûs, seclusâ tamen Lege positivâ, tametsi haberet rationem contractûs, non tamen fore, ne quidem respectu baptizati, Sacramentum ex communiore sententiâ; est enim unus indivisibilis contractus, & unum Sacramentum non nisi duobus conferendum: ergo sicut non potest in ratione con- 550
tractûs ex unâ parte claudicare, ita nec in ratione Sacramenti: ergo cùm non baptizatus non sit capax Sacramenti, fit ut nec valeat respectu baptizati in ratione Sacramenti.

Controversum tamen est, utrum Matrimonium Infidelium, si postea baptizentur, evadat Sacramentum, saltem accedente novo con- 551
sensu.

Et hæc sunt, quæ ex Christi institutione & rei naturâ requiruntur & sufficiunt ad Matrimonium prout habet rationem Sacramenti. Quia verò Christus alligavit rationem Sacramenti valori contractûs, & valor contractûs subsit etiam humanis Legibus, quibus introducta sunt, & introduci possunt 552
impedimenta, quæ *dirimentia* vocantur, hoc est, quæ non reddunt præcisè illicitum contractum, sed etiam irritum & invalidum, hinc fit, ex parte contrahentium insuper requiri carentiam omnis impedimenti dirimentis.

Sunt autem duo genera impedimento-

rum

rum dirimentium : alia ex naturâ rei irritant contractum, alia ex Lege positivâ.

Quæ jure naturæ contractum irritant, sunt quatuor. *Error*, *Consanguinitas*, saltem in lineâ rectâ. *Ligamen*, *Impotentia*. addunt aliqui *Vim*, seu *Metum*. Jure Ecclesiastico sunt undecim. *Conditio*, *Votum* solenne, *Co-*
553 *gnatio*, sicut & *Affinitas*, *Crimen*, *Disparitas cultûs*, *Vis*, *Ætas*, *Ordo*, *Publica honestas*, *Clandestinitas*, *Raptus*. Raptus tamen reducitur ad vim.

CAPUT III.

554 ### DE IMPEDIMENTIS DIRIMENTIBUS JURE NATURÆ.

§. I. *Error.*

ERROR in personâ, cùm sit error in substantiâ, & non merè in accidentibus seu qualitatibus, reddit irritum contractum ex naturâ rei, quia deest
555 consensus, non enim tendebat consensus in illam personam, quæ per errorem existimatur esse altera.

Ad dignoscendum verò errorem in substantia & circa ipsam personam, ab errore circa accidentia, ut sunt divitiæ, pulchritudo, integritas, fæcunditas, &c. serviet regula, quam tradit S. Thomas *in 4. dist. 30. q. 1. a. 2. ad 5.*

ad 5. Quando quis sub certâ qualitate seu penes certam proprietatem individualem formatsibi conceptum cuiusdam singularis personæ, v.g. quòd sit filia Francisci primogenita, & postea offertur persona non habens huiusmodi prædicatum, sed fingens eam habere, tunc est error in personâ, secùs, 556
erit error accidentalis. Quodsi revera intentio contrahentis restringeretur ad huiusmodi prædicatum accidentale, v.g. ad divitias, virginitatem, &c. tunc in foro conscientiæ non valeret Matrimonium ex defectu consensûs absoluti. Huiusmodi autem restrictio, nisi fuerit expressa, non præsumitur: neque
in foro conscientiæ colligitur ex eo, quòd si 557
quis sciviſſet esse corruptam, pauperem, &c. non contraxisset. si enim hoc argumentum bonum esset, innumera matrimonia possent declarari nulla, ob eventus plurimos, qui si prævisi fuissent, non contraxissent.

§. II. *Consanguinitas.*

COnsanguinitas definiri potest *Propinquitas, seu conjunctio Personarum per naturalem generationem in gradu Matrimonium dirimente.* 558
Distinguitur consanguinitas per Lineas, & Lineæ per Gradus. Linea duplex est, *Recta*, hoc est, constans ascendentibus & descendentibus, & *Lateralis* seu transversa-

lis,

lis, quæ constat personis non ab invicem descendentibus. Ascendentium in Lineâ rectâ est hic Ordo Graduum: In primo Pater, Mater 2. Avus Avia 3. Proavus Proavia 4. Abavus Abavia 5. Atavus Atavia 6. Tritavus
559 Tritavia. Descendentium hic. In primo Filius, Filia. 2. Nepos, Neptis. 3. Pronepos, Proneptis. 4. Abnepos, &c.

Multi volunt, jure naturæ dirimi Matrimonium in Lineâ rectâ in infinitum, ita, ut si Adam hodie resurgeret, non posset ducere uxorem. Alij volunt solùm in primo gra-
560 du irritari jure naturæ. Pari modo controversum est, an Consanguinitas lateralis saltem in primo gradu dirimat jure naturæ matrimonium, quod quidem à non paucis affirmatur, à pluribus verisimilius negatur; tum quia in principio mundi omnino neces-
561 se fuit, inter fratrem & sororem contrahi matrimonium; quis autem credat tunc opus fuisse dispensatione, & ad subveniendum generi humano per propagationem opus fuisse inchoari matrimonia inter personas jure naturæ inhabiles? tum quia Abraham duxit in Uxorem Saram filiam Patris sui. Imò Sylvester V. Papa. q. 17. ait, Martinum V. in simili dispensâsse.

§. III.

§. III. *Ligamen.*

EX Tridentino can. 2. habetur Polygamiam invalidam esse, & quidem non solùm jure divino, sed ex communissimâ Theologorum jure naturæ, quamvis cum antiquis Patribus DEVS dispensaverit, donec â Christo fuit jus naturæ revocatum. Vnde si 562
quis Infidelium habens plures conjuges ad Fidem convertatur, primam solam retinere potest, cæteræ liberæ sunt, & alteri nubere possunt. Ratio huius juris naturalis desumi solet ex gravissimis incommodis ex polygamiâ secuturis, ob divisum mariti amorem in plures, ob inæqualitatem contractûs, &c.

Clarior ratio stat contra fœminas, ut uni 563
non liceat habere plures maritos, in quo DEVS nunquam dispensavit: sic enim generatio impediretur, & patris incertitudo maximopere obesset educationi prolis. sed hæc fusiùs deducere non est nostri instituti.

§. IV. *Impotentia.*

IMpotentia coeundi alia est temporanea, 564
seu superabilis, alia perpetua, & insuperabilis. Item alia est absoluta & universalis in ordine ad omnes personas alterius sexûs, alia respectiva respectu unius vel alterius tantùm, v. g. ob nimiam arctationem.

Impotentia perpetua tam absoluta, quàm

respectiva penetrandi, & intra vas seminandi est impedimentum dirimens vel absolutè, vel respectivè matrimonium contrahendum, non item contractum ante, nisi mulier sexum omnino mutaret. Ratio prioris est, quia natura huius contractus essentialiter consistit in
565 translatione Dominij corporis habilis ad copulam: atqui rei non existentis nullum est Dominium, nec translatio. ergo &c. Ratio posterioris est, quia jam priùs præsupponitur Dominium translatum ex utraque parte; vitium autem superveniens tollit quidem aliquod prædicatum, cuius existentiæ fuerat
566 valor contractûs alligatus, sed non tollit reliqua, quorum jus retinetur.

Impotentia temporalis non dirimit, esto graviter peccaret, qui gnarus talis impedimenti contraheret. Ratio est, quia huiusmodi impotentia non est simpliciter inhabilitas ad actum, sed potiùs remora, sicut vinum con-
567 gelatum non est inhabile ad sui potationem. Hinc Canones concedunt habentibus impotentiam certum tempus experiendi, quod sanè non liceret, si cum temporaneâ impotentiâ non posset subsistere matrimonium.

§. V. *Metus.*

MAtrimonium ex gravi metu injusto cõtractum, & quidem in hunc finem incussõ,

cussio, ut contrahatur matrimonium esse nullum saltem jure positivo certum est, *C. cùm locum. 14. c: veniens, & pluribus alijs, de eo, qui duxit in matrim.* Controvertitur tamen, an etiam jure naturæ sit nullum, & probabilius videtur, esse nullum; quidquid sit de alijs contractibus, qui ab initio validi possunt po- 568
stea rescindi, cuiusmodi non est matrimonium. Ratio est; nam eam infirmitatem censetur universim natura inducere contractibus, quæ servit injuriam passo, ne debeat invitus damnum pati, quando nulla alia inconvenientia obstant: atqui omnimoda annullatio matrimonij metu initi ita se habet. ergo. 569
Major passim assumitur. Minor probatur.

Si enim talis contractus ab initio valet, nec deinde potest rescindi, sequitur eum, qui metum passus est, invitum cogi ad servandum contractum. Et hæc quidem ratio procedit; regulariter loquendo, quidquid sit de casu, quo ipsa Matrimonij nullitas cederet in gravissimum præjudicium illius, qui metum patitur; 570
de quo casu plane metaphysico disputat Raphael Aversa.

Matrimonium ex levi metu initum probabilius est valere Ratio est, quia metus levis, hoc ipso, quod sit levis, potest ac debet ab homine constante contemni: ergo jam habet medium se liberandi ab illo malo, quod sub-

iret per cõtractum: nec debuit natura ad illud leve malum evitandum irritari matrimoniũ, cuius irritatio grave malum est Reipublicæ.

571 Quodsi metus incussus est ab aliquo tertio, non in hunc finem, ut fieret matrimonium, sed assumitur à patiente metum matrimonium ut medium ad evitandum malum imminens, probabilius est valere. Ratio est, quia per huiusmodi valorem natura magis consulit contrahenti, quàm consuleret irritando;

572 redderentur enim sæpe impossibilia media ad malum gravius effugiendum; v. g. si Rex ex metu a terius Regis vellet ad ipsum sibi conciliandum ducere filiam illius.

Hinc autem colligitur discrimen inter hunc casum, & priorem, quo diximus irritari

573 per metum in hunc finem incussum; ut fiat matrimonium. quando enim matrimonium per metum intenditur, valor matrimonij non est medium aptum ad avertendum malum intentatum, imò potiùs est illicium & motivum metûs; unde debebat invalidum esse, ut sic absterreretur ab illatione metûs.

CAPVT

CAPVT IV.

DE IMPEDIMENTIS IVRE POSITIVO DIRIMENTIBVS.

DE his impedimentis agere in specie, ad Theologos morales spectat: ad nostrum propositum satis erit terminos explicâsse, & generalia posuisse. 574

Primò. *Conditionis* nomine intelligitur conditio servilis mancipij & ancillæ, carentium libertate. Si ergo Persona libera cum non liberâ inscienter contrahat, non valet matrimonium, ut supponitur in *cap. si quis ingenuus, & c: 2. & ult. de conjug. serv.* 575

Secundò. *Votum solenne* Professionis in Religione & votum solenne Castitatis Clericorum in sacris Ordinibus constitutorum dirimunt Matrimonium. *c: meminimus. c: rursus: c: fin. Qui Clerici vel voventes. Tridentin. sess. 24. can. 9.*

Tertiò. *Cognatio* in genere definitur Conjunctio seu propinquitas duarum personarum contracta vel per veram carnalem propagationem, vel quæ juris dispositione illi æquivalet in ordine ad impediendum valorem matrimonij. 576 Est autem triplex, *Naturalis*, & vocatur Consanguinitas, *Spiritualis*, ratione Baptismi vel Confirmationis, & *Legalis* per adoptionem.

Consanguinitas impedit Matrimonium usque ad quartum gradum inclusivè. Nam licet jure antiquo hoc impedimentum se extenderet usque ad septimum gradum, ob varia tamen incommoda Innocentius III. in c: *non debet, de consanguinitate & affinitate*:
577 ad quartum restrinxit.

Ratio congruentiæ, cur semper in usu fuerit huiusmodi impedimenti inductio ad certos gradus plures vel pauciores, triplex assignari solet. Prima, quia Matrimonium est vinculum amantium, & amorem decet propagari, & non sistere inter sanguine junctos, sisteret autem frequēter, si inter cōsanguineos
578 valeret Matrimonium, quos amor naturalis jam antè conjunxit, & ideo vinculo conjugij non habent opus ad hunc amorem inducendum Secunda. Consanguinei, utpote frequenter convenientes, & sæpe cohabitantes ac naturali amore conjuncti, essent in majori periculo lapsûs carnalis, si eorum copula non haberet specialem turpitudinem incestûs, &
579 Matrimonio jungi possent. Tertia, Si in his ad naturalem affectum accederet conjugalis, evaderet sæpe immoderatus conjugij usus, nocens proli & conjugibus. Cur autem ad quartum gradum sit restrictum hoc impedimentum, ratio fuit potissima, quòd ultra quartum gradum difficilius retinetur conjunctio-

junctionis memoria, & vix evitari posset, quominus multi in gradu prohibito copularentur.

Cognatio spiritualis jure antiquo triplex erat, sed Jure novo Tridentini *sess. 24. c. 2. de Reform.* sublatis alijs remansit solùm inter Patrinos, Baptizantem aut Confirmantem ex 580
unâ parte, & Baptizatum aut Confirmatum, eiúsque parentes ex alterâ parte.

Cognatio Legalis orta ex Adoptione (& probabiliter ex solâ arrogatione) impedit Matrimonium, (probabilius non ultra primum gradum) inter Adoptantem & Adoptatum, 581
inter Adoptatum & liberos naturales Adoptantis, & inter Adoptantem & Uxorem Adoptati, ac inter Adoptatum & Uxorem Adoptantis. Inter Adoptatum & liberos Adoptantis non durat, nisi quamdiu subsistit jus patriæ potestatis quoad liberos; inter cæteros est perpetuum. *c: Ita diligere. 30 q. 3.* ubi dis- 582
positio Legum civilium, *L. Adoptivus, L per Adoptionem, ff. de ritu nupt.* approbatur.

Affinitas est propinquitas ex carnali copulâ (etiam nullâ generatione interveniente) proveniens inter alios, quàm inter quos est habita copula: est enim Affinitas quasi finium consanguinitatis unitas, seu sanguinum confinitas.

Antiquo jure erant tria affinitatis genera.

Jure novo unum est retentum, & imprimis affinitas, quæ provenit ex copulâ conjugali non extenditur ultra quartum gradum, nempe maritus in eo gradu est affinis consanguineis uxoris, & uxor econtra consanguineis mariti, in quo illi sunt consanguinei. *c: non*
583 *debet cit.* Quæ verò provenit ex copulâ illicitâ, stupro, adulterio, fornicatione, incestu, non extenditur amplius ultra secundum gradum, *Trident. sess. 24. c: 4.*

Criminis impedimentum dupliciter contrahitur; primò inter illos, inter quos intercedit adulterium formale ex utrâque parte, cognitum cum promissione vel actuali atten-
584 tatione matrimonij, dum alter conjux vivit. *toto tit. de eo, qui duxit.* Secundò; si quis uni conjugum machinatus est, & actu intulit mortem animo ducendi alium in conjugem (etiamsi nulla promissio intercedat) cum quo vel adulterium commisit, vel in mortem alterius conspiravit. *c. siquis vivente. 31. q. 1. c. 1. de convers Infidel.*

585 *Disparitas cultûs* est impedimentum dirimens inter Baptizatum & non Baptizatum, quamvis non satis constet, an jure scripto, an consuetudinario sit hoc impedimentum introductum.

Raptus, prout hîc sumitur, est violenta abstractio fœminæ de loco, in quo morabatur, etiam

etiam minis & metu gravi, & non solis manibus committi potest. Inter raptorem ergo & raptam, quamdiu hæc in potestate raptoris manserit, non subsistit Matrimonium. *Tridentin. cap 6.*

Ætatis defectus impedit Matrimonium inter impuberes, nisi malitia suppleret ætatem. *c. de illis c: puberes c: finali de sponsi impub.* 586

Publicæ honestatis impedimentum est propinquitas orta ex Matrimonio rato nondum consumato, & se extendit usque ad quartum gradum, item ex sponsalibus celebratis per verba de futuro, & se extendit solùm ad primum gradum. Estque introductum ob decentiam talis modestiæ in Ecclesiâ. *c: si quis desponsaverit. c: qui desponsatam, & alys, de sponsalib. Tridentin. c: 2.* 587

Clandestinitas denique dirimit Matrimonium contractum sine præsentiâ Parochi alteriúsve Sacerdotis de licentiâ Parochi seu Ordinarij, aut sine testibus, saltem duobus. *Tridentin. sess. 24 c. 1.* Ratio irritandi erat periculum gravissimarum fraudum, ac perpetuorum adulteriorum, dum multi uxores suas repudiarent, aliásque ducere tentarent, eò quòd in foro externo non posset Matrimonium clam contractum probari. 588

Circa hæc impedimenta in genere, controvertitur, utrum, si Ecclesia non reservâsset sibi potestatem

statem ponendi impedimenta dirimentia, posset potestas secularis ea ponere.

CAPVT V.

DE SPONSALIBVS.

589 SPONSALIA, quæ Matrimonio præmitti solent, à spondendo dicta, si proprijssimè sumantur, sunt futurarum nuptiarum promissio, & quidem mutua, alioquin non inducunt impedimentum puplicæ honestatis.

Sumuntur etiam sponsalia quandoque
590 pro Matrimonio rato, sed non consummato, seu pro contractu per verba de præsenti. *c: 13. de præsumpt.* sed sub hoc titulo sumimus in priore sensu.

Ætas ad validè contrahenda sponsalia est septennium completum. *c: litteras. c: accessit: de desponsat. impub. & alibi passim.* Neque sanè erat eadem ratio exigendi annos puber-
591 tatis in sponsalibus, sicut in Matrimonio. Nam primò contrahentes Matrimonium debent esse habiles ad generandum. Secundò Matrimonium est indissolubile, & consequenter majore judicio opus habet: at verò sponsalia possunt ab impubere veniente ad pubertatem sponte solvi, ut dicemus.

Ratio autem requisiti septennij est, quia tunc

tunc præsumitur adesse usus rationis, sine quo nullus contractus valet: unde si constaret, sponsum vel sponsam completo septennio nondum pollere usu rationis sufficiente ad peccandum mortaliter, non posset sponsalia contrahere.

Controversia est, an sicut in Matrimonio, ita 592
& in sponsalibus possit malitia supplere ætatem.

Tituli dissolvendi sponsalia possunt ad quinq; revocari. Primus est ex simplici sponsorum voluntate. Secundus, ex mutatione status incompossibilis cum matrimonio. Tertius, ex permutatione in alia sponsalia vel matrimonium. Quartus, ex novis caussis e- 593
mergentibus post sponsalia. Quintus, ex antecedentibus caussis postea primùm detectis.

Quoad primum: Sponsalia puberum non solùm validè, sed etiam licitè possunt dissolvi mutuo consensu spontaneo contrahentium, juxta regul: juris: *Omnis res, per quascunque caussas nascitur, per easdem dissolvitur*, subintellige, si dissolubilis est. & *obligationes, quæ* 594
consensu contrahuntur, contrariâ voluntate dissolvuntur §. ult Inst. quibus modis oblig. tollantur. Quod procedit, etiamsi juramentum sponsalibus accessisset de non resiliendo. Nam jurantis intentio solùm est obligare se ad nõ resiliendum injustè à sponsalibus, & altero invito; & regula generalis est, juramentum in

alterius

alterius favorem factum non obligare altero remittente.

Sponsalia impuberum non possunt ab ipsis dissolvi mutuo consensu, dum infra annos pubertatis existunt. *c. de illis & c: a nobis de despons. impub.* Ratio est, ne ex animi levitate facilè resilientes cum pluribus contrahant,
595 & impedimentum publicæ honestatis multiplicent.

Si pubes cum impubere contraxit, exspectandum est puberi, donec alter annos pubertatis attingat, & consentiat in dissolutionem. eod. cap.

Ex duobus verò sponsis impuberibus,
596 qui prior ad pubertatem peruenerit, statim resiliendi jus habet non exspectatâ pubertate alterius: imò, nisi statim resiliat, hoc est, intra triduum agnitæ pubertatis, non est integrum postea resilire, sed censetur sponsaliâ confirmâsse, perinde acsi in pubertate constitutus contraxisset.

597 Quoad secundum titulum. Certum est per Professionem in Religione dissolui sponsalia ex vtrâq; parte. Nam talis professio dissoluit matrimonium ratum non consummatum (ut infrà) ergo à fortiori sponsalia.

Per ingressum in Novitiatum soluuntur sponsalia ex parte manentis in sæculo, ita, ut suelit, possit pro arbitratu resilire: quia talis ingressus

ingressus est magna mutatio; nimisque graue esset obligari ad exspectãdum annum probationis: ac præterea regressus alterius haberet aliquid ciuilis maculæ, ob quam posset notabiliter displicere. Probabilius tamen est, ex parte Nouitij non dissolui; non quidem iure positiuo, nullum enim adducitur: sed nec iure naturæ: bene enim Nouitiatus & obligatio sponsalium consistere possunt: & gratis dicitur, subintellectam esse conditionem: *nisi meliorem statum elegero.* Neque verum est, quòd sicut se habet ingressus in nouitiatum, ad professionem, ita se habeant sponsalia ad matrimonium; & consequenter nouitiatus dissoluat sponsalia, sicut professio Matrimonium. Est enim dispar ratio. sponsalia obligant ad contrahendum matrimonium, non item nouitiatus ad profitendum. Potest ergo manere obligatus ad contrahendum, casu quo regrederetur, & alter in sæculo vellet persistere. 598 599

Quodsi præter sponsalia intercessit copula sub spe Matrimonij, non est amplius integrum ingredi religionem altero renitente, sed tenetur matrimonium inire & consumare. Alioquin inferret damnum irreparabile proximo. 600

Ordines quoque sacri dirimunt sponsalia; nam subsequens matrimonium esset omnino invalidum. Peccaret tamen probabilius spon-

sus,

sus, si invitâ sponsâ susciperet ordines, nec enim Iura fauent Ordinibus sicut Religioni, quod colligitur tum ex eo quòd ordinandi interrogentur, an sponsalia contraxerint, tum quia non dissoluunt matrimonium ratum, sicut Professio.

601 Quoad tertium. Matrimonium cum aliâ quàm sponsâ contractum post sponsalia valet quidem, priora tamen sponsalia probabiliùs non plenè dissoluit, nisi pars contempta velit dissolui; sed suspendit, ut maneat obligatus priori sponsæ in casum dissolutionis matrimonij. Quia matrimonium subsequens relatum ad tempus quo extinguitur, nō obstat obligationi priorum sponsalium, sicut, si priùs
602 religionem vouisset, teneretur soluto matrimonio subsecuto Religionem ingredi: vel (ut exemplum sit certius) sicut, si equum Titio promissum deinde Sempronio venditum traderem, esset quidem Sempronij, sed casu quo equus ad me rediret, tenerer ex promissione dare Titio.

603 Sponsalibus secundis etiam cum iuramento attentatis non dissoluuntur priora, sed posteriora sunt nulla, si referantur ad tempus obligationis priorum sponsalium. Ratio est, quia iuramentum non potest esse vinculum iniquitatis: unde cùm illicita sint secunda sponsalia, imò & matrimonium in ijs promissum,

sum, non possunt obligare simpliciter & absolutè. Per illa tamen acquirit altera pars priorum sponsalium jus resiliendi: nam fidem frangenti non est obligatio servandi fidem.

Quoad quartum. Contingit, ut post contracta sponsalia ante matrimonii enascantur novæ circumstantiæ, ob quas matrimonium redditur difficilius, quàm tempore sponsalium poterat prævideri, & certum est, plures huiusmodi euentus sufficere dissoluendis sponsalibus, pro quibus hæc Regula generalis tradi solet. Omnis mutatio superueniens sufficit ad fundandam facultatem dissoluendi sponsalia, quæ præcognita meritò communiter homines talis vel talis conditionis eriam verè cordatos à contrahendo averteret, vel certè avertere posset, Ratio est, quia licet hoc non sufficiat ad dissoluendos alios contractus onerosos, imò nec ad rescindendum votum, quæ est mera liberalis promissio, ad sponsalia tamen dissoluenda meritò sufficere debet; quia matrimonij libertas & indissolubilitas hoc exigit privilegium, quandoquidè amore mutuo fovendum est. Itaque semper in contractu sponsalium censetur hæc conditio subintelligi: *nisi ante contractum matrimonium tanta mutatio intercedat &c.* cùm enim quivis contrahens sponsalia censeatur iuxtà communem aliorum eiusdem conditionis intentionem 604 605 606

tionem contrahere, censetur tacitè excipere illum casum, quem communiter omnes præuisum exciperent, prout colligitur ex cap. *Quemadmodum de Iureiurando.*

Quoad quintum, est philosophandum iuxta regulam immediatè traditam cum proportione. Nempe respectu ignorantis perinde est, huiusmodi defectum jam adfuisse & latuisse tempore, quo contrahebantur sponsalia, vel postea superueniisse quia tunc censetur res fieri, quando innotescit arg. c. *pastoralis de exceptionibus*: sicut econtra tunc censetur non esse, quando non apparet. *l in lege. ff. de contrahendâ emptione.* & in generali ac simplici obligatione non censentur comprehensa, quæ cogitatâ ab obligatione prudenter averterent. *L: obligatione naturali. ff. de pignorib. & L: 1. C: quæ res pignori obligari possint. L: si libertus. ff. de operis libert: c: veniens de jurejur.* Quapropter omnis ille defectus sufficit, ut de novo cognitus det jus resiliendi, qui, si postea superveniisset, sufficeret ad resiliendum, uno tamen excepto. Nam si ex parte sponsi copula cum aliâ præcessit, & ignorabatur à sponsâ, etiamsi postea resciatur, non sufficit, ut sponsa resiliat, sicut sufficeret ex communi sententiâ si superveniret, quia superveniendo frangit sponsus fidem, sed antè non fregit, quam nondum dederat. Aliud est, si sponsa priùs forni-

607

608

609

fornicata fuit, & postea à sponso resciatur existimante esse virginem: nam ex parte sponsæ habet fornicatio etiam rationem gravis detrimenti in ordine ad sponsum, cui probrosum est ducere corruptam, quod non procedit in sponso cuius corruptio communiter non adeò æstimatur. 610

CAPVT VLTIMVM.

DE MATRIMONII INDISSOLVBILITATE, ET OBLIGATIONE; AC DE DIVORTIO. 611

§. I. *De indissolubilitate*

MATRIMONIVM aliud dicitur consummatum, aliud non consummatum, sed tamen Ratum & Validum. Dicitur Matrimonium consummari per copulam carnalem aptam ad generandum: sufficit autem copula etiam vi extorta, non tamen habita ante contractum Matrimonium, quæ non est matrimonialis, sed fornicaria. 612

Omne Matrimonium tam Fidelium, quàm Infidelium, tam consummatum, quàm non consummatum, est aliquo modo indissolubile, si comparetur cum alijs contractibus, qui possunt mutuo consensu contrahentium dissolvi, non item Matrimonium; & quidem ex

communiore sententiâ hæc indissolubilitas est juris naturæ: si enim possent mutuo consensu dissolvi, mille fraudibus exposita essent omnia ferè Matrimonia, mille conjugum animi suspicionibus vexarentur, amor & confidentia conjugalis facillimè evanesceret, cessaret sollicitudo providendi necessaria, & 613 similia sexcenta incommoda sequerentur, quæ consideranti facilè occurrent, maximè circa Matrimonium consummatum.

In Matrimonio consummato dissolvendo potest à Deo supremo totius naturæ Authore dispensari. atque etiam de facto tam ante, quàm post Legem Evangelicam dispensatum est. Et quidem in antiquâ Lege Deut. 24. & 614 Christus significavit Matth. 19. *Moyses ob duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras, ab initio autem non fuit sic.* In novâ Lege constat ex S. Paulo 1. Cor. 7, accedente Ecclesiæ declaratione. *c: si fidelis. 8. q 2 c: quanto. c: gaudemus. de divortijs.* ubi declaratur, quòd si unus conjugum Infide- 615 lium convertatur ad Fidem Christianam, altero vel nullo modo, vel non sine blasphemiâ divini nominis, aut non nisi cum scandalo cohabitare volente, ad secunda vota transire possit. Ratio dispensandi pro hoc casu fuit, ne alioquin multi à suscipiendâ Fide deterterentur.

Matri-

Matrimonium ratum, non consummatum, per professionem religiosam dissolvitur. *Trident. can. 6.* & habetur etiam *c: desponsatam. 27. q. 2. c: decreta legalia. 28. q. 2. c: ex publico. t: ex parte de convers. conjug. & in extrav. antiqua de voto & voti relax.* Hæc tamen efficacia non inest Professioni ex naturâ rei; alioquin etiam Matrimonium consummatum dissolvere posset: nec ex institutione Christi, cùm sola vota solennia habeant hanc vim, quòd malè negat Basilius Pontius tribuens hanc vim etiam votis simplicibus Societatis Jesv, cùm constet hæc vota nequidem Matrimonium contrahendum impedire potuisse, donec à Gregorio XIII. per extravagantem *Ascendente Domino* (quæ non est in corpore juris) concessum est. Fatendum proinde est, professionem accepisse hanc vim à Summi Pontificis constitutione, non quidem ex potestate ordinariâ, sed extraordinariâ acceptâ à Christo. Vnde communiter tenent Theologi, posse Pontificem in matrimonio rato etiam ex alijs caussis dispensare, & defacto refertur dispensâsse. 616 617 618

Conceditur insuper in Jure *c: ex publico: de convers. conjug.* juxta communem Doctorum intelligentiam, & observatam consuetudinem, spatium duorum mensium, quo neuter conjugum tenetur petenti reddere

debitum, sed potest deliberare: imò, quamdiu elapso bimestri non intercedit copula, adhuc est integrum ad Religionem transire.

§ II. *De Obligatione conjugali.*

619 Esse Obligationem gravem reddendi debitum, petenti constanter, serio, & rationabiliter, nisi subsit specialis gravisque causa negandi, & sine periculo peccati alieni negari possit, indubitatum est, atque ex ipsâ naturâ contractûs matrimonialis manifestè consequitur, declarante S. Paulo 1. ad Cor. 7. *Vxori vir debitum reddat, similiter & uxor viro. Nolite fraudare ad invicem, nisi forte* 620 *ex consensu ad tempus.* Cætera, quæ de Matrimonij usu dici possent, ad moralem Theologiam ablegamus, & pleraque sunt eiusmodi, quæ ex generalibus principijs & documentis suo loco traditis deducuntur.

Quoad *Cohabitationem*, Regula certa est, teneri conjugem altero exigente, per se loquendo, non solùm eâdem domo, sed etiam 621 eodem foco & thoro uti; quamvis ex honestâ causâ, ex mutuo consensu possint in his ab invicem separari, si absit incontinentiæ periculum. Ad virum autem tanquam familiæ caput spectat per se loquendo eligere locum habitationis, & uxor tenetur illum comitari, & cum illo etiam mutare patriam.

cap.

cap. unaquæque 13. q. 2. nisi gravis caussa excusaret. v. g. si maritus esset morbo contagioso infectus. *c. 1. & 2. de conjugio leprof.*

Cohabitationem comitatur Obligatio præstandi alimenta, quorum nomine etiam reliqua vitæ necessaria veniunt: & in hunc finem accipit maritus dotem ab uxore. 622
Quodsi sponte indotatam duxit, adhuc alere tenetur, in hoc enim consensit.

Quodsi vir inops evadat, & vxor habeat in propriis bonis, unde eum alere possit, tenetur, ex vi mutuæ communicationis & subventionis. Item si maritus ob delictum pellatur in exilium, aut detrudatur in carcerem, 623
nec habeat ex propriis, tenetur uxor alimenta necessaria ministrare, ut colligitur *ex l. mutuo. ff. de Iure dotium.*

§. III. *De Divortio.*

Divortium non est dissolutio vinculi matrimonialis, prout erat *Repudium*, sed est separatio quoad thorum & habitationem: 624
de quo Concilium Trident. sic statuit can. 8. *Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cùm ob multas caussas separationem inter conjuges quoad thorum, seu quoad cohabitationem ad certum incertúmve tempus fieri posse decernit, anathema sit.* Caussæ autem divortium honestantes

licitúmque reddentes sunt quinque: nam licet Matth. 19. solummodo mentio fiat fornicationis seu adulterij, hoc ideo factum est, quòd sola hæc causa sit juris naturæ.

Primò itaque, Adulterium ab alterutro conjugum cum injuriâ alterius commissum dat jus divertendi, & quidem jure naturæ,
625 non solùm quoad copulam, sed etiam quoad omnem vitæ societatem & gubernationem, ut colligitur *ex c: Gaudemus, c: significâsti. c: ex litteris de divortijs:* & supponitur *1. Cor. 7.* Existimârunt aliqui Juriſperiti, etiâ actus turpes sine pollutione sufficere: alij censuerunt sufficere pollutionem erga suam personam
626 exercitam: alij, licere divortium ob peccatum sodomiticum. probabilius est, solam copulam veram & completam adulterinam sufficere: quia per hanc solam posset adulterinam prolem in suam domum & familiam inducere, & sicut hæc sola copula potest affinitatem fundare, & in viro irregularitatem bigamiæ inducere, ita etiam sola videtur suf-
627 ficere ad divortium.

Illud meritò quæritur, an ad divortium ex hac causâ faciendum opus sit judicis sententiâ, vel propriâ authoritate fieri possit. Et imprimis dicendum est, quòd, habitâ morali certitudine delicti possit innocens authoritate

tate propriâ facere divortium quoad thorum & debiti recusationem. Ratio est, quia exercitium actûs conjugalis est actio privata & occulta: expedit ergo potiùs privatâ, quàm Judicis authoritate transigi.

Quoad cohabitationem verò probabilius est, per se loquendo opus esse judicis sen- 628
tentiâ. Probatur imprimis ex *cap, porrò de divortijs*, ubi Pontifex declarat, quendam, qui uxorem suam prætextu affinitatis dimiserat, non potuisse absque judicio Ecclesiæ ab eâ separari, jubens compelli ad eam recipiendam, quæ restitutionem petebat.
Neque refert, ibi sermonem esse de repu- 629
dio, non de divortio. Nam argumentatio fit à majore ad minus; & bene advertendum est, quòd Pontifex dicat: *Etiamsi parentela esset publica, & notoria, absque judicio Ecclesiæ ab eâ separari non potuit.* unde sic arguitur. Impedimentum affinitatis est omnino diri-
mens, quo stante non potest alter alteri ad- 630
hærere, & tamen etiam, quando est publicum & notorium, requiritur sententia Judicis ad repudium: ergo multò magis erit opus sententiâ Judicis ad divortium propter adulterium publicum, ubi nocens ab innocente potest sine culpâ retineri. Ratio ulterior hæc est, quia divortium quoad ha-

bitationem est actio ex genere suo publica, & ad externam gubernationem pertinens; ergo non sine perturbatione Reipublicæ à privatis & privatâ authoritate usurparetur.

631 Facto divortio possunt conjuges proprio consensu absque Judicis interventu reconciliari, & pristinam vitam conjugalem repetere: quia sententia divortij non reddit illicitum usum matrimonij, sed solùm ad hoc tendit, ut liberam faciat separationem conjugum, dum innocens vult separari. Imò verius est, nocentem posse ab innocente cogi
632 ad reconciliationem, & illum in conscientiâ teneri ad reditum; quod si recuset, à Judice esse compellendum. Ratio est, quia sententia lata in favorem innocentis & odium rei non debet gravare innocentem, & favorabilis fieri reo.

Secunda causa divortij esse potest Cri-
633 men Hæreseos cum pertinaciâ; tunc enim post unam alterámve admonitionem potest Catholicus divertere ab altero non exspectatâ Judicis sententiâ, imò nec instante periculo perversionis, *arg. cap. Non solùm. c: Idololatria. 28. q. 1. c: quæsivit, & c: de illâ. c: quantò de divortijs. c: fin. de convers. conjug.* Reverso tamen ad Fidem hæretico tenetur illi reconciliari. Tertia

Tertia divortij causſa eſt Sævities, *cap litteras. in fin. c: ex transmiſsâ de Reſtitut ſpol.* Quando periculum eſt in morâ, licet propriâ authoritate divertere. Quodſi ab altero repetatur in judicio, innocens verò offerat in continenti probationes, non eſt reſtituendus, ſed audiendus ob damni irreparabilis periculum. Poteſt autem ex hac causſâ fieri 634
divortium, etiamſi, qui ſævitiem patitur, causſam dederit, v. g. per adulterium. *c: de Benedicto 32. q. 1.*

Non ſufficit autem quæcunque durior tractatio merè præterita. *c: intelleximus. de illis, qui fil. occid.* ſi non inde rationabiliter timetur grave damnum futurum. Debet 635
item eſſe timor cadens in conſtantem virum: leve enim damnum tolerandum eſt ob concordiam & fidem conjugalem, alioquin nimis frequentia forent ex hoc capite divortia.

Quarta causſa divortij, ſed non perpetui, eſt quando unus conjugum alterum ſollicitat ad grave peccatum, neque monitus de- 636
ſiſtit. Ratio eſt, quia unuſquiſque plus debet conſulere propriæ ſaluti ſpirituali, quàm quibuſcunque alijs obligationibus.

Quinta denique causſa divortij eſt ingreſſus in Religionem, qui tamen non permit-

APPROBATIO THEOLOGICA.

Hi quatuor Institutionum Theologicarum Libri, Authore Admodum Reverendo P. Christophoro Hauvoldo S. Theologiæ Scholasticæ Doctore & Professore ordinario, & Theologicæ Facultatis pro tempore Decano, non tantum nihil Fidei Orthodoxæ, aut bonis moribus contrarium continent, verùm multò magis jam dudum à pluribus desiderato & exoptato compendio, pulcherrimâque methodo, totam Theologiam Scholasticam dilucidè, doctè, & nervosè partim explicant, partim verò, quæ sunt in Scholis inter Doctores controversa, fideliter indicant, ideo ad plurimorum haud dubiè maximum commodum, & utilitatem jure meritissimo Typis vulgabuntur. Ingolstadij die 18. Junij Anno 1679.

Loco admodum Reverendi & spectabilis P. Decani.

JOANNES OSWALDUS à ZIMMERN S. Scripturæ Professor Ordinarius. J. V. L. & Procancellarius Academicus, &c.

INDEX

INDEX RERVM.

A.

Actiones reales juris. Lib. 3. n. 186. Actus humanus. Lib. 2 n. 39 Moralis in genere. 117. non potest idem simul esse bonus & malus. 161. actus imperatus 164.
Adoratio quid. Lib. 4 n. 94. quotuplex. 95.
Æternitas DEI. Lib. 1. n. 37.
Aggressor. l. 3. n. 290.
Amicitia. l. 3. n. 142.
Amor concupiscentiæ & benevolentiæ, l. 3. n. 139.
Angeli eorum existentia. l. 1. n. 237 Spiritualitas. 243. Simplicitas. 245. Indestructibilitas. 248. Hierarchiæ. 250. Multitudo. 253. Inceptio. 257. Potentia locomotiva. 258. Apparitiones quomodo fiant. 280. quomodo cognoscant obiecta præsentia. 184. distantia. 289. nonexistentia. 299. Cognitionis sphæra. 304. Futurorum & secretorum cognitio. 307. Necessitas & determinatio libera ad cognoscendum. 313. Locutio. 318. Voluntas. 322. via. 327. Peccatum. 334. pœna. 340 ordo & ministerium. 350.
Attritio vide Contritio.
Aureolæ. l. 2. n. 27. 37.

B.

Baptismus. l. 4. n. 200. eius institutio. 102. Materia. 204. forma 208. minister. 210. Patrini. 214. Reviuiscentia. 219. dispositio suscipientis. 226. effectus speciales. 233. triplex Baptismus 228. Necessitas. 241.
Beatitudo. l. 2. 9. supernaturalis in quo consistat. 14 eius repugnantia cũ peccato. 25.
Blasphemia. l. 3. 353.
Bona inventa. l. 3. 216.

C.

Castitas l. 3. 368.
Censuræ Ecclesiasticæ. l. 2. 338. & seqq. Censuræ propositionum. l. 3. 122.
Character à quibus sacramentis imprimatur. 144.
Charitas. eius obiectum formale. l. 3. 137. eius augmentũ. 145. ordo charitatis. 148.
Christus: condignè satis fecit. l. 4. 16. eius Sanctitas. 42 47. fuit semper comprehensor. 50. habuit scientiam per se infusam. 52. & acquisitam. 55. fuit impeccabilis. 59. carvit fomite. 61. quas imperfectiones admiserit. 63. quomodo liberè mortuus. 68. eius voluntatis conformitas cum divinâ. 71. eius præmium 82. An possit dici servus. 89. an filius adoptivus. 91. quomodo adorandus. 98.

Circum-

Circumstantiæ, quænam dicantur in actu esse. l. 4. 423. speciem mutantes. 426. aggravantes. 427.
Coactum. l. 2. 73.
Concilia. l. 3. 37.
Confessionis integritas sufficiens. l. 4. 430. causæ excusantes 432. sigillum. 49.
Confirmatio. eius institutio. l. 4. 246. Materia. 252. forma. 257. Minister. 259. subiectum & effectus. 262.
Conscientia. l. 2. 120.
Consuetudo. l. 2. 312.
Contritio. l. 4. 374.
Cooperantes injustæ læsioni. l. 3. 295.
Correptio fraterna. l. 3. 158.
Culpa juridica. l. 3. 243.

D.

Detractio, l. 3. 266. quæ notorietas excuset. 269.
Deus. eius existentia. l. 1. 1. Essentia. 13. Attributa in genere 19. quinam actus Deo tribuendi vel negandi. l. 1. 86. 90. cur Deus non sit auctor peccati. l. 2. 186.
Dispensatio, quomodo differat à licentiâ. lib. 2. n. 242.
Divinatio. l. 3. n. 352.
Dominium. l. 3. 188. eius variæ classes seu subjecta. à n. 203. Modi acquirendi jure gentium. 215.

Dotes animæ beatæ. l. 1. 28. corporis. 32.
Dubium duplex. l. 2. 131.

E.

Ecclesia. l. 3. 25. Eius notæ. 28. infallibilitas. 29.
Evchariſtiæ materia remota. l. 4. 268. realis Chriſti præſentia. 277. converſio. 288. forma. 298. quænam formaliter, quæ concomitanter ponantur. 308. an maneant accidentia realia. 312. partes Evchariſtiæ. 319. unitas. 325. neceſſitas. 327. Miniſter. 331. plures ſimul conſecrantes. 332. effectus Evchariſtiæ. 336. diſpoſitiones prærequiſitæ. 342.
Eutychetis error circa Incarnationē. l. 4. 32.
Excommunicatio. l. 2. 348.

F.

Fama. l. 3. 257. Modus illam reſtituendi. 277.
Fides. varia illius ſignificatio. l. 3. 5. eius objectum materiale & formale. 7. Attributionis. 11. Regulæ Fidei. 19. & ſeqq. eius obſcuritas. 41. Motiva credibilitatis. 47. certitudo & firmitas. 82. ſupernaturalitas. 90. neceſſitas. 97. habitus Fidei. 116.
Finis ultimus duplex, particularis, & univerſalis. l. 2. 3.

Fomes. l. 4. 60.
Fortitudo l. 3. 163.
Furtum. eius quantitas quando mortalis. lib. 3. n. 247.

G.

Gratia actualis. l. 2. 365. eius diuisiones. 372. efficacis & sufficientis differētia. 379. eius necessitas ad bonum morale. 391. ad actus meritorios & supernaturales. 398. eius sufficientia universalis. 404. eius necessitas ad vincendas tentationes, & vitanda peccata. 420.
Gratia habitualis. 427. Quomodo sit participatio naturæ divinæ. 429.
Gratitudo. l. 3. 358.

H.

Homicidium suiipsius cur non liceat. lib. 3. 281. Innocentis indirecta occisio quando liceat. 289.

I.

Ideæ divinæ. l. 1. 111.
Idiomatum communicatio. l. 4. 114.
Ignorantia triplex. l. 2. 92. quando excusset à pœnâ. 280.
Immensitas DEI. l. 1. 35.
Immutabilitas DEI. l. 1. 40.
Incarnatio, l. 4. 1. eius possibilitas. 6. convenientia.

venientia. 9. Existentia. 11. necessitas. 14. causa finalis. 21. causa meritoria. 23.
Incomprehensibilitas DEI. l. 1. 43.
Inconsiderantia. l. 2. 101.
Indulgentiæ. l. 4. 469.
Ineffabilitas DEI. l. 1. 48.
Infernus. l. 1. 347.
Infinitas DEI. l. 1. 30.
Intentionis variæ species. l. 4. 168. 177. intentionum contrariarum quænam prævaleat. 182.
Interdictum. l. 2. 357.
Invisibilitas DEI. l. 1. 50.
Irregularitates. l. 4. 526. potestas in illis dispensandi. 528.
Involuntarium. l. 2. 59.
Judicium temerarium. l. 3. 259. eius quatuor gradus. 260.
Judicium practicum. l. 2. 114.
Juramentum. l. 3. 304. conditiones requisitæ. 313. modi infirmandi juramentum. 315.
Jus. l. 3. 177. eius tituli. 180.
Justitiæ divisio. l. 3. 172. definitio commutativæ. 176.

L.

Lex. l. 2. 219. naturalis & positiva. 222. divina & humana. 224. lex naturæ nunquam contraria humanæ. 230. quomodo

dispensabilis. 237. Lex Mosaica. 244. Lex Evangelica. 253. Lex humana. 258. quomodo præcipiat actum internum. 267. eius obligatio. 270. interpretatio. 285. cessatio & abrogatio 315 dispensatio. 319.
Libertas DEI l. 1. 125.
Lumen Gloriæ. l. 1. 60. quomodo concurrat ad visionem. 63.
Luxuria. l. 3. 369. non admittit parvitatem materiæ. 370.

M.

Matrimonium. eius institutio. l. 4. 537. 540. forma. 541. Materia. 543. Minister 545. Intentio sufficiens. 549. Impedimenta. à n. 554. indissolubilitas. 611. obligatio coniugalis. 619. Divortium. 624.
Meritum. l. 2, 433. eius existentia. 436. conditiones requisitæ. 438. eius terminus. 446. meritorum reviviscentia. l. 4. 396.
Missiones divinarum Personarum. l. 1. 232.
Moralitatis obiectivæ regula. l. 2. 148.

N.

Natura corrupta. l. 2. 212.
Nestorij error circa Incarnationem. l. 4. 29.
Notiones divinæ. l. 1. 219.

O.

Obiectum intrinsecè bonum vel malum. l. 2. 144. quando refundat honestatem vel inhonestatem in actum. 157.

Odiū, abominationis, & inimicitæ. l. 1. 139.
Obſervantia. l. 3. 358.
Omnipotentia Dei. l. 1. 144. abſoluta, ordinata. 148. Opinio probabilis. l. 2. 123.
Ordo. numerus Ordinum. l. 4. 493. Ordines ſacri. 497. Epiſcopatus. 499. an omnes ſint Sacramentum. 502. Materia & forma ſingulorum. 505. Miniſter. 514. ſubiectum. 518. effectus. eius character. 523.

P.

Peccatū actuale. l. 1. 171. Mortale & veniale. 172. commiſſionis & omiſſionis. 76. Peccatorum differentia ſpecifica & numerica. 178. Peccati cauſſa. 186. Habituale. 189. Originale. 197. quomodo propagetur. 204. an ab illo exempta B. V. 208. 4. nullum peccatum eſt irremiſſibile. l. 4. 369. Peccatum veniale quibus modis tollatur. 391. Peccata dubia an confitenda. 418. peccatorum reſervatio. 446.
Pelāgij error circa neceſſitatē Gratiæ. l. 2. 385.
Perſonæ divinæ. Pater. l. 1. 222. Filius 225. Spiritus S. 229.
Pietas. l. 3. 358.
Pœna damni & ſenſûs l. 2. 192.
Pœnitentiæ virtus. l. 4. 360. eius neceſſitas. 389. effectus. 388. ſacramenti pœnitentiæ inſtitutio. 400. definitio. 403. partes. 404. forma. 406. dolor requiſitus.

409. Necessitas. 436. Minister 442. Approbatio Ministri. 455.

Pontifex Romanus. eius primatus. l. 3. 33. potestas definiendi. 34. casus quibus amittit primatum. 40.

Possessio. l. 3. 198.

Prædestinatio. 168. eius causa & effectus. 178.

Præscriptio. l. 3. 220. & seqq.

Præsumptio. l. 3. 135.

Privilegium. l. 2. 327. Privilegium fori. l. 4. 531.

Processiones divinæ. l. 1. 199. earum differentiæ. 208.

Providentia Dei. l. 1. 150. Naturalis moralis. 155.

R.

Relationes divinæ. l. 1. 213.

Religio. l. 3. 300. Religiosus status. 316. origo Religionum. 333. diversitas. 336. Perfectio. 347.

Restitutio. l. 1. 236. eius radices. 238.

Reprobatio. l. 1. 183.

S.

Sacramentum quid requirat. l. 4. 124. Novæ & veteris legis quomodo differant. 131. Materia & forma à Christi designata. 135. causant gratiam ex opere operato. 138. eorum author. 148. Institutionis convenientia. 152. Numerus. 155. Ministri Intentio. 162.

Suscipientis dispositio. 186.
Sacramentalia. l. 4. 195.
Sacrificium in genere. l. 4. 345. sacrificium Missæ. 346. eius effectus. 351.
Sancti quomodo colendi. l. 4 105.
Satisfactio. l. 4. 105.
Scandalum. l. 3. 163.
Scientia Dei. l. 1. 83. Eius divisiones. 91. obiectum scientiæ simplicis intelligentiæ, 97. Visionis. 100. conditionatæ. 105.
Scriptura S. non est Iudex controversiarum fidei. l. 3. 22.
Servitutes reales & personales. l. 3. 192.
Simonia. l. 3. 354.
Spes. eius obiectum formale. l. 3. 126. eius subiectum. 133.
Spiratio activa. l. 1. 214.
Sponsalia. l. 4. 589. causæ dissoluendi. 592.
Status quatuor hominis l. 2. 368.
Suffragia. l. 4 466.
Superstitionis species. l. 3. 350.
Suspensio. l. 2. 354.
Susurratio. l 3. 267.

T.

Temperantia. l. 3. 367.
Theologia eius differentia à fide, divisio, obiectum. loci argumentorum, & ordo tractandi. Procem.
Traditiones. l. 3. 22.

Trinitas. errores circa illam. l. 1. 188. quomodo non repugnet rationi. 190.

V.

Veritas l. 3. 360.
Violentum. l. 2. 64.
Visio DEI l. 1. 55. obiectum. 67. 76. Inæqualitas. 71. Virtus theologica & moralis. l. 3. 1. Cardinalis. 108.
Vnctio extrema. l. 4. 473. Materia & forma. 477. Minister. 481. subiectum capax 483. effectus. 486. necessitas. 489.
Vnio hypostatica. non est accidentalis. l. 4. 34. est supernaturalis. 35. eius terminus. 36. sanctificat vt Quo. 46.
Voluntarium. l. 2. 40. eius divisiones. 43. interpretativum. 49. mixtum. 74. ex concupiscentiâ 77. ex metu. 84. ex ignorantia. 92.
Voluntas DEI. l. 1. 115. signi & beneplaciti. 118. antecedens consequens. 121. eius obiectum. 136. voluntas permissiva. 160. voluntas salvandi omnes. 162. est regula actuum humanorum. l. 2. 140.
Votum. l. 3. 317. potestas tollendi. 321.

FINIS.

Errata.

Errata sic emendanda.

Fol. 4.	verbum ultimũ *Hxc*	lege *Hæc.*
Fol. 17 n. 47. v. 6	*præstandi*	lege *præstare*
Fol. 17. lin. ult.	*dicentis.*	lege *dicente.*
Fol. 18. in titulo	*DEM*	lege *DEO.*
Fol. 30. numerus 58.		lege 85.
Fol. 189. v. 5.	*festlvam*	lege *festivã.*
Fol. 192. n. 217. v. 2.	*spectivæ*	l *speculativæ,*
Fol. 201. c. 11.		lege III.
Fol. 214. §. III.		lege IV.
Fol. 224. n. 313. v. 6.	*eqquidem*	lege *quidẽ.*
Fol. 280. n. 33. v.	*Vicarius*	l. *Vicariatus*
Fol. 291. n. 67 v. 2.	*clauduntur*	l. *claudentur.*
Fol. 352. n. 250. v. 3.	*chariatis*	lege *caritatis.*
Fol. 387. n. 353. v. 3.	*tribuenda*	lege *tribuendo.*
F. 467 n. 214 v. 2.	citatio canonis. 205. l. 103.	
Fol. eodem n. 215. v. 3.	*illos*	lege *illis.*

5-1